

1870

144.

14720/1



POSTAL



Z BIBLIOTHECI  
SERVITII  
SANCTI STEPHANI



BENEDICTUS XIV  
PONTIFEX OPTIMUS, MAXIMUS,  
*Literarum Supremus Magister, et Patronus.*

SANCTISSIMI  
DOMINI NOSTRI  
BENEDICTI  
PAPÆ XIV.

CONSTITUTIONES SELECTÆ,

NEC NON BULLÆ, DECRETA, EPISTOLÆ, &c.

PAROCHIS, CONFESSARIIS,

*Omnibusque Animarum Pastoribus Utiliores  
ac Necessariæ,*

IN QUIBUS  
THEOLOGICÆ MORALIS AC DOGMATICÆ

*Præcepta vere perspicua, ex Scripturis præcipue, ac Sacris  
Canonibus traduntur.*

PARS PRIMÆ.



VENETIIS, MDCCLXXIII.

TYPIS VINCENTII RADICE

SUPERIORUM PERMISSU.

14720

BIBLIOTEKI  
SEMINARIJ  
SANDOMIERSKI

K. 10.

C. Juskowski



3

# V I R O E C C L E S I A S T I C O

T Y P O G R A P H U S .



*Offero tibi Opus, Lector Ecclesiasticae, si ex Auctoris dignitate spectetur, Permagnum; Si ex sua utilitate, Necessarium: in eo enim comprehensas habes, & in unum corpus suo ordine collectas Constitutiones, Bullas, Decreta, Epistolas, &c. quas cum universalem regeret Ecclesiam Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS XIV. felic. mem. ad omnium Christi fidelium institutionem magis promovendam variis de rebus emisit, atque sancivit. Prodierant quidem typis seorsum pluribus in locis; atque non multis ab hinc annis Placentia, deinde Parma; sed disjunctis voluminibus, & adhuc non suo quaque loco, ut iterum dispersa, atque errantes vagarentur. Si quid aliud praterea hanc meam editionem ceteris praestantiorum effecerit, ipse iudicabis.*

†  
Satis vero, superque visum est, BENEDICTUM XIV. dicere, ut te ad hac perlegenda alacri animo excitarem. Quo enim terrarum hujus sapientissimi Pontificis Maximi virtus vel in divinis Scripturis explicandis, vel in eruendis ex tota Antiquitate testimoniis vel in Dogmatibus stabilendis, vel in quibuslibet Ecclesiasticis disciplinis aut tradendis, aut enucleandis, aut fulciendis non penetravit? Nimirum vel ab ineunte ætate ita in omnium sacrarum rerum studio versatus est, ut etiam ad summum in terris dignitatis apicem maxima totius Universi Latitia evectus, quæ sibi commissis ovibus observanda præciperet, non ab aliis accipere, sed ex se, tamquam ex pingui, ac feraci solo, parere, ac proferre videretur. Verum non est hujus loci, neque ingenii mei eas laudes nunc commemorare, quas ille diuturno studio sibi peperit, cum omnino Doctorem privatum ageret, & particulari Ecclesiæ præesset. In his Constitutionibus, Bullis, Decretis, Epistolis &c. plurima sunt, quæ Pastor Universalis Ecclesiæ ita præcepit, ut ejus judicium veluti Fidei Dogma sit colendum: reliqua etiam omnia te Ecclesiastica militiæ addictum ignorare nefas. Quæ enim (dicam generatim, atque univèrse) ad rectam Sacramentorum administrationem servanda, hic tibi clara methodo explicantur; nihilque circa curam Animarum, circa præscos Catholica Ecclesiæ mores, ac disciplinam, Hierarchicum ipsius ordinem, omnesque Apostolicas Traditiones ad hæc usque tempora servatas dignum scitu prætermittam reperies; ut nempe id omne possis elicere, quod Deo, quod tibi, quod aliis debeas. Insuper si ad nova quædam te convertens, scire cupias, quid hic Pontifex, cujus animum sollicitudo omnium Ecclesiarum tantopere commovebat, statuerit, atque præceperit de Refractariis Constitutionis Unigenitus; de Societatibus, aut conventiculis des Francs Maçons, & de tollendis aliis abusibus, qui vel diebus jejunii irrepsissent in comestionibus, vel in causis matrimonialibus, vel in clausura Monasteriorum, vel in celebratione Missarum, vel in dissidiis inter nonnullos Antistites Indiarum Occidentalium, & missionarios Soc. Jesu exortis (ut cætera prætermittam); habes, quo super unaquaque re, & super questionibus inde tibi propositis cuique aut consilium petenti, aut experimentum postulanti satisfacias. Quapropter leges tuæ quidem Theologiæ Moralis, aut Dogmaticæ Scriptores omnes, si me audias, & leges, quamdiu voles: hunc tamen diurna versabis manu, versabis nocturna; atque huic uni præoptabis te similem, quam aliis superiorem esse. Ego vero, qui rebus in hoc Volumine suo loco assignatis, & papyri conditione, & typorum nitore, & accurata emendatione tibi inservio, aliquam gratiam pro humanitate tua iniuratum confido. Vale.



PONT.

NUM. I.

ANNO

A. I.

## EPISTOLA ENCYCLICA,

1740

Et Commonitoria ad omnes Episcopos,

*Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis,  
& Episcopis.*

## BENEDICTUS P. P. XIV.

*Venerabiles Fratres salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

SI primum placuit Deo, qui dives est in misericordia, humilitatem nostram in suprema Beati Petri Sede collocare, & Vicarium Domini nostri Jesu Christi potestatem Nobis, nullo quamvis meritum suffragio suffultis, ad universæ Ecclesiæ suæ gubernationem committere; auribus insonare nostris visa est Divina illa vox: *Pasce Agnos meos: Pasce oves meas*: injuncta videlicet Romano Pontifici, ejusdem Petri Successori, cura regendi, non modo gregis Domini agnos, qui sunt Populi per totum terrarum orbem diffusi, sed etiam oves, nimirum Episcopos, qui veluti agnorum matres, populus in Christo Jesu generant, iterumque parturiunt. Pastoris igitur etiam vestri voces exequite, Fratres, per has nostras literas, & in partem sollicitudinis, cujus plenitudo commissa Nobis divinitus est, vocati, intelligite ex ipsis admonitionibus, & cohortationibus nostris, quanta Nos premit cura non pratermittendi ea, quæ officii nostri sunt, quantaque itidem sit vis paternæ nostræ in vos charitatis, qua ad maxime optandum adducimur, ut de profectu sanctarum Ovium fiant gaudia æterna pastorum.

S. I. In primis vero date operam, omnique studio, atque ope fatagite, ut morum integritas, & divini cultus studium eluceat in Clero, utque Ecclesiastica disciplina facta tecta servetur, & ubi colapsa fuerit, redintegretur. Satis enim constat, nihil esse, quod omnem populum ad pietatem, religionem, & Christianæ vitæ institutionem efficacius instruat, excitet, inflammet, quam eorum exemplum, qui divino se ministerio dedicaverunt. Itaque in id mentis vestræ acies primum dirigenda est, ut cum accurato delectu in Clericali militiæ adscribantur, a quibus merito possit expectari, ut iis in lege Domini ambulantes, & de virtute in virtutem euntibus, eorum vita cunctis afferat venerationem, & eorum opera Ecclesiis vestris spiritualem afferat utilitatem. Melius enim profecto est pauciores habere Ministros, sed idoneos, atque utiles, quam plures, qui in edificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, nequicquam sint valituri. Quantam idcirco Episcoporum cautionem ea  
in re

PONT. in re Sacri Canonis requirant, non ignoratis Fratres; se ab eorum norma, ANNO  
 quæ omnino servari debet, ne patiamini vos abduci humano ullo respectu vel  
 A. I. importunis ambientium suggestionibus, vel fautorum precibus. Apostoli vero 1740  
 præceptum, ut ne manus cuiquam nimis propere imponantur, tunc potissi-  
 mum servari necesse est, ubi de promovendis ad Sacros Ordines, & ad Sacra-  
 tissima Mysteria, quibus nihil est divinius, agendum sit. Non enim sufficit  
 ætas, quæ per sacras Ecclesiæ leges unicuique Ordini præscripta est, nec in-  
 discriminatim omnibus, qui in inferiori aliquo Ordine jam sint constituti, suo  
 quasi jure patere debet aditum ad sublimiorem; sed studiose, magnaue adhi-  
 bita diligentia investigandum a vobis est, an eorum, qui priora susceperint  
 ministeria, talis fuerit vivendi ratio, & in sacris scientiis progressio, ut vere  
 digni judicandi sint, quibus, dicatur: *ascende superius*: cum alioquin expedit  
 in inferiori potius aliquos remanere gradus, quam cum suo majori periculo,  
 & aliorum scandalo ad altiorem provehi.

§. 2. Et quoniam supra quam dici possit, interest eos, qui in sortem Do-  
 mini vocantur, ab ineunte ætate ad pietatem, morumque integritatem, & ad  
 canonicam disciplinam, veluti novellas plantationes in juventute sua, infor-  
 mari; cordi idcirco vobis esse debet, ut ubi forsam nondum instituta fuerint  
 Clericorum Seminaria, quam citissime instituantur, vel jam instituta amplifi-  
 centur, si majori Alumnorum numero pro Ecclesiarum conditione opus sit,  
 adhibitis in eum finem mediis, quorum parandorum potestate Episcopi jam  
 sunt instructi, & quibus alia etiam, si de eorum necessitate edocti a vobis fue-  
 rimus, addituri & Nos sumus. Eadem vero Collegia singulari vestra sollicitu-  
 dine foveantur, necesse est, videlicet ea sæpe invisendo, singulorum adole-  
 scentium vitam, indolem, & in studiis profectum explorando, magistris ido-  
 neos, virosque Ecclesiastico spiritu præditos ad eorum culturam destinando,  
 literarias ipsorum exercitationes, sive Ecclesiasticas functiones quandoque præ-  
 sentia vestra decorando, aliqua demum beneficia iis, qui virtutum suarum spe-  
 cimen clarius præstiterint, majoremque laudem retulerint, conferendo. Hu-  
 jusmodi enim irrigationem arbusculis hisce, dum adolescunt, ministrasse non  
 vos poenitebit, sed vestra opera lætissimum deinde vobis referet fructum in-  
 uberi bonorum operariorum copia. Consueverunt quippe Episcopi sæpius do-  
 lere messem quidem esse multam, operarios autem paucos; at fortasse eis quo-  
 que dolendum esset, non eam, quam debuissent, industriam ipsos adhibuisse,  
 ut operarii ad messem pares, aptique formarentur: boni namque, & strenui  
 operarii non nascuntur, sed fiunt; ut autem fiant, ad Episcoporum solertiam,  
 industriamque maxime pertinet.

§. 3. Sed & illud maximi momenti est, ut iis animarum cura committatur,  
 qui doctrina, pietate, castis moribus, & illustribus bonorum operum exemplis  
 ita aliis præluere possint, ut vere lux, & salus populi sint, & habeantur. Hi  
 nimirum præcipui adjutores vestri sunt in grege vobis credito informando, re-  
 gendo, perpurgando, in viam salutis dirigendo, & ad Christianas virtutes inci-  
 tando. Ex quo pronum est intelligere quanti vestra etiam referat, eos ad Parochia-  
 le officium obeundum eligi, qui ad fructuosam plebium gubernationem merito  
 judicentur aptiores. In id vero potissimum quoque incumbite, ut quicumque  
 animarum curam gerunt diligenter, diebus saltem Dominicis, aliisque festis de  
 præcepto, plebes sibi commissas, pro sua, & eorum capacitate, pascant salu-  
 taribus verbis, docendo ea, quæ Christiani fideles ad salutem scire oportet, ac ex-  
 plicando Divinæ legis Capita, fideique dogmata, & pueros ejusdem fidei ru-  
 dimentis imbuendo, quacumque prava in contrarium consuetudine, ubicum-  
 que esset, prorsus sublata. Quomodo enim audient sine prædicante? Aut quo-  
 modo recte credendi, recteque agendi normam assequi poterunt populi, si ani-  
 marum curatores in ejusmodi officio segnes, remissi, ac desidiosi fuerint? Quare  
 non satis animo comprehendere, aut verbis explicari potest, quanta Christianæ  
 Reipa-

PONT. Reipublicæ perniciēs impendeat ex eorum, quibus animarum cura demandata ANNO  
 est, negligentia in pueris, præsertim Catechismo instruendis. Proderi autem  
 A. I. plurimum, si studueritis, ut & qui curam animarum gerunt, & alii, qui ad 1740  
 pœnitentium confessiones excipiendas destinati sunt, per aliquot dies spiritua-  
 libus exercitiis, quotannis vacent: in eo quippe pio recessu renovabuntur spi-  
 ritu mentis suæ, & induentur virtute ex alto, ad ea impensius, alacriusque  
 peragenda, quæ suarum partium sunt pro Divini Numinis gloria, & spirituali  
 proximorum utilitate, & salute.

§. 4. Jam vero scitis, Fratres, Divino præcepto mandatam esse omnibus  
 animarum Pastoribus, oves suas agnoscere, easque verbi Divini prædicatione,  
 Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pasce-  
 re, hisque, ac cæteris pastoralis officii muniis satisfacere, ut par est, mini-  
 me posse eos, qui Gregi suo non invigilent, neque assistant, vineamque Do-  
 mini, in qua positi sunt custodes, non custodiant assidue. Itaque in statione  
 vestra maneat oportet, & personalem in Ecclesia vestra vel Diœcesi, serveis  
 residentiam, ad quam ex vi muneris vestri obligati estis, quemadmodum plu-  
 ribus generalium Conciliorum decretis, & Prædecessorum nostrorum constitu-  
 tionibus luculenter declaratum, præscriptumque est. Cavete autem, ne existi-  
 metis fas esse Episcopis per tres menses singulis annis pro libito, aut quacum-  
 que ex causa abesse. Ut enim hoc vere liceat Episcopis, constat habendam esse  
 rationem; ut absentia hujusmodi æqua requiratur causa, simulque consultum  
 sit, ne gregi detrimentum obveniat. Mementote autem Judicem futurum esse  
 eum, cujus oculis omnia nuda, & aperta sunt, adeoque videte, ut causa talis  
 vere sit, quæ probari jure possit supremo huic Pastorum Principi, a quo ovium  
 vobis creditarum sanguis est quantocius requirendus: in quo quidem judicio,  
 frustra Pastor contenderet, ea se excusatione tueri, quod lupus oves, absente  
 se, ac inscio, abductas devoraverit: nam si res penitus inspiciatur, satis appa-  
 ret nullum prope malum, aut scandalum in Diœcesi sic destituta contingere,  
 quod non sit ei adscribendum, cujus erat, subditos a recta semita deflecentes  
 revocare monitis, allicere exemplis, voce confirmare, auctoritate, & charita-  
 te continere. Porro quis etiam non intelligat multo satius esse negotia alibi  
 per alios, ubi oportuerit, peragi, quam per se ipsum ab Episcopo extra Diœ-  
 cesim suam morante; negotium vero omnium maximum custodiendi, & guber-  
 nandi gregis ab eo per se non per administratos curari? Sint enim vero quan-  
 tumvis idonei, probatique ministri, non tamen eorum vocem sic solent audire  
 oves, ut vocem veri sui Pastoris: nec vicariam illorum operam supplere  
 satis vigilantiam, atque operam ipsius Episcopi, cui peculiaris S. Spiritus gra-  
 tia ad id opitulatur, experientia abunde compertum est.

§. 5. Ad hæc, cum in omni etiam rei domesticæ cura nihil sit utilius, quam  
 si ipsemet Paterfamilias omnia frequenter inspiciat, suaque vigilantia suorum  
 industriam, & diligentiam alat, propterea vos monemus, & hortamur, Fra-  
 tres, atque etiam vobis injungimus; ut Ecclesias, & Diœceses vestras, (nisi gra-  
 vis, ac legitima interveniat causa, quæ aliis id committi postulet) vos ipsi vi-  
 sitetis, vos ipsi oves vestras, & pecoris vestri vultum agnoscatis. Formidinis sa-  
 ne, ac terroris plena est certissima illa sententia, quam supra memoravimus,  
 non admitti Pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & Pastor nescit.  
 Multa vero quidem ignorabit Episcopus, multa eum latebunt, vel saltem serius,  
 quam oportereet, intelliget, nisi ad omnes suæ Diœceseos partes se conferat, &  
 nisi per se ipsum ubique videat, ubique audiat, ubique exploret, quibus ma-  
 lis medicina facienda sit, & quænam fuerint eorum causæ, quæve ratione oc-  
 curri etiam providenter queat, ne sublata reviviscant. Præterea cum ea sit hu-  
 manæ imbecillitatis conditio, ut in agro Dominico, cujus cultura commissa Epi-  
 scopo est, sensim vepres, & spinæ, ac noxiæ inutilesque herbæ succrescant, certe  
 nisi ad eas amputandas cultor crebro redeat, ille ipse nitor vigiliis ejus, labori-  
 busque

PONT. busque jam partus, progressu temporis deflorescet. Sed neque etiam satis est ANNO  
 A. I. lustrari a vobis Dieceles, & opportunis præceptionibus vestris curationi earum  
 esse prospectum: restat & illud enixe perficiendum a vobis, ut quæ in visitatio- 1750  
 nibus constituta fuerunt, vere in effectum perducantur; nam legum etsi opti-  
 marum utilitas nulla erit, nisi quod sancitum verbis est, re ipsa ab eis, ad  
 quos pertinet, studiose præstetur. Quapropter postquam ad animarum morbos  
 expellendos, sive avertendos, salutaria paravistis medicamenta, non ideo solli-  
 citudo vestra conquiescat oportet, sed traditorum a vobis præceptorum execu-  
 tio omni virium contentione urgenda est; idque potissimum per iteratas vi-  
 sitationes estis assecuturi.

§. 6. Postremo, ut multa paucis complectamur, Fratres, in omni sacra, &  
 Ecclesiastica functione, & in omni Divini cultus, ac pietatis exercitio vos ipsos  
 auctores, vos duces, vos magistros esse convenit, ut quasi de vestræ sanctitatis  
 splendore, tum Clerus, tum Grex universus lumen hauriat & charitatis vestræ  
 ignis incalescat. Itaque in tremendi Sacrificii frequenti, & devota oblatione,  
 in solemini Missarum celebratione, in Sacramentis administrandis, in Divinis Of-  
 ficiis obeundis, in cultu, & nitore Templorum, in disciplina domus, & fami-  
 liæ vestræ, in pauperum amore, & ope eis ferenda, in ægrotis invisendis,  
 & sublevandis, in peregrinis hospicio excipiendis, in omni denique Christianæ  
 virtutis opere estote vos forma Gregis vestri, ut omnes imitatores vestri sint,  
 sicuti & vos Christi, quemadmodum decet Episcopos, quos Spiritus Sanctus po-  
 suit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo. Apostolos identidem  
 respicite, in quorum successistis locum, ut eorum vestigia festemini in labori-  
 bus, in vigiliis, in ærumnis tolerandis, in arcendis lupis ab ovilibus vestris,  
 in vitiorum radicibus extirpandis, in Evangelica lege exponenda, In eis, qui  
 erraverint, ad salutarem pœnitentiam reducendis. Aderit profecto vobis Omni-  
 potens, & misericors Deus, in quo nos confortante omnia possumus: Non de-  
 erit etiam vobis, ut plane confidimus, religiosorum Principum auxilium:  
 Omnia insuper adjumenta parata vobis erunt ab hac Sancta Sede, quotiescum-  
 que nostra Apostolica Auctoritate opus esse cœneritis. Magno itaque animo,  
 magnaue fiducia venite ad Nos, qui vos cunctos, ut Fratres, & adjuutores  
 nostros, & coronam nostram amamus in Visceribus JESU CHRISTI: Venite  
 ad vestram, & omnium Ecclesiarum Matrem, Caput, & Magistram, San-  
 ctam Romanam Ecclesiam, unde Religionis origo manavit, ubi Fidei petra,  
 ubi fons Sacerdotalis unitatis, ubi incorruptæ veritatis doctrina; nihil enim  
 Nobis optatius, nihil jucundius esse potest, quam una vobiscum Dei gloriæ  
 inservire, & Catholicæ Fidei custodiæ, ac propagationi ellaborare, atque ani-  
 mas salvas facere; pro quibus ipsum quoque sanguinem, & vitam nostram  
 libentissime, si oportuerit, impenderemus. Excitet vos demum, stimulosque  
 currentibus vobis addat ingens ac certa, quæ vos manet, remuneratio; nam  
 cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coro-  
 nam; coronam utique justitiæ, quæ reposita est Fidelibus dispensatoribus My-  
 steriorum Dei, & strenuis vigilibusque speculatoribus domus Israel, quæ est  
 Sancta ipsius Dei Ecclesia. Ejus autem vices Nos, quamvis indigni, gerentes  
 in terris, Fraternalibus vestris peramanter benedicimus, necnon Clero, ac  
 Populo vestro fideli, eandem Apostolicam Benedictionem nostram paterno af-  
 fectu impertimur.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem die 3. Decembris MDCCXL. Pontifi-  
 catu Nostri Anno Primo.

PONT.

NUM. II.

ANNO

A. I.

INDULGENTIÆ.

1740

*Seu Relaxatione centum dierum de injunctis, seu debitis Pœnitentiis pro recitan-  
tibus flexis genibus singulis Feriis sextis quinquies Orationem Dominicam, &  
toties Salutationem Angelicam ad sonum Campanæ, hora tertia post meridiem,  
in memoriam Passions, & Agoniæ DOMINI NOSTRI JESU CHRISII.*

BENEDICTUS PP. XIV.


*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**A**D Passions, & Agoniæ Redemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi, unde nobis vita, salus, & resurrectio manavit, memoriam in omnium Christiſidelium animis excitandam, atque solvendam Cœlestibus Ecclesiæ Theſauris, quorum dispensationem Nobis credidit Altissimus, omnibus, & singulis Christiſidelibus, qui singulis Feriis Sextis totius Anni, hora tertia post meridiem ad sonum Campanæ Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedralium, & Parochialium ( quarum Parochis, Rectoribus, aliisque quocumque nomine appellatis Superioribus, ut Campanam uniuscujusque Ecclesiæ hujusmodi pulsari faciant injungimus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus ) flexis genibus quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam devote recitaverint, & oraverint; ac pro Christianorum Principum Concordia, Hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, nec non salu- tati perditorum hominum emendatione pias ad Deum preces effuderint; cen- tum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valitu- ris. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Decembris 1740, Pontificatus Nostri Anno Primo.

*Signat.*

*D. Cardinalis Passionens.*



PONT.

NUM. III.

ANNO

A. I.

DECRETUM.

1741

*Jussu Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI XIV. Editum circa Celebrationem  
Missæ in Oratorii Privatis die septimo Januarii 1741.*

**C**UM duo Nobiles Conjuges Diœcesis Marsicen. obtinuissent a Sede Apo- stolica Indultum pro celebratione Missæ in privato suæ Domus Orato- rio sic conceptum-- *Dilecte Fili, & Dilecta in Christo Filia, salutem, & Apostolicam benedictionem. Spirituali consolationi vestræ, quantum cum Domi- no possumus, benigne consulere, Vosque spiritualibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & Vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensio- nis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus, quomodolibet innodata exi- stunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, &*

*Parti I.*

*B*

*absolu-*

PONT. absolutas fore censentes supplicationibus vestro nomine Nobis super hoc humiliter ANNO  
 porrectis inclinati, Vobis, qui (ut asseritis) locorum Gallicii, & Messanelli Mar-  
 L. I. sicens, seu alterius Diocesis Jurisdictionem temporalem in illis, seu eorum altero 1741  
 exercen. Baro, & Baronissa respective existitis, ut in privatis Domorum vestra  
 habitationis in Civitate, & in Diocesi Marsicensi. existen. Oratorii ad hoc decen-  
 ter muro extructis, & ornatis, seu extruendis, & ornandis, ab omnibus domesti-  
 cis usibus liberis per Ordinarium Loci prius visitandis, & approbandis, ac de ipsius  
 Ordinarii licentia ejus arbitrio duratura, unam Missam pro unoquoque die, dum-  
 modo in eisdem Domibus celebrandi licentia, quæ adhuc daret, alteri concessa non  
 fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum Sæcularem,  
 seu de Superiorum suorum licentia Regularem, sine tamen quorumcumque Jurium  
 Parochialium præjudicio, ac Paschalis Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis  
 Domini Nostri Jesu Christi, aliisque sollemnioribus Ann. festis diebus exceptis, in  
 Vestra, ac Natorum, Consanguineorum, & Affinum in eadem Domo Vobiscum in-  
 simul habitantium, Familiæque, & quoad Oratoria Ruri existentia, etiam in Ho-  
 spitum Nobilium, Vestrorumque præsentia celebrari facere libere, & licite possitis,  
 & valeatis, ac Vestrum quilibet possit, & valeat, Auctoritate Apostolica tenore  
 præsentium concedimus, & indulgemus: Non obstantibus Constitutionibus, & Or-  
 dinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod  
 Familiæ servitiis vestris tempore dictæ Missæ actu non necessarij ibidem Missæ  
 hujusmodi interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de  
 præcepto minime liberi censeantur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem  
 sub Annulo Piscatoris die 12. Februarii 1739. -- Cumque exorta esset dubitatio,  
 an ex vi hujusmodi Indulti liceret Missam celebrari in privato Oratorio, etiam  
 sine præsentia alterutrius ex dictis Conjugibus, in quos Indulti concessio dire-  
 cta erat, cui quidem dubitationi locum dedit opinio nonnullorum Doctorum  
 pro affirmativa, & negativa respective sententia inter se certantium, Sacra  
 Congregatio Concilii, ad quam hujus quæstionis resolutio delata fuit, die ter-  
 tia Decembris 1740. censuit -- NON LICERE --; Deinde vero Sanctissimus Do-  
 minus Noster, reprobata contraria Doctorum sententiam, prædictam Sacræ Con-  
 gregationis resolutionem nedum approbavit, verum etiam præsentis Decreto  
 publice evulgando voluit omnibus notum fieri, non posse vigore similis Indul-  
 ti celebrari Missam in privatis Oratoriis, quando eidem Missæ actu non inter-  
 sit aliquis ex iis, quibus principaliter Indultum concessum est; Indultum vero  
 principaliter concessum intelligi iis tantum, quibus Breve dirigitur, nimirum  
 Personis illis, quæ a tergo ejusdem Brevis proprio nomine nuncupantur, adeo-  
 ut sine præsentia alicujus ex dictis Personis minime liceat Missæ Sacrificium  
 peragi, etiamsi præsens sit aliquis sive ex Filiis, sive ex Consanguineis, sive  
 ex Affinibus, sive ex Familiaribus, sive demum ex Hospitibus Nobilibus in  
 eodem Brevi memoratis, quippe quibus nil aliud per ejusmodi Brevia concedi-  
 tur, quam quod unusquisque eorum (dummodo, quod attinet ad Familiæres,  
 juxta clausulam in iisdem Brevis insertam, non sit ex illis actu non neces-  
 sariis) assistens Missæ, quæ celebratur in Oratorio privato in præsentia alicu-  
 jus ex Personis a tergo Brevis proprio nomine nuncupatis, satisfaciatur obligati-  
 oni audiendi Missam diebus festis de præcepto. Sublata igitur, & proscripta  
 quacumque minus germana interpretatione ejusmodi Brevis, & Indultorum  
 in contrarium hætenus facta, SANCTITAS SUA ita declaravit, & servari  
 omnino mandavit, districtè præcipiens, ut omnes Episcopi, aliique locorum  
 Ordinarii, etiam tamquam a Sede Apostolica Delegati executioni, & obser-  
 vantia hujus Decreti diligenter incumbant per Canonicas pœnas contra inobe-  
 dientes eorum arbitrio constituendas.

A. Card. Gentili Præfectus.

C. A. Archiepiscopus Philippen. Secretarius.

NUM.



DECLARATUR

*Quod omnes, qui provisi fuerint a S. R. E. Cardinalibus Ordinariis Collatoribus, sive vigore exceptionis Regulæ IX. Cancellariæ, sive vigore Indulti Apostolici, de Beneficiis Ecclesiasticis vacans in mensibus Sanctæ Sedis reservatis, & valorem vigintiquatuor Ducatorum excedentibus; semper teneantur ad reportandum infra certum tempus novam provisionem a Sede Apostolica.*

BENEDICTUS PP. XIV.

*Motu proprio &c.*

**C**UM, sicut accepimus, nonnulli S. R. E. Cardinales, qui Metropolitanas, Patriarchales, Episcopales, aut etiam Abbatiales Ecclesias ex Concessione, & Dispensatione Apostolica obtinent, quamvis Indulta conferendi Beneficia Ecclesiastica Sedi Apostolicæ affecta, & reservata, etiam ratione mensium Apostolicorum nuncupatorum, accepaverint, in quibus literaliter injungitur, quod ab eisdem Cardinalibus pro tempore provisi teneantur, infra certum in eisdem Indultis præfixum tempus novam Beneficiorum hujusmodi provisionem a Sede Apostolica præfata impetrare, & Jura Cameræ Apostolicæ, aliisque propterea debita persolvere; nihilominus, sub prætextu exceptionis eorundem Cardinalium in Regula nona Cancellariæ appositæ, auctumant, quod ubi vacatio contingit in octo mensibus Apostolicis, provisi ab ipsis Cardinalibus novam hujusmodi provisionem capere non teneantur, quod plurimum Doctorum sententiæ repugnare comperitur. Nos, cui tanquam Romano Pontifici spectat lites, ac controversias, declarationis oraculo, terminare, prout negotiorum qualitate, & temporum conditione inspectis, conspiciamus in Domino salubriter expedire, motu simili &c., & de Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, statuimus, atque decernimus, quod deinceps pro tempore provisi a prædictæ S. R. E. Cardinalibus Ordinariis Collatoribus, sive Cardinales ipsi tanquam Ordinarii vigore exceptionis prædictæ regulæ, sive tanquam Indultarii, Beneficia vacantia in mensibus Apostolicis prædictis contulerint semper, & quancumque novam provisionem eorundem Beneficiorum a prædicta Sede Apostolica impetrare, ac Annatam, & Taxas Datarum, Cancellariæ, & Cameræ nostrarum Apostolicarum, aliaque Jura, & emolumenta Officialibus debita persolvere omnino teneantur, dummodo tamen Beneficia sic vacantia, etiam nullis deductis eorum oneribus, valorem annum vigintiquatuor Ducatorum auri de Camera excedant. Decernentes etiam motu pari &c., ut nemo deinceps ab eisdem Cardinalibus Ordinariis Collatoribus provisos de Beneficio in aliquo ex mensibus Apostolicis præfatis vacato, possit se quocumque prætextu eximere ab expeditione literarum Apostolicarum in forma novæ Apostolicæ provisionis, juxta formam in Indultis Cardinalibus concedi solitis præscriptam, alias, elapso tempore ibidem præfixo, possit idem beneficium a Sede Apostolica prædicta impetrari: Præsentes quoque, & desuper, si videbitur, expediendas literas, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut alio quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, aut adversus eas quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ remedium impetrari posse, sed illas semper validas, & efficaces fore, & esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, ad quos quomodolibet spectat, & spectabit in futurum, inviolabiliter observari. Sicque, & non alias per quoscumque Judices &c. etiam

PONT. caufarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ANNO  
 A. I. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, 1743  
 sublata &c., judicari &c. debere, irritumque &c. attentari. Non obstantibus,  
 quatenus opus sit, Cancellariæ præfatæ regula de jure quæfiso non tollendo,  
 ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis quibusvis Personis, etiam  
 quavis auctoritate fungentibus, ac qualibet præeminentia, & dignitate fulgen-  
 tibus, ac speciale, & specialiffimam mentionem requirentibus, sub quibus-  
 cumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogato-  
 riiis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, &  
 aliis decretis in genere, vel in specie per quoscumque Romanos Pontifices  
 Prædecesores Nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam præfatam, etiam motu  
 pari &c., ac alias quomodolibet, etiam Concistorialiter, ac iteratis vicibus con-  
 cessis, & quantocumque tempore etiam pacifice observatis. Quibus omnibus &c.  
 etiam si de illis &c. eorum tenores &c., illis alias &c. permansuris, latiffime  
 & pleniffime, ac specialiter, & expresse motu pari &c. harum ferie deroga-  
 mus, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis oportunis.

*Fiat motu proprio P.*

Et quod dictæ Regulæ, nec non Indultorum, & Privilegiorum præfatorum  
 quomodolibet, ut præfertur, concessorum, tenores etiam veriores, ac Data  
 habeantur pro expressis, seu in toto, vel in parte exprimi possint in Literis,  
 ac de perpetuis declaratione, statuto, decreto, derogatione, aliisque præmis-  
 sis, ut supra in litteris latiffime extendendis. Volumus autem, quod sola præ-  
 sentis Nostri motus proprii signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in iudicio, &  
 extra illud, regula quæcumque contraria non obstante, seu si videbitur litteræ  
 desuper etiam per viam de Curia quandocumque expediri possint.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem VIII. Kalendas Februarii  
 Anno primo.

PONT.

N U M . V .

ANNO

A. I.

C L E R I C I S

1743

*Interdicitur qualibet negotiatio, etiam sub alieno Laici nomine, exceptis casibus,  
 & circumstantiis in Constitutione expressis, sub pœnis alias contra Clericos nego-  
 tiatores emanatis, & extenditur pœna spoli ad eos etiam, qui ab illo exempti  
 sunt per Indulta personalia, aut generalia ad effectum testandi, vel transmittendi.*

B E N E D I C T U S E P I S C O P U S

S E R V U S S E R V O R U M D E I .

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**A**POSTOLICÆ servitutis commissum Nobis Divinitus officium assidue vi-  
 gilare Nos admonet, ut ex prava hominum cupiditate suborientia mala,  
 quantum in Nobis est, provida sollicitudine coercentes, Dominici ovi-  
 lis gregem, Superna opitulante gratia, ad æternam Patriam dirigamus. Sed  
 præcipua cura constringit de iis, qui Ecclesiastico Ordini adscripti, & ad san-  
 ctioris vitæ genus electi aliis in via salutis actuum suorum claritate præluce-  
 re debent. Vehementer enim timidi, ac solliciti sumus, ne cæteros Christifi-  
 deles, quos pro gradus sui Sanctitate verbis, & exemplo ædificare debent,  
 morum

PONT. morum suorum pravitate a cœlestium rerum amore ad terrena desideria aver- ANNO  
tant.

A. I. Cum itaque, ut non sine gravi animi Nostri mœrore accepimus, vesana hu- 1741  
manarum rerum cupiditas ita nonnullorum Clericorum invaserit animos, ut  
illicitam Ecclesiasticis negotiationem ad evitandas pœnas adversus illam exer-  
centes a Sacris Canonibus & Apostolicis Romanorum Pontificum Prædecesso-  
rum Nostrorum Constitutionibus sancitas sub alieni nominis velamine, Dei ti-  
more, Ecclesiastici nominis decore, æterno suarum animarum periculo postha-  
bitis, temere, nulliterque exercere non dubitent; & quod palam temporalium  
pœnarum metu aggredi non audent, quæsitis deinde coloribus, & vanis ina-  
nium rationum prætextibus clam efficere non timeant, quasi vel Dei oculos,  
qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium,  
latere, vel supremi Judicis, qui non fallitur, examen effugere possint: Nos  
attendentes, quod Clericus, qui tantopere mundanis divitiis parandis inhiat,  
cœlestia despiciere, & pro nihilo putare convincitur, & quod Clericus nego-  
tiator ex inope dives, & ex ignobili gloriosus, tamquam pestis, ut B. Hie-  
ronymus docet, fugiendus est, ad exitiosam hujusmodi labem ab Ecclesiastico  
Cœtu eliminandam, & ut Sancto Ecclesiæ Dei famulatu additi ab omni tur-  
pis lucri cupiditate abhorrentes studeant bene agere, & divites fieri in bonis  
operibus, thesaurizantes sibi fundamentum bonum in futurum, omnes & sin-  
gulas Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum prædictorum Consti-  
tutiones, illarumque quamlibet contra quoscumque Clericos illicitos negotia-  
tores desuper quomodolibet respectivo cum omnibus, & singulis pœnis con-  
tra eosdem Clericos illicito negotiantes editas, quas Constitutiones hujusmodi,  
ac earum quamlibet præsentibus de verbo ad verbum nihilo penitus omisso  
pro insertis haberi volumus; Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque  
deliberatione, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine Nostris innovamus, con-  
firmamus, & approbamus, eisque, & earum cuilibet novum Apostolicæ fir-  
mitatis, & inviolabilis observantiæ robur adjicimus, illasque sic innovatas,  
confirmatas, & approbatas cum omnibus, & singulis pœnis in eis, & earum  
qualibet adversus Clericos illicitos negotiatores hujusmodi contentis ad Cle-  
ricos illicito sub alieno Laici nomine quomodolibet negotiantes, perinde ac si  
per se ipsos, ac proprio eorum nomine negotia ipsa illicita exercerent, om-  
nesque, & singulæ Constitutiones, earumque quælibet adversus eos desuper  
editæ fuissent, & in eis, & earum qualibet expressi, denominati reperirentur,  
motu, & potestatis plenitudine præfatis perpetuo extendimus, & ampliamus;  
illorumque omnia, & singula bona sic ab eis alieno nomine illicito acquisita  
sub inevitabili spolii pœna ad formam Constitutionis sel. rec. Pii Papæ IV.  
similiter Prædecessoris Nostri, quæ incipit -- *Decens esse* -- subjicimus, & sub-  
jecta esse volumus, & declaramus.

Insuper ut in sortem Domini vocati depositis quocumque mundanarum cu-  
rarum onere, & humanarum cupiditatum impedimentis, Christum Dominum,  
qui propter Nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos di-  
vites essemus, per caleatas Mundi opes liberius, & expeditius sequantur me-  
mores salutaris illius B. Apostoli moniti, qui clamat, & dicit: Nemo mili-  
tans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit, per  
eandem Nostras præfatas valituras motu, & potestatis plenitudine præfatis de-  
cernimus, ac pariter declaramus, quod si aliquod negotium Ecclesiasticis illi-  
cituræ Personis, licet ab eis minime institutum, sed a Laica Persona inchoa-  
tum, & ad eosdem Clericos sive hæreditario jure, aut quocumque alio titulo,  
sive singulariter, sive communiter, sive separatim, sive conjunctim cum aliis  
bonis, & aliis cohæredibus, vel sociis Laicis existentibus delatum fuerit, vel  
per se ipsos, eorumque nomine proprio, per alios, aut alieno nomine etiam  
per suos cohæredes, aut socios prosequuti sint, illud statim dimittere tenean-  
tur;

PONT. tur; Si vero negotium hujusmodi sine ipsius Clerici temporali detrimento sta- ANNO  
 A. I. ricus, a Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Decretorum  
 Concilii Tridentini Interpretum Congregatione, si vero extra Italiam, ab eadem Congregatione, vel ab Ordinario Loci licentiam illud ad aliquod tempus  
 1741 retinendi, proviso interim, quod negotium hujusmodi a Laico administratur,  
 impetrare teneatur, dictaque Congregatio, aut Ordinarius Loci, perpensis  
 singulorum casuum circumstantiis, licentiam impertiatur, tempusque in eo ad  
 idem negotium dimittendum præscribat, & si Clericus negotium præfatum,  
 licet a Laico, ut præfertur, institutum, absque licentia hujusmodi gratis sem-  
 per sibi impertienda, aut illud ultra tempus, sibi permissum retinuerit, vel  
 etiam intra tempus prædictum negotium per se ipsum administraverit, pro  
 negotiatore illicito haberi, illumque omnibus, & singulis etiam spoliis prænis  
 præfatis subiectum esse motu, & potestatis plenitudine dictis perpetuo volumus,  
 & definimus.

Ac demum eo, quod fel. rec. Prædecessor Noster Pius Papa IV. per suas  
 litteras, quarum initium est -- *Romanus Pontifex* -- declaravit, præfata Consti-  
 tutione super spoliis Clericorum ob illicitam negotiationem a se edita Præla-  
 tos, Officiales, ac alios, Sæculares, & cujusvis Ordinis Regulares Clericos,  
 aliosque cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & præminentia in  
 Urbe, & Curia, ejusque Districtu decedentes, testandi tamen, codicillandi,  
 & alias de bonis suis quibuscumque quomodolibet disponendi, vel ad ipsorum  
 proximiores, decedentibus illis ab intestato, transmittendi facultatem ex spe-  
 ciali Sedis Apostolicæ indulto, vel suorum Officiorum privilegio, vel alio quo-  
 vis titulo obtinentes nullatenus comprehendi: & quod Paulus Papa V. pariter  
 Prædecessor Noster per suas litteras, quæ incipiunt -- *In eminenti* -- Clericus,  
 Cives, & Curiales, sive Incolas hujus Nostræ Almæ Urbis, tunc suæ, exem-  
 ta spolio, quoad bona in eadem Urbe, ejusque Districtu intra decem milliaria  
 consistentia etiam ex redditibus Ecclesiasticis per eos acquisita, unde dubitari  
 contigit, an suffragetur quoque ad evitandum Spolium Cameræ Nostræ Apo-  
 stolicæ competens pro bonis ex illicita negotiatione provenientibus: Nos Con-  
 stituciones Pii, & Pauli Prædecessorum Nostrorum præfatas, quoad bona ex il-  
 licita negotiatione hujusmodi a Civibus, & Curialibus, sive Incolis Clericis  
 cujuscumque Ordinis, ac Dignitatis quibuscumque indultis, ac privilegiis mun-  
 titis comparata, & in Urbe, ejusque districtu præfatis, & ubicumque existen-  
 tia minime ad præmissorum effectum suffragari, sed illa sic provenientia Ca-  
 meræ Nostræ Apostolicæ vero jure spoliis deberi; perinde ac si Constitutiones  
 Pii, & Pauli Prædecessorum hujusmodi ad præmissorum, & singulorum effe-  
 ctum impediendum minime emanatæ fuissent. Motu simili pariter declaramus,  
 & statuimus, dictasque Pii, & Pauli Prædecessorum Constitutiones, quoad  
 præmissorum effectum fortiendum plenariæ abrogamus, & abotemus.

Decernentes sic in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices,  
 & Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet  
 quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, &  
 definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his a quovis quavis  
 auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabili  
 Fratri Nostro Annibaldi S. R. E. Cardinali Episcopo Sabinen. Albani nuncu-  
 pato Camerario Nostro, & ejus in Camerariatus officio successoribus, per Apo-  
 stolica scripta mandamus, quatenus spolia ipsa ex bonis ex illicita negotiatio-  
 ne provenientia, uti vere spolia prout alia ipsius Cameræ jura exigunt, & re-  
 cuperari, ac præfatas Nostras Literas inviolabiliter observari faciat, nec per-  
 mittat, Cameram ipsam, vel pro ea agentes desuper modo aliquo molestari,  
 percurbari, aut inquietari, Contradictores quoslibet, & Rebelles per censuras,  
 & poenas Ecclesiasticas, & appellatione postposita compescendo, nec non ille-  
 gitimis

PONT. A. I. gitimis super his habendis servatis processibus censuras, & pœnas ipsas etiam ANNO  
 iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ab hoc, si opus fuerit, auxilio  
 brachii secularis. Non obstantibus prædictis Pii, & Pauli Prædecessorum, aliis- 1742  
 que Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis genera-  
 libus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quibusvis facul-  
 tatibus testandi, aliisque privilegiis, indultis, & litteris Apostolicis quibusvis  
 concessis, approbatis, & innovatis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus  
 specialis, & expressa mentio faciendâ esset, illorum tenores pro sufficienter ex-  
 pressis habentes, illis in reliquis in suo robore permanentibus, cæterisque con-  
 trariis quibuscumque: etiam si aliquibus communiter, vel divisim ab Aposto-  
 lica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non pos-  
 sint, per Litteras Apostolicas non facientes, plenam, & expressam de indulto  
 hujusmodi mentionem. Et quia difficile foret præsentibus Nostri Literas ad  
 singula quæque loca deferri, volumus, & declaramus, quod earum transum-  
 ptis etiam impressis manu Notarii publici subscriptis, & alicujus Prælati sigillo  
 munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus  
 adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum  
 liceat hanc paginam Nostri Decreti, approbationis, confirmationis, innovatio-  
 nis, declarationis, statuti, ordinationis, concessionis, derogationis, & volun-  
 tatis infringere, vel ei ausu temerario contrahere. Si quis autem hoc attemptare  
 præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac B. Petri, & Pauli  
 Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Mariam Ma-  
 jorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo  
 primo, quinto Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno primo.

D. Card. Passionius,

X. Sub-Datarius,

VISA DE CURIA

N. Antonellus.

J. B. Eugentus.

Loco ✝ Plumbi,

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicat. die VIII. Martii ejusdem Anni.*

*Negotia vero Sæcularia a Clerico fugienda eruntur.*

Ex Concil. Provincial. Mediolan. Primo,

**Q**UI Deo militat implicare se negotiis sæcularibus prohibetur; Idcirco edicimus.  
 Ne Clericus sacris initiatus, aut Ecclesiastico Beneficio prædictus, coram  
 Judge Sæculari Advocati, aut Procuratoris nomine causas agat, nisi ab  
 aliis in Judicium vocatus, suam, vel Ecclesiæ suæ, propinquorum etiam, si  
 necesse erit, & miserabilium Personarum causas, ab Episcopo facultate prius  
 scripto concessa, tueatur.

Ne in prophanis negotiis officium tabellionis exercent.  
 Ne artem medendi faciat,

Ne

**PONT.** Ne in negotiationibus, & mercaturis se interpretem, & medium interponat. **ANNO**  
Negotiationem etiam omnis generis omnino prohibemus.

**A.J.** Artes vero honestas concedimus, ut aliquod manibus suis lucretur, quo sibi, 1740  
quæ ad victum necessaria sunt, comparare possit.

Ne aliena prædia lucri causa conducatur.

Ne aliarum tutelam, aut curam suscipiat,

Ne pro aliis fidejubeat.

Ne alicujus Principis, aut alterius negotiorum procurator sit, sine facultate ab  
Episcopo prius per literas impetrata, singulis annis renovanda.

Neve parum memor Ordinis, ac dignitatis suæ, sit in famulatu Laicorum,  
etiam Principum, eorumve quibulvis aliis obsequiis; nisi cui ex causa, &  
ad officium Sacerdotali munere non indignum, Episcopus hujus rei potesta-  
tem ante scripto fecerit. Hujusmodi autem licentiæ scripto permissæ quotan-  
nis renoventur; alioquin irritæ, ac nullæ sint.

Neve præcursor, aut assecla Fœminarum, aut eis discumbentibus adsistat,  
aut ancilletur.

Qui autem hujusmodi sæcularia negotia exercendi facultatem, seu dispensatio-  
nem impetrarit, intra duos menses Episcopo exhibeat.

Quæcumque in hac universa, quæ ad vitam, & honestatem Clericorum per-  
tinent, parte, variis titulis expressa præcepta continentur; efficiat Episco-  
pus ut ea omnia ab omnibus, ad quos spectat, diligenter, & inviolate  
serventur.

Qui vero Clericus cujusvis etiam gradus, ordinis, dignitatis in aliqua re iis  
non obtemperarit; is aut salutaris pœnitentia, aut pecunia, aut suspensio-  
ne ab Ordinum munere, & beneficiorum administratione, aut etiam bene-  
ficiis, aut carcere, aut exilio, aut pluribus semel ex iis pœnis, aut etiam  
gravioribus pro modo culpæ Episcopi arbitrato mulsetur.

Qui iterum in eadem re peccarit, duplicata is pœna pro ratione criminis ab  
eodem plectatur.

Quæ in Concilio Provinciali primo, iis qui sacris Ordinibus, & Sacerdotio  
initiati sunt, quique Ecclesiasticum beneficium obtinent de sæcularibus ne-  
gotiis fugiendis constituta sunt, eadem pœnis iisdem, vel aliis, quas arbitra-  
tu suo Episcopus edixerit, irrogavitve, illis præscribimus, qui Minorum Or-  
dinum Clerici sunt, etiam si nullum beneficium obtinent, si modo Clerica-  
lem vestitum deserunt: Cum præsertim jam inde usque a teneris annis se  
religionis, pietatisque institutis, & disciplinæ Ecclesiasticæ moribus imbuant  
oportet, qui in sortem Domini vocati sunt. Atque in iis quidem, quæ il-  
lis vitanda sunt, hæc etiam cautio sit; Ne sine Episcopi concessu, eoque  
litteris exarato Laicis in servitute, famulatuve operam navent.

Nec vero cuiquam Clerico eam facultatem det Episcopus in aliqua re inter-  
veniendi, quæ Clericalis vitæ rationibus, pietatisque officiis non admodum  
conveniat.

## P R O V I D E T U R

*Abusus adversus Jejunii Quadragesimalis observationem investis.*

*Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, & Episcopis universis gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.*

## B E N E D I C T U S P P. XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**N**ON ambigimus, Venerabiles Fratres, quin universis Catholicæ Religionis Cultoribus notum sit, a tota per Christianum Orbem Ecclesia inter præcipua Orthodoxæ disciplinæ capita perpetuo adnumeratum retineri Quadragesimale Jejunium; quod olim in Lege, & Prophetis primitus adumbratum, ipsius Domini nostri Jesu Christi exemplo veluti consecratum, ab Apostolis traditum, a Sacris Canonibus ubique præscriptum, & ab universali Ecclesia ab ipso suo primordio retentum, & observatum est. Hoc nimirum, ut veteres tradidere Patres nobis quotidie peccantibus communis pœnitentiæ constituto remedio, per consortium Crucis Christi nos etiam aliquid in eo, quod ipse propter nos præstitit, agimus: simulque ad recolenda sacratio-  
tiora Redemptionis nostræ mysteria, quæ per Dominicæ passionis, ac Resurrectionis memoriam, Quadragesimali potissimum tempore solemnius celebrantur, purificatis Jejunio corporibus, & animis dignius paramur. Hoc veluti nostræ militiæ tessera ab inimicis Crucis Christi secernimur, flagella divinæ ultionis avertimus, & cælesti præsidio in dies adversus Principes tenebrarum munimur. Hoc despectui habito non contemnendum divinæ gloriæ detrimentum, non leve Catholicæ Religionis dedecus, nec dubium animabus Christifidelium periculum oboritur: nec aliunde populis calamitates, rebusque publicis, & privatis cladem, exitiumque importatum esse constat. Ab hac vero insita, inhærentique in omnium Catholicorum hominum animis de sacratissima Quadragesima, aliisque diebus jejunio consecratis persuasione, & reverentia quam aliena, quam discors, quam absorta sit hodierna Jejunantium consuetudo, quantum ab ipsa Jejuniorum institutione, & servata semper, ubique, & ab omnibus disciplina quam longissime distet; Vos, Venerabiles Fratres, qui populorum curæ vestræ commissorum mores, & usus probe nostis, pro singulari sapientia vestra præ ceteris clarius intelligitis. Nos sane, quibus in hac sublimi Apostolicæ procuratoris specula constitutis undique gentium nunciis afferuntur, lacrymis deplorare non possumus, augustissimam Quadragesimalis Jejunii observantiam ob nimiam nullis legitimis urgentibus causis ubique indiscriminatim dispensandi facilitatem plane sublatam esse; itaut Orthodoxæ quidem Religionis Cultores merito querantur, hæresum vero Sectatores illudant, & exultent. Perniciosæ huic corruptelæ plurimorum insuper licentiam adjunctam esse graviter dolemus, quæ usque adeo invaluit, ut nulla Apostolici Instituti, sacratissimique præcepti habita ratione, Jejuniorum tempore palam, & impune ab iisdem agitentur Convivia, & Epulæ interditiæ promiscue inferantur. Ea propter quemadmodum quibus curis, sollicitudinibus, & angoribus urgeamur, cum Fraternitatibus Vestris communicamus, ita facere non possumus, quam pro injuncto Nobis supremo sacrosancti Apostolatus officio, & ardentissimum Fraternitatum Vestrarum zelum ad opportunum hisce

PONT. malis adhibendum remedium excitemus, & ad congruentes hujusmodi abusibus ANNO  
penitus extirpandis leges præscribendas meditemur. Interea, Venerabiles Fra-  
A. I. tres, gaudium & corona nostra, nobiscum considerantes, nihil gregibus Deo 1741  
acceptius, nihil pastoralis ministerio nostro dignius, nihil gregibus curæ nostræ  
commisissis utilius quam ut verbo, & exemplo præeuntes, Critifideles ad tam  
salutarem Christianæ pœnitentiæ, & pietatis exercitationem alacrius suscipien-  
dam, constantissime retinendam, & ea, qua instituta fuit, disciplina peragen-  
dam vehementius inflammemus; omni opera, atque industria studeamus, ut  
fideles populi in conspectu Dei per austeriorem jejuniorum observantiam tales  
permaneant, quales in ipso Paschali festo dignum est inveniri. Debitum igitur  
paternæ uniuscujusque vestrum sedulitatis, & charitatis officium jure po-  
stulat, ut omnibus notum faciatis, & annuncietis, nemini quidem sine legitima  
causa, & de utriusque Medici consilio; multitudini vero, veluti populo,  
aut civitati, aut genti discriminatim integræ, non nisi gravissima & urgen-  
te necessitate, & in casibus per sacra Canonum statuta præscriptis cum debita  
Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis reverentia a Quadragesimali Jejuniis dispensationem  
toties, quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter fidenterque usur-  
pandam, nec superbe & arroganter ab Ecclesia, sicut alicubi in more positum  
esse accepimus, esse postulandam. Gravissimam vero urgentemque necessita-  
tem, etsi non est, cur Vobis explicemus, nolumus tamen Vos ignorare, cum  
hujusmodi necessitate & servandam esse potissimum Unicam Comestionem, si-  
cut alias hic Romæ, ac Nos ipsi hoc anno urgentibus causis dispensantes, ex-  
presse præscripsimus, & licitas atque interdictas Epulas promiscue minime ap-  
ponendas esse. Porro quemadmodum de ejusmodi Indulgentia tam caute im-  
pertienda, si secus fieret, Nos persuasum habemus, districtam suprema Divi-  
no Judici reddituram rationem, ita conscientiam uniuscujusque Vestrum one-  
randam esse ducimus. Insimul Fratritates Vestras rogamus, & in Domino  
exhortantes, obsecramus, ut populos, qui communem omnium Christifidelium  
pœnitentiam, ac disciplinam servare nequent, commovere satagatis, ne per  
alia pietatis opera, ut sua cuique devotio suggeret, peccata sua expiare, &  
Deo satisfacere negligant; quinimo sanandis vulneribus, quibus humana in-  
firmitas fauciatur, diligentem adhibere studeant curationem, ut culpas de  
mundano pulvere contractas, dum casta jejunia decoquere non possunt, pia  
opera, orationum suffragia, & eleemolynæ munere redimant. Interim solati-  
um, & levamen non leve mœrori nostro a pastoralis vigilantia, & charitate  
vestra præstolantes, at certo Vobis pollicentes, Apostolicam benedictionem cum  
uberi cœlestium chrismatum copia conjunctam in eisdem populos vestros re-  
dundaturam, Vobis Venerabiles Fratres, peramanter impertimur. Volumus  
autem, ut præsentium transumptis, sive exemplis etiam impressis manu ali-  
cujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica  
constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus  
adhiberetur, & adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostentæ. Datum Ro-  
mæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die trigesima men-  
sis Maii millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus Nostrî  
Anno primo.

D. Cardinalis Passioneus,



INNOVANTUR

*Pœne adversus Confessarios, qui Pœnitentes ad turpia sollicitant, cum præcepto hujusmodi denuntiandi, & reservatione absolutionis, quoad Calumniatores. Admittitur præterea Sacerdotibus facultas Sacramentum pœnitentiæ administrandi complicibus in peccato contra castitatem cum pœnis &c.*

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**S**acramentum pœnitentiæ, quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt, Nos licet immerentes ad universi Domini Gregis curam superna dispositione vocati omne studium, & Pastoralem sollicitudinem adhibere tenemur, ne, quod post amissam Baptismi innocentiam datum est Divina benignitate perfugium, per Dæmonum fraudem, & hominum Dei beneficiis perverse utentium malitiam naufragis, ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium; & quod in salutem, & curationem Animarum a Deo, qui dives est in misericordia, institutum est, execrabili scelestorum quorundam Sacerdotum improbitate in earum perniciem, atque interitum vertatur.

Dudum quidem a fel. rec. Gregorio Papa XV. Prædecessore nostro per suas literas in forma Brevium subdatum Romæ apud S. Mariam Majorem die XXX. Augusti MDCXXII. Pontificatus sui anno secundo, sapienter provitum fuit contra quoscumque Sacerdotes audiendis Confessionibus deputatos ad turpia, & inhonesta sollicitantes; Et deinceps successivis temporibus ad earum literarum interpretationem, ac declarationem plura subinde a Congregatione Vener. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum sub die XI. mensis Februarii anno Domini MDCLXI. prodierunt decreta, & a fel. rec. Alexandro Pp. VII. pariter Prædecessore nostro in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Universalis Inquisitionis die XXIV. Septembris MDCLXV. coram eo habita, inter alias ab Evangelica veritate, & Sanctorum Patrum doctrina alienas, & dissonas propositiones, texta videlicet & septima, huc revocandæ, damnatæ, & prohibitæ fuerunt; Nos itaque mature perpenses quanti momenti sit ad æternam animarum salutem ea ubique exacte observari, & quanti ad infirmas Oves curandas, & decorem S. Ecclesiæ Dei retinendum interfit, ne aliqui Sacerdotes pœnitentiæ Sacramento nefarie abutentes Pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant, sed animo secum recolentes, se a Christo Domino Præsides, & Judices animarum constitutos, ea sanctitate, quæ sublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum administrent, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostra præfatas literas hujusmodi, ac omnia, & singula decreta prædicta ad illarum interpretationem, & declarationem emanata Apostolica Auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; atque etiam, quatenus opus sit, denuo committimus, & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & Locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum universi Orbis Christiani-

PONT. ni in suis respective Diœcesibus, ut diligenter omnique humano respectu post-  
 A. I. posito inquirant, & procedant contra omnes, & singulos Sacerdotes tam Sæ-  
 culares, quam Regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicæ imme-  
 diate subiectos, quorumcumque Ordinum, Institutum, Societatum, & Con-  
 gregationum, & cuiuscumque Dignitatis, & Præminentia, aut quovis Pri-  
 vilegio, & Indulto munitos, qui aliquem Pœnitentem, quæcumque persona  
 illa sit, vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel ante, vel immediate post  
 Confessionem, vel occasione, aut prætextu Confessionis, vel etiam extra oc-  
 casionem Confessionis in Confessionali, sive in alio loco ad Confessiones audien-  
 das destinato, aut electo cum simulatione audiendi ibidem Confessionem ad in-  
 honesta, & turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nu-  
 tibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam tentave-  
 rint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, vel tractatus temerario  
 ausu habuerint; Et quos in aliquo ex huiusmodi nefariis excessibus culpabiles  
 repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis severe animadver-  
 tant per condignas pœnas juxta memoratum Gregorii Prædecessoris Nostri Con-  
 stitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus: Dan-  
 tes etiam, si opus sit, & rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enor-  
 me, & Ecclesiæ Dei injuriosum remaneat ob probationum defectum impuni-  
 tum, jam alias in prælata Constitutione tributam procedendi cum Testibus  
 etiam singularibus, dummodo præsumptiones, indicia, & alia adminicula  
 concurrant.

Meminerint præterea omnes, & singuli Sacerdotes ad Confessiones audien-  
 das constituti teneri se, ac obligari suos Pœnitentes, quos noverint, fuisse ab  
 aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere juxta occurrentium casuum circum-  
 stantias de obligatione denunciandi Inquisitoribus, sive Locorum Ordinariis præ-  
 dictis, Personam, quæ sollicitationem commiserit, etiamsi Sacerdos sit, qui  
 jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter  
 Confessarium, & Pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi Pœnitens con-  
 senserit, sive consensum minime præstiterit, vel longum tempus post ipsam  
 sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio a Confessario, non pro se ipso  
 sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii, ne  
 Pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutio-  
 nem impertiant, nisi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes  
 delinquentem indicaverit competenti Judici, vel saltem se, cum primum po-  
 terunt, delaturos spondeant, ac promittant.

Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira,  
 vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impii suasionibus, aut promif-  
 sis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei  
 judicio posthabito, & Ecclesiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud  
 Ecclesiasticos Judices falso sollicitationis insimulant; Ut igitur tam nefaria au-  
 dacia, & tam detestabile facinus metu magnitudinis cœrceatur, qui execra-  
 bili huiusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsum innocentes Confessa-  
 rios impie calumniando, vel scelestè procurando, ut id ab aliis fiat, a quo-  
 eum e Sacerdote quovis privilegio, auctoritate, & dignitate munito, præ-  
 terquam a Nobis, Nostriſque Successoribus, nisi in fine vitæ, & excepto mor-  
 tis articulo spe absolutionis obtinendæ, quam Nobis, & Successoribus prædi-  
 ctis reservamus, perpetuo careat.

Demum magnopere cupientes a Sacerdotalis Judicii & Sacri Tribunalis fan-  
 ditate omnem turpitudinis occasionem, & Sacramentorum contemptum, &  
 Ecclesiæ injuriam longe summovere, & tam exitiosa huiusmodi mala prorsus  
 eliminare, & quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere,  
 quas sacrilegi quidam Dæmonis, potius, quam Dei Ministri, loco eas per Sa-  
 cramentum Creatori suo, ac Nostro reconciliandi, majori peccatorum mole

PONT. onerante in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt, nonnullorum ANNO

4. I. Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & aliquorum in Theo- 1741

logia Magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurimum Episcoporum supplicationibus, hac nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum a pluribus Episcopis per Synodales suas Constitutiones jam factum, esse novimus, omnibus, & singulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuscumque Ordinis, ac Dignitatis, tametsi alioquin ad Confessiones excipiendas approbatis, & quovis Privilegio, & Indulto, etiam speciali expressione, & specialissima nota, & mentione digno suffultis, Auctoritate Apostolica, & Nostra potestatis plenitudine interdiciamus, & prohibemus, ne aliquis eorum extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem sacramentalem personæ complicitis in peccato turpi, atque inhonesto contra sextum Decalogi Præceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, adeo quidem, ut absolutio, siquam impertierit, nulla, atque irrita omnino sit, tamquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per præsentem has nostras adimere intendimus; Et nihilominus si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, a qua absolvendi potestatem Nobis solis, Nostrisque Successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat: Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cujuscumque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuslibet Indulti Confessionem dicti complicitis hujusmodi quicquam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem etargiri; cum ad hunc effectum, & in hoc casu nullus Confessarius, utpote qui in hujusmodi peccati, & Pœnitentis genere jurisdictione, ut præfertur, careat, & absolvendi facultate a Nobis privatus existat, habendas sit pro Confessatio legitimo, & approbato. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis præsertim, quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ, vel Jubilæi universalis, & plenarii, nec non quibusvis Ecclesiarum, & Monasteriorum, & Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam jramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, Literis & Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis: Quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus denique, ac præcipimus, ut omnes Locorum Ordinarii, tam præsentem, quam futuri pro tempore, existentes in approbatione Confessariorum, tam prædictam Constitutionem Gregorii Prædecessoris, quam præsentem hanc Nostram ab omnibus Sacerdotibus approbandis attente legi, & accurate observari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut Sacrum Ministerium ipsorum fidei commissum summa animi innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant, exhibeantque semetipsos, ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei; Memores præterea sint, se locum tenere, ac vices obire Summi, atque æterni Sacerdotis, qui Sanctus, innocens, impollutus, per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut daret conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventibus. Sedulo igitur studeant, diligenterque caveant, ne quærentibus, & pulsantibus eorum culpas Cælum claudatur, ne deperditæ Oves ad Ovile Dominicum redire properantes eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur, ne Prodigii Filii egentes, & saucii, ad cælestem Patrem revertentes nefaria eorum improbitate

PONT. bitate gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur. ANNO

A. I. Ut autem præsentibus Literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, & ne-  
mo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad  
valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancel-  
lariæ Apostolicæ, Curiaque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi  
Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari, sicque publicatas, & affi-  
xas omnes, & singulos quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac  
si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent: utque ipsa-  
rum præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu  
alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica Digni-  
tate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud, ubi-  
que adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ voluntatis, san-  
ctionis, præcepti, mandati, & delegationis infringere, vel ei ausu temerario  
contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipo-  
tentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incurfu-  
rum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Do-  
minicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo Kal. Junii, Pontifica-  
tus Nostri Anno primo.

X. Sub-Datarius.

VISA DE CURIA

Pro D. Card. Passioneo.

N. Antonellus.

Cajetanus Amatus.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.  
Publicat. die XVII. Junii ejusdem Anni.

PON 7.

NUM. VIII.

ANNO

A. I.

MERCIMONIA

1741

Super Eleemosynis Missarum vetantur, sub pœna censurarum, quarum absolutio  
Summo Pontifici reservatur.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis,  
& Episcopis universis gratiam, & communionem Sedis  
Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles Fratres salutem, & Apostolicam Benedictionem:

QUANTA cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ Sacrificium non so-  
lum omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur, verum etiam  
ut a tanti Sacrificii dignitate cujusvis generis mercedum conditiones,  
pacta, importunæ, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam  
postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæ-  
stu

PONT. ANNO  
 A. I. 1741

flu non longe absunt, e medio tollantur, nemo est ex Catholica Fidei cultoribus, qui ignoret. Verum eo usque tandem progressa est, sicut non sine ingenti cordis nostri mœore undique accepimus, nonnullorum sive Ecclesiasticorum, sive Laicorum Virorum avaritia, quæ est idolorum servitus, ut eleemosynas quidem, seu stipendia propter Missarum celebrationem juxta locorum consuetudines, vel Diœcesanarum Synodorum Sanctiones in subsidium alimenterum uniuscujusque Sacerdotis dumtaxat pro regionum opportunitatibus præscripta colligant, Missas vero celebrari curent alibi, ubi eleemosynæ, se stipendia vel consuetudine, vel Synodali lege pro singulis Missis attributa sunt minoris pretii, quam illic, ubi accipiuntur, darentur. Id quam absolum sit, atque alienum ab ipsa expressa, sive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt; nec aliter existimandum est; in illa enim potius Missas esse celebrandas quisque vult, ad quam religionis & pietatis stimulis ductus eleemosynas confert, aut in qua quispiam fortasse tumulatus est, quam in alia Ecclesia sibi prorsus ignota. Quod sane veluti mercaturis faciendis ac turpis lucri cupiditate inductum non solum ab avaritiæ suspitione, & vicio, verum etiam a furti crimine; unde restitutioni subjacet, haud immune, in causa est, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujusmodi venit, graviter offensi, ab eleemosynis ad celebrandas Missas amplius offerendis sese abstineant. Execrabilem hujusmodi abusum alicubi sensim irrepentem detestantes Romani Pontifices Prædecessores nostri, de consilio tum Congregationis S. R. E. Cardinalium Universalis Inquisitionis contra hæreticam pravitatem, tum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Decretum voluerunt, nimirum a quolibet Sacerdote stipendio, seu eleemosyna majoris pretii pro celebratione Missæ a quocumque accepta non posse alteri Sacerdoti Missam hujusmodi celebraturo stipendium, seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem Sacerdoti Missam celebranti & consentienti se majoris pretii stipendium, seu eleemosynam accepisse indicasset. Ea propter Vos, Venerabiles Fratres, in Apostolici Ministerii, & sollicitudinis nostræ partem adscitos rogamus, & maxime in Domino hortamur, ut custodientes vigilias super, gregibus vestris, enitami, ne ea pestis amplius pervagetur, sed ut penitus extinguatur. Ab avaritia enim, tamquam a radice mala germinant; quam quidam appetentes, erraverunt a Fide, & inseruerunt se doloribus multis. Avaria quidem nulla potior contagio, quæ conceptam apud omnes Sacerdotalis dignitatis perfectionisque opinionem magis inficiat, evellatque. Avaritia opibus Deum posthabere, ac servire Mammonæ docens, efficit, ut Avari hæreditatem non habeant in Regno Christi & Dei. Quod si hæc in Laicis hominibus minime toleranda, atque adeo legibus coercenda, quid in Ecclesiasticis viris, qui terrenis rebus nuncium miserunt, qui in sortem Domini vocati, qui Deo mancipati sunt? Quid, quod non per mundana lucra, sed per Altaris ministerium tam sordide, & cum sanctissimarum legum contemptu & cum Sacerdotalis characteris dedecore in avaritiam præcipiti animo rapiuntur? Contendite igitur, Venerabiles Fratres, quibus Christi ovium cura demandata est, non solum ut verbo & exemplo præeuntes, Christi sitis bonus odor in omni loco, unde populi vestigia vestra sequantur; verum etiam ut Ecclesiasticos primum, deinde Laicos viros ab infectis vitiorum pascuis avertentes, per viam mandatorum Dei ad cæleste Ovile currere doceatis. Quoniam autem ita comparatum est, ut præsentis pœnæ metu salutaribus monitis facilius obtemperetur; per Edictum in vestris Diœcesibus proponendum affigendumque, Universalis notum facite, quemcumque qui eleemosynas, stipendia seu majoris pretii pro Missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines, vel Synodalia Statuta exigunt, colligens Missas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum, seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem, sive alibi, ubi pro Missis celebrandis minora stipendia, seu eleemosynæ tribuuntur, celebrari fecerit, Laicum

PONT. cum quidem seu Sæcularem, præter alias arbitrio vestro irrogandas pœnas, ANNO  
 A. I. Excommunicationis pœnam; Clericum vero, sive quemcumque Sacerdotem pœ- 1741  
 nam Suspensionis ipso facto incurrere, a quibus nullus per alium, quam per  
 ipsos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis arti-  
 culo constitutus, absolvi possit. Fore autem in Domino confidimus, ut unus-  
 quisque memor conditionis suæ, posthac beneconsultum velit animæ suæ, nec  
 tam salutares leges, centurasque Ecclesiasticas parvipendat. Interea Fraterni-  
 tatibus Vestris Apostolicam Benedictionem in populos etiam curæ vestræ com-  
 missos redundaturam peramanter impertimur. Volumus autem, ut præsentium  
 literarum transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii  
 publici subscriptis, & Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ mu-  
 nitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ip-  
 sis præsentibus, si forent exhibitæ, vel offensæ. Datum Romæ apud Sanctam  
 Mariam Majorem sub Annullo Piscatoris die trigesima mensis Junii millesimo  
 septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus Nostri Anno Primo.  
 D. Cardinalis Passionensis.

## N U M . IX.

PONT.

ANNO

## D E C L A R A T U R

A. II.

1741

*Unicam Comessionem diebus Jejunii ob omnibus servandam esse, etiam ab iis,  
 quibus ob peculiare causas permittitur essus Carnium, Ovorum &c.*

*Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis,  
 Archiepiscopis, & Episcopis universis gratiam, & communi-  
 onem Sedis Apostolicæ habentibus.*

## B E N E D I C T U S P P . X I V .

*Venerabiles Fratres, Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

**I**N suprema universalis Ecclesiæ procuratione meritis licet imparibus per  
 ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, ut orthodoxæ fidei assertores,  
 sic etiam Ecclesiasticæ disciplinæ custodes, ac vindices constituti, quadra-  
 gesimale præsertim Jejunium, quod inter præcipua orthodoxæ disciplinæ ca-  
 pita semper, & ubique ab ipso Ecclesiæ exordio numeratam esse nemo ex ca-  
 tholicis inficiatur, ab hodierna lejunantium corruptela vindicare, & in pri-  
 stinam, quantum benedicente Domino fieri possit, observantiam revocare cu-  
 pientes, per alias Nostras, in simili forma Brevis literas ad Fraternitates Ve-  
 stras die XXX. proxime elapsi mensis Maii currentis Anni datas, eximium  
 Fraternitatum Vestrarum zelum excitandum curavimus, ut adlaborare studere-  
 tis, ne in hac parte, & optatum Apostolicæ nostræ sollicitudinis angoribus,  
 levamen & salutare abolendæ sacratissimi Jejunii corruptelæ remedium deesset.  
 Quoniam autem Paternæ Pontificæ charitatis, quæ novit Imbecillitates infir-  
 morum sustinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores,  
 quemadmodum a Jejunio aliquando legitima causa, aut gravissima, urgentique  
 necessitate exigente dispensandum esse ex Apostolica benignitate censuimus,  
 ita inter cætera præscripsimus unicam comessionem servandam, & licitas, at-  
 que interdictas epulas minime esse apponendas. Hinc factum esse accepimus,  
 quod non desuerint, qui per humanas, & hominibus a Christiana pœnitentia  
 dumtaxat abhorrentibus, dumtaxat dignas illationes sibi, aliisque periuadeant,  
 unicam potissimum comessionem servari, atque epulas licitas, & interdictas mi-  
 nime apponi debere; quum multitudini quidam indiscriminatim ob urgentem  
 gravi-

PONT. gravissimamque necessitatem, non vero singulis ob legitimam causam, & de ANNO  
 A. H. utriusque Medici consilio dispensatur. Quam sane persuasionem a sententia nostra  
 alienam, ut ex animis pœnitens evellamus, Nos quibuscumque, quacumque oc- 1741  
 casione, sive multitudini indiscriminatim ob urgentem, gravissimamque neces-  
 sitatem, sive singulis ob legitimam causam, & de utriusque Medici Consilio,  
 dummodo nulla certa, & periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, & ali-  
 ter fieri necessario exigat, in Quadragesimæ, aliisque Anni temporibus, & die-  
 bus, quibus carniæ, ovorum, & lacticiniorum usus est prohibitus dispensari  
 contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem ser-  
 vandam, & illicitas, atque interdictas epulas minime esse apponendas, tenore  
 præsentium declaramus, & edicimus; Quemadmodum per singulas Nostras in  
 pari forma Brevis literas singulis utriusque sexus Christianidelibus ob corporis in-  
 firmitates, quibus obnoxii reperiuntur, in sacratissima Quadragesima, aliisque  
 Jejunio consecratis diebus vescendi prohibitis licentiam dantes, unicuique ex-  
 prelle præscribimus, atque præcipimus. Ea propter Fraternitates vestras roga-  
 mus, atque in Domino obsecramus, ut Populos Vestræ curæ commissos ad tam  
 oportunitum sanandis vulneribus, quibus per humanam infirmitatem quisque fau-  
 ciatur, Sanctissimi Jejunii remedium alacriter adhibendum cohortantes, sedulo,  
 ac paterne moneatis, rem agi non quidem exiguum, sed longe gravissimam de  
 observando, sustinendoque Jejunio purificandis animis, corporibusque saluari.  
 In spem igitur illos erigite cœlestium præmiorum, quibus assequendis non sunt  
 condignæ passiones hujus temporis, immo leve, ac momentaneum non tribu-  
 lationis, sed modicæ abstinentiæ Nostræ incommodum, magnum gloriæ pondus  
 operatur in Cælis; ab omnibus se abstineant, qui in agone contendunt, ut cor-  
 ruptibilem coronam accipiant, pudeat tam imbelles, ac delicatos Christianæ  
 Militiæ milites refugientes a consortio Crucis Christi, qui coronam legitime  
 certantibus propositam sperare præcipit incorruptam. Ad cuius auspiciam, &  
 pignus Fraternitatibus Vestris Apostolicam Benedictionem, iisdem etiam Popu-  
 lis vestris nostro nomine impertiendam peramanter largimur. Volimus au-  
 tem, ut præsentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu ali-  
 cuius Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica  
 constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus  
 adhiberetur, & adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ.  
 Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII.  
 mensis Augusti MDCCXLI. Pontificatus Nostri Anno secundo.

D. C. Passioneus.

PONT.

NUM. X.

ANNO

A. H.

COMMISSIONES

1741

*Causarum ad partes non aliis dirigenda esse statuitur, quam Judicibus  
 Synodalibus, quorum electio Ordinariis locorum commendatur, &  
 permittitur fieri extra Synodum cum Consilio Capituli.*

*Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis.*

BENEDICTUS PP. XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

QUAMVIS Paternæ vigilantæ, qua de Justitia unicuique integre, sapien-  
 terque administranda solliciti esse debemus, jamdiu innotuerit, quod Cau-  
 sæ extra nostram Romanam Curiam pro Litigantium commodo, ad partes (ut  
 ajunt) committi solitæ, iis, quandoquæ decidendæ, ac sine debito terminandæ

Pars I.

D

dele-

PONT. delegentur, qui tum congrua Juris peritia, tum quoque probitatis, spectata. ANNO  
que Fidei præsidio destituuntur: Acerbiori nihilominus doloris sensu percussi

A. II. fuimus, postquam hujusmodi abusus, rumore publico evulgatum, multorum 1742  
querelis ad Apostolicam Sedem delatis, eorumque literis ad Nos crebro datis  
aperius sensimus confirmari, Rationes præterea, & peculiare Causæ dicti abu-  
sus cum Nobis plures in eisdem literis obtenderentur, eas potissimum referri  
perspeximus eximio Prothonotariorum non Participantium numero, quibus,  
utpote in Dignitate Ecclesiastica constitutis in more positum est dictas Causas  
delegari, licet tempore quo ad hujusmodi Dignitatis, & Officii gradum pro-  
vehuntur, nulla meritorum, & qualitatatum fiat diligens inquisitio, nec sedulo  
examinetur; an polleant requisitis ad Jus dicendum, & Justitiæ habenas mo-  
derandas necessariis. Quam graves curas id animo nostro ingesserit, quamve  
intimo mœore affecti simus, ubi aliorum res, & negotia ob Judicium igno-  
rantiam, & malitiam periclitari, & in discrimen adduci rescivimus, intelliget  
plane cui perspectus erit ille, quo semper incensi sumus, Justitiæ admistran-  
dæ zelus: Sed cum silere diutius pro commissa Nobis Populorum salute Pater-  
na Charitas non pateretur, & ad propulsandam hanc corruptelam, restituen-  
damque judiciorum integritatem, congruis remediis manus admoveremus; No-  
vimus non recentes, sed obsoletas esse hujusmodi querelas, atque rem esse non  
de morbo nunc ingruente, sed jamdudum investo. Remedia ad illum averten-  
dum non esse modo excogitanda, sed antiquitus præstituta: Originem vero non  
Curia nostræ Romanæ, sed iis adscribi oportere, qui de praxi ejusdem Curia,  
injuste nimis conqueruntur. Si enim longe præteriti temporis ratio habeatur,  
facile quisque conjiciet fel. record. Bonifacio Papæ VIII. has quærimonias fui-  
se suggestas, eundemque Pontificem ad implendas Apostolici regiminis partes  
sua Decretali *Statutum de Rescriptis in 6.* consulto prescriptis ne a Sede  
Apostolica, ejusque Legatis Causæ imposterum aliis delegarentur, quam Per-  
sonis in Dignitate Ecclesiastica constitutis, & quibus sive Canonatus in aliqua  
Cathedrali Ecclesia obtigisset: Judicia præterea non in obscuro, sed in insigni,  
& populoso Oppido, ac in Urbibus instrui oportere, in quibus Peritorum Ju-  
dicium copia commode haberi posset.

Sacro etiam Concilio Tridentino hanc ipsam Imperitorum Judicium querelam  
propositam fuisse, fas est credere: Postquam etenim *sess. 25. de Reformat. c.*  
*10.* præmissum fuit, a Sede Apostolica Judicibus non undequaque idoneis Cau-  
sas in partibus delegari, & id fieri tum ob malitiosam petentium suggestionem  
tum quoque ob locoram longinquitatem, a quibus noticia Personarum, qui-  
bus Causæ mandentur, haberi non potest: *Statuit eadem Sancta Synodus in sin-*  
*gulis Conciliis Provincialibus, aut Diæcesanis aliquot personas, quæ qualitates,*  
*habeant juxta Constitutiones Bonifacii VIII, & alioquin ad id aptas designari,*  
*quibus imposterum Causæ comitterentur; Et si aliquem interim ex designatis mori*  
*contingeret, substitueret Ordinarius Locum cum consilio Capituli alium in ejus locum*  
*usque ad futuram Provinciale, aut Diæcesanam Synodum: Itaut haberet quævis*  
*Diæcesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas, & qualificatas Personas, qui-*  
*bus hujusmodi Causæ committerentur; Alioquin post designationem factam, quam*  
*statum Episcopi ad Summum Romanum Pontificem transmitterent, delegationes*  
*quæcumque aliorum Judicium, aliis, quam his factæ, subreptitiæ censeantur.*

Cum vero Concilia Provincialia quolibet Triennio, Diæcesana anno quoli-  
bet ex præscripto Tridentini cogenda, ob varia, quæ obversantur impedi-  
ta, longius protrahantur, nec Episcopis subsit quandoque certa spes, quod iis  
propere sublatis, dicta Concilia haberi possint, atque in illis designari novi  
Judices Synodales, in locum illorum, qui defecerunt: Sæpe idcirco Congrega-  
tio Concilii Tridentini Interpres a Locorum Ordinarius requisita, consultissi-  
me respondit, subrogandorum Judicium electionem ab Episcopis esse faciendam  
cum Consilio Capituli.



PONT. Providæ igitur, & vetustæ hujusmodi leges palam evincunt, antiqua esse ANNO  
 A. II. vulnera in hac parte disciplinæ illata, illaque modo recrudescere; non quia  
 congrua desit medela, sed quia negligitur ad præscriptum Canoniarum San- 1741  
 ctionum Judicum Synodaliæ designatio, quorum notitia si Romano pro tem-  
 pore Pontifici exhibitæ fuisset, eidem tantummodo Judicibus facta fuisset Cau-  
 sarum delegatio, semota quavis querelarum occasione.

Dum minoribus in hac Curia muneribus, atque illo præsertim Secretarii  
 Congregationis Concilii fungeremur, nihil Nobis fuit antiquius, quam Epi-  
 scopis, aliisque Ecclesiarum Prælatibus hosce sensus ingerere, eosque pro viribus  
 ad has Ecclesiasticas leges custodiendas sedulo commone: Nunc vero imper-  
 scrutabilis Consilii altitudine ad Supremum Apostolatus fastigium licet imme-  
 rentes evocati, pastoralis officii exigit ratio, ut nostris hisce literis certa vo-  
 bis imposternum methodus præscribatur, ad quamcumque dubiorum, & querela-  
 rum occasionem avertendam. Volumus, itaque, & mandamus, quod in iis  
 Diœcesibus, in quibus vigiles Ecclesiarum Antistites ad tramites Tridentinæ Syn-  
 nodi Judices elegerunt in Conciliis sive Provincialibus, sive Diœcesanis, ele-  
 ctorum Nomina quamprimum Nobis renuncient; & si forte unum, vel plures  
 illorum mori contingat, antequam denuo eadem Concilia cogantur, deceden-  
 tibus subrogentur novi Judices eligendi ab Episcopo cum Consilio Capituli,  
 qui Nomina subrogatorum in dicto munere, usque ad diem Synodi duraturo,  
 Nobis itidem significet. Ubi vero Concilia Provincialia, & Synodalia jamdiu  
 coacta non sunt, nec ulla idcirco facta dignoscitur Judicum electio, pro in-  
 juncta humilitati nostræ omnium Ecclesiarum sollicitudine, Archiepiscopos, &  
 Episcopos in Domino jugiter hortamur, & obtestamur, ut sublati quibusvis im-  
 pedimentis, eadem Concilia, sicubi ommissa sunt, quamprimum haberi curent:  
 interim vero cum consensu suorum Capitulorum Judices eligant, & Nomina  
 Electorum in Albo redacta Nobis remittant; & si mori aliquem contingat,  
 alios cum Consilio Capituli sufficiant, suffectosque Nobis indilate denuncient.  
 Quo autem ad Numerum eligendorum, ethi Tridentini Decreto cautum sit,  
 quatuor saltem in unaquaque Diœcesi eligi debere, plures nihilominus eligi  
 volumus, si Diœcesis amplitudo, aliæque peculiare circumstantiæ id pro-  
 be expostere videantur.

Monitos tamen esse volumus Locorum Ordinarios, quod licet ad tramites  
 præmissæ Decretalis Bonifacii VIII., cui etiam consona sunt disposita a Tri-  
 dentino, facultas judicandi tribuenda sit Personis Dignitate aliqua Ecclesiastica,  
 Personatu, vel Canoniatu Cathedralis Ecclesiæ insignitis; hujusmodi qualitates  
 ita esse accipiendas, ut non desit in persona ad hoc munus assumenda altera  
 potissimum requisita qualitas Doctrinæ, & idoneitatis, in qua summa Negotii  
 est constituta. Hoc pacto designati, & electi Judices Nostro Supplicum Libel-  
 lorum Secretario denuncientur ab Ordinariis, vel Immediate per se ipsos, vel  
 mediate per suos in Urbe Negotiorum Gestores: Nostræque erit vigilantæ so-  
 lenter cavere, ne imposternum ab Officialibus nostræ Curæ ad id Deputatis  
 Causæ aliis, quam dictis Judicibus delegentur. Quæ quidem dum Vobis, Ve-  
 nerabiles Fratres, per hæc Apostolica scripta nota esse volumus, in felicitatis  
 auspiciis, & paternæ dilectionis pignus Apostolicam benedictionem impertimur.  
 Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 26. Augusti 1741. Pontifi-  
 catus Nostri Anno Secundo.

*Commodi exigendi fructus Beneficiorum prohibentur sub pœna excommunicationis, & nullitatis contractus.*

## BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**U**NIVERSALIS Ecclesiæ cura, quam inscrutabilis Divinæ Sapientiæ, ac que Bonitatis altitudo humilitati nostræ committere dignata est, inter cæteras sollicitudines exigit etiam, ac postulat, ut diligenter invigilemus, ne Clerici Ecclesiasticis Beneficiis, quæ e liberali Ecclesiæ manu acceperunt, abutentes, eorum redditus, non sine aliorum fidelium scandalo incontra prodigalitate disperdant, sed tamquam boni dispensatores ita administrent, ut & vitæ suæ necessaria provideant, & pauperum inopiæ, & Ecclesiarum necessitatibus succurrant.

§. I. Relatum est ad aures nostras, quosdam Clericos Ecclesiasticis Beneficiis cum onere, vel sine onere residentia provisos, turpibus ut plurimum ex causis impulsos, annuos eorundem Beneficiorum redditus, quos donec viverent, percipere possent, unico actu alienare sub nomine cedendi commodum, seu utilitatem percipiendi fructus eorundem Beneficiorum, quos alteri, quoad vixerint, vendunt, recepta pecunia ad eam summam & quantitatem, quam ipsi, habita ratione eorum ætatis, & corporis valetudinis durante vita, verisimiliter consequi potuissent. Cum autem illi improvidi Clerici instar illius prodigi filii familias, de quo in Evangelio scriptum est: *cum substantiam suam a Patre recepisset, totam statim consumpsisse luxuriose vivendo, & deinde, facta fame valida coactum esse vivere de siliquis immundorum animalium*; pia Ecclesiæ subsidia, & Ecclesiasticos proventus in suas explendas cupiditates improbo huiusmodi contractu profundant, multa hic, & gravia mala, ut experientia ipsa compertum est, evenire solent. Nam primum non leve dedecus Ecclesiastico Ordini inuritur, & grave reliquis fidelibus scandalum generatur, dum vident Ecclesiasticas pecunias, quæ sunt vota fidelium, bona pauperum, patrimonium Christi, in pravos usus infumi, vel improvida profusione dissipari, quæ ab Ecclesiasticis, tamquam probis dispensatoribus, in solamen pauperum, & Ecclesiarum restaurationem impendi deberent. Præterea sæpe huiusmodi Clerici ad summam rediguntur egestatem, & ut se sustentare possint, vel indotote, non sine infamia Clericalis gradus, mendicant, vel indignis quæstibus, & negotiis operam prebent; Ecclesiam autem, & Ecclesiasticas res quodammodo averfantur, quasi fraudati mercede, vel stipendiis suis, quæ nullius culpa, sed solum vitio, & flagitiis suis amiserunt; Ideo Ecclesiastica munera, vel numquam, vel negligenter obeunt; Divinam Psalmodym, si ad eam in publicas Ecclesias ratione suorum Beneficiorum teneantur, frequenter omittunt; vel oscitanter persolvunt; Ecclesiasticos cœtus non frequentant; animarum salutem non curant; Divina fastidiunt; mundana festantur.

§. II. Volentes igitur hanc improbam consuetudinem, & non ferendam, pravitatem, qua non mediocriter Clericalis ordinis fama minuitur, & honor conculeatur, Ecclesiæ autem debito servitio, pauperes opportunis subsidiis, & Sacra ædes necessariis reparationibus, & ornamentis fraudantur, penitus abolere,

**PONT.** lere, motu proprio, ac certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque **ANNO**  
**A. II.** Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus Clericis quacumque dignitate, præ-  
 eminentia, honore, & privilegio insignitis interdiximus, & prohibemus, ne in **1741**  
 posterum audeant sub nomine alienandi utilitatem, & commodum percipiendi  
 fructus, vel alio quovis titulo, prætextu, & colore vendere, ac distrahere  
 suorum respectivè Beneficiorum redditus, & proventus, vel ad vitam, vel in  
 longum tempus, recepta ab Emptore per unam, vel plures solutiones pecu-  
 niarum quantitate, quam ipsi beneficiati per ejusdem temporis, vel vitæ spa-  
 tium probabilius consequi potuissent, sub pœna excommunicationis, & nul-  
 litatis actus, seu contractus, & omnium inde consecutorum, aliisque pœnis  
 inflicis, præscriptis, & statutis, rursus hic contra eosdem Clericos sic contra-  
 hentes renovare, decernere, ac statuere intendimus, & volumus. Et insuper  
 ad uberiores cautelam, & quatenus opus sit, omnes hujusmodi contractus,  
 quos in futurum fieri contigerit, motu, scientia, deliberatione, & potestate  
 simili damnamus, reprobamus, cassamus, irritamus, & annullamus, eosque  
 nullos, cassos, ac irritos decernimus, & declaramus, illosque suis auctoribus  
 tamquam invalidos, cassos, irritos, atque inanes, viribusque, & effectu ab ini-  
 tio vacuos neque in judicio, neque extra ad ullum effectum suffragari debere,  
 neminemque ad eorum observantiam obligari, etiamsi plures juramento firma-  
 ti, & vallati sint, sed nullum inde jus cuicumque, aut actionem, vel titulum  
 etiam coloratum possidendi, aut præscribendi per quodvis longissimum tempo-  
 ris spatium acquiri unquam posse pariter præcipimus, & jubemus.

§. III. Decernentes easdem præsentis literas, & in eis contenta quæcumque  
 nullo unquam tempore impugnari, aut retractari posse, sed semper firmas,  
 validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, integros effectus for-  
 tiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos, spectat, & pro tem-  
 pore quodcumque spectabit, inviolabiliter observari: Sicque, & non aliter  
 in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & De-  
 legatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ Sanctæ Ro-  
 manæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ præ-  
 fatus Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præminentia, & potestate fun-  
 gentes, & functuros sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, &  
 interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum  
 & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel igno-  
 ranter contigerit attentari: Non obstantibus quibuscumque privilegiis, indul-  
 tis, concessionibus, & gratiis Apostolicis tam generalibus, quam particulari-  
 bus, quantumvis speciali mentione, & nota dignis, quibuscumque Archiepi-  
 scopis, Episcopis, & aliis Superioribus, & inferioribus Ecclesiarum Prælatibus,  
 etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac eorum, & nostris familiari-  
 bus continuis commendabilibus, nec non literarum Apostolicarum Scriptoribus,  
 Abbreviatoribus, cæterisque Romanæ Curie Officialibus concessis, & confirma-  
 tis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. IV. Ut autem facilius præsentis literæ omnibus innotescant, & nemo  
 prætextu illarum ignorantia excusari possit, jubemus easdem ad valvas Eccle-  
 siæ Lateranensis, & Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ,  
 Curieque Generalis in Monte Citorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe,  
 aliisque locis solitis, & consuetis, ut moris est publicari, earumque exempli  
 affigi: Volumusque eas sic publicatas, omnes, & singulos perinde aspicere, &  
 obligare, ac si illis ipsis fuissent singulariter intimatæ; Exemplis quoque præ-  
 dictis etiam impressis, manuque Notarii Publici, & sigillo Prælati Ecclesiasti-  
 ci, vel ejus Curie obliquatis, eandem prorsus fidem adhiheri, quæ ipsis præ-  
 sentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino ho-  
 minum liceat hanc paginam nostri decreti, conlitationis, declarationis, an-  
 nullationis, infirmationis, prohibitionis, interdicti, ac voluntatis infringere, vel

PONT. vel ei ausu temerario contrahere; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, ANNO  
 indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum  
 A. II. ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno In- 1741  
 carnationis Dominicæ MDCCXLI. IV. Kalendas Septembris Pontificatus nostri  
 Anno Secundo.

D Card. Passioneus.

X. Sub-Datarius.

VISA DE CURIA

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Loco ✝ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die III. Octobris ejusdem Anni.

PONT.

NUM. XII.

ANNO

A. II.

RESIGNATIONES

1741

*Beneficiorum cum reservatione Pensionis, & pacto eam cassandi prohibentur, & annullantur; adjecta poena privationis Beneficii, inhabilitationis ad alia assequenda, restitutionis pecuniæ, &c. & irritantur cassationes, & extinctiones pensionum intra sex Menses a capta possessione Beneficii obtentæ.*

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

**I**N Sublimi Beati Petri Cathedra Divina dispensatione, licet immerentes, collocati, gravi dolore constringimur quoties considerationis nostræ oculos convertimus ad præstantiorem Dominici Gregis partem, hoc est ad Ecclesiasticum cœtum, eumque conspiciamus, vel pravis moribus, vel indecoris actibus dehonestari; non enim ignari sumus quanta sit inde in Populis corruptio- nis timenda perniciēs, si sal, unde cœtera condiri debent, evanuerit.

5. I. Pervenit quidem ad aures sollicitudinis nostræ, non raro contingere solere, ut quidam Clerici in minoribus, vel majoribus Ordinibus constituti, aut sola Ecclesiastica Tonsura decorati Beneficia, seu Officia simplicia, vel cum onere residentię possidentes, aliis resignent annua sibi pensione sub Apostolico beneplacito reservata inito eodem tempore pacto cum Resignatario cassandi, & abolendi dictam pensionem, repræsentata pecunia, nempe factis quibusdam anticipatis solutionibus pecuniarum, ad eam summam quæ abolitionem, & extinctionem, prædictæ pensionis, vel potius ad palliatam ipsius beneficii venditionem nefarie perficiendam, expressa inter Partes conventionem, stabilita fuit. Et quoniam prophani isti beneficiorum distractores, non ignorant, quod si hujusmodi improba pacta Datarie Apostolicæ nostræ ministris, aut nobis innotescerent, nunquam resignationes hujusmodi a Datario, vel Prodatorio nostro, vel a nobis, aliisque Romanis Pontificibus pro tempore existentibus admitte-

PONT. rentur; ut circumspēctam eorundem Datarīæ Apostolicæ Officialium, & no- ANNO  
 A. II. stram aliorumque Pontificum vigilantiam fallerent, callida malorum hominum  
 improbitas hanc perditionis viam, & rationem excogitavit: Arcano, & clan- 1748  
 destino pacto inter resignantem, & resignatarium, ad pensionem cassandam,  
 & extinguendam conventa pecuniæ quantitate, eaque quandoque etiam depo-  
 sita apud publicum mercatorem, seu mensam argentariam, unicum, ac simul  
 expediti curant Bullam resignationis Beneficii, & altera pensionis reservatæ su-  
 per eodem beneficio favore resignantis; ita tamen ut prope eodem, vel non  
 multo post tempore, quo supplicationi pro reservatione Pensionis solita data  
 apponitur, alia supplicatio subscribatur, seu signetur pro cassatione, atque ex-  
 tinctione ejusdem Pensionis per anticipatas, seu anticipandas solutiones facien-  
 da, nulla mentione facta de præcedenti abominanda conventionione, & simonia-  
 cam labem redolente pacto, quo Beneficii resignatio in occultam ipsius Benefi-  
 cii venditionem execrabili transformatione commutatur.

§. 2. Cum autem hujus generis pacta improba, & reprobata damnata sint,  
 & gratiæ hujusmodi cassationis, seu extinctionis Pensionis, tamquam subrepti-  
 tiæ, & dolosa calliditate obtentæ, & quæ, rei veritate, & totius negotii se-  
 rie expressa nunquam a sede Apostolica concessæ fuissent, nullæ, irritæ, ac  
 inanes sint, & in maximum animarum eas fraudulentè impetrantium damnum,  
 ac detrimentum tendant, & præterea scandalo simplicibus, & bonis abomina-  
 tioni & pluribus æterno exitio sint. Siquidem gratiarum hujusmodi impetrato-  
 res, qui Ecclesiastica Beneficia tali infami mercatu negotiantur potius quam re-  
 signant, non solum gravissimo peccato, quod præ oculis habere deberent, ani-  
 mas suas illaqueant, sed insuper palam apud omnes in populo, non sine infam-  
 ia Ecclesiastici Ordinis, execrantur, & contemnantur; Et si pro aliis Benefi-  
 ciis obtinendis ad Datariam Apostolicam accedere ausi fuerint, tamquam Bene-  
 ficiarum Venditores male audiuntur, & publice redarguntur: cum statim ipsis  
 ab eorum competitoribus opponatur Resignatio facta, cum cassatione Pensionis  
 per anticipatas, seu anticipandas solutiones, hoc est, indigna Beneficii jam  
 antea obtenti negotiatio, & clandestina sub ambagibus, & fraudulentis con-  
 ventionibus detestanda venditio.

§. 3. Nos igitur hoc execrabile malum, quo non leve Ecclesiastico Ordini  
 dedecus, & infamiæ nota inuritur, prout necessitas, & pastorale munus postu-  
 lat, coercere in futurum volentes, & longe a Sanctuario Dei prophanam hu-  
 jusmodi abominationem remove, motu proprio, ac certa scientia, & matura  
 deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine statuimus, &  
 declaramus, omnia hujusmodi pacta, & conventiones pro cassatione, seu abo-  
 litione Pensionum per anticipatas, vel anticipandas solutiones contemporaneæ  
 ad Resignationes Beneficiorum, cum reservatione Pensionis per quascumque per-  
 sonas quavis dignitate, honore, ac præ eminentia insignitas inita, tamquam a  
 a Sacris Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus improbata, & simoniacam  
 labem redolentia, nulla, cassa, ac irrita esse, & omnes cassationes, abolitio-  
 nes, & extinctiones pensionum hujusmodi, quas imposterum intra sex men-  
 ses, a die captæ possessionis Beneficii per resignatarium computandos fieri con-  
 tingerit, etiam si nullum præcedens pactum intervenisse inter partes probari  
 possit; & cassatio prædicta secuta sit vigore supplicationis manu nostra, vel  
 Romani Pontificis pro tempore signatæ, quam nullatenus tamquam per subre-  
 ptionem, & fraudes obtentam, neque in judicio, neque extra ad ullum effe-  
 ctum eis suffragari volumus, irritas, nullas, & inanes esse, ac omnibus viri-  
 bus, ac effectu vacuas, & quatenus opus sit motu, scientia, & deliberatione  
 simili, deque Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium damnamus,  
 revocamus, annullamus, cassamus, & abolemus, & insuper tam resignantem,  
 quam resignatarium ab omni jure beneficii decidisse, eosque ipso facto, absque  
 alia declarativa, vel judicis sententia, privatos, & ad alia obtinenda inhabiles  
 esse,

PONT. esse, ac fore, & a quocumque Beneficium hujusmodi, tamquam de jure, & de ANNO  
 facto vacans impetrari posse; & præterea resignantem ad restituendas pecunias  
 A. II. pro cassatione Pensionis hujusmodi indebite, & simoniace perceptas, quæ ar- 1743  
 bitrio Ordinarii erunt piis locis applicandæ, vel pauperibus Personis distribu-  
 endæ, sub peccato gravi teneri, & Ecclesiasticis remediis, ac pœnis, si re-  
 nuat, ipso jure, absque alia sententia, & declaratione, cogi posse, motu,  
 scientia, & potestate pari decernimus, & declaramus.

§. 4. Et quoniam multa malitia hominum est in terra, ut omnis aditus frau-  
 dibus, & dolis, quos perversa nonnullorum calliditas, & in exitium sui in-  
 geniosa excogitare consuevit, quoad fieri potest, intercludatur, volumus, præ-  
 cipimus, & declaramus, sub hac nostra voluntate, constitutione, & disposi-  
 tione comprehendi omnes singulas cessiones, seu translationes in ipsum Resigna-  
 tarium, aut in aliam personam commodi, seu utilitatis percipiendi, fructus  
 pensionum hujusmodi, nec non alias quascumque cessiones, translationes, re-  
 signationes, extinctiones, abolitiones, quovis modo, titulo, nomine, colo-  
 re, & auctoritate per anticipatas solutiones, seu repræsentata pecunia factas  
 intra dictum tempus sex mensium & etiam ultra id temporis spatium, dum-  
 modo reprobum illud, & detestabile pactum præcessisse constiterit.

§. 5. Mandamus præterea, & jubemus, easdem præsentés literas perpetuo  
 firmas, validas, & efficaces existere, & fore, & nullo unquam tempore sub  
 quovis colore, & prætextu, etiam defectus nostræ intentionis, impugnari pos-  
 se: Sicque, & non alias, in præmissis omnibus, singulis, per quoscumque Ju-  
 dices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores,  
 ac prædictæ S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ  
 præfatæ Nuncios, aliosque quoslibet quacumque præeminencia, & potestate  
 fungentes, & functuros, & sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judi-  
 candi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere,  
 ac irritum, & inane, si secus super his a quodam quavis auctoritate scienter,  
 vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus Resignantium, seu Cedentium  
 voluntatibus, conditionibus, protestationibus, & clausulis in ipsismet re-  
 signationibus, & cessionibus, seu procuratorum constitutionibus, & mandatis,  
 ac alias, etiam ad præservationem suorum jurium, & significationem, quod non  
 aliter, nec alio modo resignant, seu cedunt, appositis, & quacumque verbo-  
 rum vi, formula, & multiplicatione, & amplitudine expressis, nec non qui-  
 busvis indulcis, privilegiis, & gratis Apostolicis, tam generalibus, quam par-  
 ticularibus, quantumvis speciali mentione, & nota dignis, quibuscumque Ar-  
 chiepiscopis, Episcopis, & aliis Superioribus, & inferioribus Ecclesiarum Præ-  
 latis, etiam S. R. E. Cardinalibus, ac eorum, & nostris familiaribus continuis  
 commensalibus, nec non literarum Apostolicarum Scriptoribus, Abbreviatori-  
 bus, cæterisque Romanæ Curie Officialibus concessis, confirmatis, cæterisque  
 contrariis quibuscumque.

§. 6. Cæterum, ut facilius præsentés literæ omnibus innotescant, & nemo  
 prætextu illarum ignorantie excusari possit, jubemus easdem ad valvas Eccle-  
 siæ Lateranensis, & Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ,  
 Curieque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe,  
 aliisque locis solitis, & consuetis, ut moris est publicari, eorumque exempla  
 affigi: Volumusque eas sic publicatas, omnes, & singulos perinde afficere, &  
 obligare, ac si illis ipsis fuissent singulariter intimata: Exemplis quoque præ-  
 dictis etiam impressis, manumque Notarii publici, & Sigillo Prælati Ecclesia-  
 stici, vel ejus Curie obsignatis eandem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis præ-  
 sentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel offensæ.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostri Decreti,  
 constitutionis, declarationis, annullationis, infirmationis, prohibitionis, inter-  
 dicti, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contrahere; si quis autem  
 hoc

PONT. hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis, Dei, ac Beatorum ANNO  
 Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incurfurum. Datum Romæ apud  
 A. II. Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingen- 1742  
 tesimo quadragesimo primo. Quarto Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno  
 Secundo.

D. Card. Passioneus.

X. Sub-Datarius.

VISA DE CURIA

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Loco  $\oplus$  Plumbi.

Registrato in Secretaria Brevium.

Publicat. die III. Octobris ejusdem Anni.



PONT.

N U M. XIII.

ANNO

A. II.

D E C L A R A T I O

1741

*Cum Instrukione, super Dubiis respicientibus Matrimonia in Hollandia,  
 & Belgio contracta, & contrahenda.*

**M**atrimonia, quæ in locis Fœderatorum Ordinum dominio in Belgio  
 subjectis iniri solent, sive inter Hæreticos ex utraque parte, sive in-  
 ter Hæreticos ex una parte Virum, & Catholicam Fœminam ex alia,  
 aut viceversa non servata forma a Sacro Tridentino Concilio præscripta, utrum  
 valida habenda sint, nec ne, diu multumque disceptatum est, animis homi-  
 num, ac sententiis in diversa distractis. Id quod satis uberem anxietatis, ac  
 periculorum sementem per multos annos subministravit, quam præsertim Epi-  
 scopi, Parochi, atque illarum Regionum Missionarii, nihil certi hac super re  
 haberent, nihil vero inconsulta Sancta Sede auderent statuerè, ac declarare.  
 Cum autem, proxime evolutis annis, in tam ancipiti, gravique causa Aposto-  
 licæ Sedis judicium vehementius exposceretur, urgeretque id imprimis vigilan-  
 tissimus Iprensis Episcopus, dum pro debito officii sui, & sua erga B. Petri  
 Cathedram observantia, de Ecclesiæ sibi concredita statu ad Romanum Ponti-  
 ficem referebat, ponendumque omnino esse tam prolixæ dubitationi finem,  
 gravissimis verbis, ac rationibus persuaderet: Clemens XII. id tempore Rom.  
 Pontifex, qui rei gravitatem, quanti oportebat, æstimaret, Sac. Congregatio-  
 nis Eminentiss. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum in mandatis dedit,  
 ut de tota controversia diligenter more suo cognosceret. In re itaque tanti  
 momenti volens eadem Sacra Congregatio quam accuratissime procedere, com-  
 missæ sibi cognitionis initium ab exquisitis aliorum quoque Belgii Episcoporum  
 Relationibus, atque sententiis, quas desuper explorari satagit, petendum du-  
 xit, eodem tempore audire voluit præstantes aliquot hujus Almæ Urbis Theo-  
 logos, quibus injunxit, ut rem totam ea, qua decet, maturitate discuterent,  
 suamque opinionem proferrent.

§. 1. At dum hæc maxime agerentur, supersedendum per aliquot menses  
 fuit

Pars I.

E

Font. fuit ab istiusmodi causæ expeditione, propter viduitatem, quæ intercedit Ro- ANNO  
 manæ Ecclesiæ, donec ad Summum Pontificatum feliciter euectus Sanctissimus  
 A. II. D. N. Benedictus XIV. inter primas Regininis sui curas, causæ hujus cogni- 1741  
 tionem repeti iussit a memorata Sacra Congregatione Concilii, quam voluit  
 coram se haberi, ut, auditis Eminentissimorum Patrum sententiis, ipse de-  
 mum, quid hac de re tenendum foret, supremo suo pronunciaret Oraculo.  
 Cum igitur Congregatio præfata sub die 13. Maii currentis anni 1741. coram  
 Sanctitate Sua fuerit habita, idem Sanctissimus D. N. spatio aliquo temporis  
 ad rem secum expendendam accepto, hanc nuper Declarationem, & Instructio-  
 nem exarari præcepit, qua, veluti certa regula, ac norma, omnes Belgii An-  
 tistites, Parochi, earumque Regionum Missionarii, & Vicarii Apostolici,  
 deinceps in huiusmodi negotiis uti debeant.

§. 2. Primo scilicet, quod attinet ad Matrimonia ab Hæreticis inter se in  
 locis Fœderatorum ordinum dominio subjectis celebrata, non servata forma per  
 Tridentinum præscripta, licet Sanctitas Sua non ignoret, alias in casibus qui-  
 busdam particularibus, & attentis tunc expositis circumstantiis, Sacram Con-  
 gregationem Concilii pro eorum invaliditate respondisse; æque tamen comper-  
 tum habens nihil adhuc generatim, & universe super ejuſmodi matrimoniis  
 fuisse ab Apostolica Sede definitum, & alioquin oportere omnino ad contu-  
 lendum universis Fidelibus in iis locis degentibus, & plura avertenda gravif-  
 sima incommoda, quid generaliter de hisce matrimoniis sentiendum sit, decla-  
 rare; negotio mature perpenſo, omnibusque rationum momentis hinc inde se-  
 dulo libratis, declaravit, statuitque, matrimonia, in dictis Fœderatis Belgii  
 Provinciis inter Hæreticos usque modo contracta, quæ imposterum contrahen-  
 tur, etiamsi forma a Tridentino præscripta non fuerit in iis celebrandis ser-  
 vata, dummodo aliud non obstitit canonicum impedimentum, pro validis  
 habenda esse; adeoque si contingat, utrumque Conjugem ad Catholicæ Eccle-  
 siæ solum se recipere, eodem, quo antea, conjugali vinculo ipsos omnino ten-  
 eri, etiamsi mutuus consensus coram Parocho Catholico ab eis non renove-  
 tur; Sin autem unus tantum ex Conjugibus, sive Masculus, sive Fœmina,  
 convertatur, neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias  
 transire,

§. 3. Quod vero spectat ad ea Conjugia, quæ pariter in iisdem Fœderatis  
 Belgii Provinciis, absque forma a Tridentino statuta, contrahuntur a Catho-  
 licis cum Hæreticis, sive Catholicus Vir Hæreticam Fœminam in Matrimo-  
 nium ducat, sive Catholica Fœmina Hæretico Viro nubat, dolens impri-  
 mis quam maxime Sanctitas Sua, eos esse inter Catholicos, qui infano amore  
 turpiter dementati, ab hisce detestabilibus connubiis, quæ S. M. Ecclesia per-  
 petuo damnavit, atque interdixit, ex animo non abhorrent, & prorsus sibi  
 abstinendum non ducunt, laudansque magnopere zelum illorum Antistitum,  
 qui, severioribus propositis spiritualibus pœnis, Catholicos coercere student,  
 ne sacrilego hoc vinculo se se Hæreticis conjugant; Episcopos omnes, Vica-  
 rios Apostolicos, Parochos, Missionarios, & alios quoscumque Dei, & Eccle-  
 siæ Fideles Ministros in iis Partibus degentes serio, graviterque hortatur, &  
 monet, ut Catholicos utriusque sexus ab huiusmodi nuptiis in propriarum  
 Animarum perniciem ineundis, quantum possint, absterreant, eadæmque nu-  
 ptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire satagant. At  
 si forte aliquod huius generis Matrimonium, Tridentini forma non servata,  
 ibidem contractum jam sit, aut imposterum (quod Deus avertat) contrahi con-  
 ringat; declarat Sanctitas Sua, Matrimonium huiusmodi, alio non concurren-  
 te canonico impedimento, validum habendum esse, & neutrum ex Conjugi-  
 bus, donec alter eorum supervixerit, nullatenus posse, sub obtentu dictæ for-  
 mæ non servatæ, novum Matrimonium inire. Id vero debere sibi potissime in  
 animum inducere Conjugem Catholicum, sive Virum, sive Fœminam, ut pro  
 gra-



PONT. gravissimo scelere, quod admisit, pœnitentiam agat, ac veniam a Deo precetur, coneturque pro viribus alterum Conjugem a vera Fide decerrantem ad gremium Catholicæ Ecclesiæ pertrahere, ejulque Animam lucrari, quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam oportunissimum foret, sciens de cætero, ut mox dictum est, se istius Matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.

ANNO

A. II.

1741

§. 4. Ad hæc declarat Sanctitas Sua, ut quidquid hætenus sancitum, dictumque est de Matrimoniis sive ab Hæreticis inter se, sive inter Catholicos, & Hæreticos in locis Fœderatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis, sancitum, dictumque intelligatur etiam de similibus Matrimoniis extra fines Domini eorundem Fœderatorum Ordinum contractis ab iis, qui additi sunt Legionibus, seu Militaribus Copiis, quæ ab iisdem Fœderatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas, muniendasque Arces conterminas, vulgo dictas di *Barriera*; Ita quidem, ut Matrimonia ibi præter Tridentini formam, sive inter Hæreticos utrinque, sive inter Catholicos, & Hæreticos inita, valorem suum obtineant, dummodo uterque Conjux ad easdem Copias, sive Legionem pertineat; Et hanc declarationem vult Sanctitas Sua complecti etiam Civitatem Mosæ Trajectensis, a Republica Fœderatorum Ordinum, quamvis non jure Domini, sed tantum oppignorationis, ut ajunt, nomine possessam.

§. 5. Tandem circa Conjugia, quæ contrahuntur, vel in Regionibus Principum Catholicorum ab iis, qui in Provinciis Fœderatis domicilium habent, vel in Fœderatis Provinciis ab habentibus domicilium in Regionibus Catholicorum Principum, nihil Sanctitas Sua de novo decernendum, aut declarandum esse duxit; volens, ut de iis, juxta canonica juris communis principia, probatasque in similibus casibus alias editas a Sacra Congregatione Concilii resolutiones, ubi disputatio contingat, decidatur. Et ita declaravit, statuitque, ac ab omnibus imposterum servari præcepit.

Die 4. Novembris 1741.

*A. Card. Gentili S. C. Concil. Præs.*

*G. A. Arch. Philippen. Secret.*



PONT.

NUM. XIV.

ANNO

A. II.

CAUSARUM

1741

*Matrimonialium judicia coram quibus, & quo ordine, ac forma peragenda sint constituitur.*

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**D**EI miseratione, cujus judicia incomprehensibilia sunt, & viæ investigabiles, in suprema Ecclesiæ specula immerentes constituti, ut super univrsam Dominicam gregem excubias ledulo agamus, ad commissum pastoralis officii munus pertinere dignoscimus, subnascentes ex infernalis hostis astutia, & hominum malitia abusus, quibus & animarum saluti pernicies, & Sacramentis Ecclesiæ injuria infertur, radicibus evellere, & potestatis Nobis desuper tradite operam interponere, ut & humana cohibeatur temeritas, & veneranda Divinæ Legis servetur auctoritas.

PONT. Siquidem Matrimonii scdus a Deo institutum, quod & quatenus naturæ ANNO  
 officium est, pro educandæ prolis studio, aliisque Matrimoniis bonis servan- 1741  
 A. II. dis, perpetuum, & indissolubile esse convenit; & quatenus est Catholicæ Ec-  
 clesiæ Sacramentum, humana præsumptione dissolvi non posse, Salvator ipse  
 ore suo pronunciavit dicens: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: ad aures  
 Apostolatus nostri pervenit, in quibusdam Ecclesiasticis Curiis inconsul-  
 ta nimis Judicum facilitate infringi, & temere, atque inconsiderate de eorumdem  
 Matrimoniorum nullitate latis sententiis, potestatem Conjugibus fieri transeun-  
 di ad alia vota. Quos sane improvidos Judices humanæ naturæ conditione, &  
 voce ipsa quodammodo admoneri oportebat, ne tam præcipiti audacia San-  
 ctum Matrimonii Nexum frangerent, quem perpetuum, atque indissolubilem  
 primus humani generis Parens præmonuit inquiens: *Hoc nunc os ex ossibus  
 meis, & caro de carne mea*: Et illud additum est; *Quamobrem relinquet homo  
 Patrem suum, & Matrem, & adhaerebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*.

Hujusmodi autem abolendæ pravitate notitia diversis ex Partibus Nobis de-  
 lata est, atque etiam indicata sunt exempla nonnullorum Virorum, qui post  
 primam, & secundam, ac tertiam, quam duxerant uxorem ob nimiam Judi-  
 cum præcipitiam in nullitate Matrimoniorum declaranda, adhuc illi primis  
 uxoribus superstitibus, ad quartas contrahendas nuptias devenerant, & simili-  
 ter Fœminarum, quæ post primum, secundum, & tertium Maritum, quarto  
 etiam, illis quoque viventibus, se junxerant, non sine pusillorum scandalo,  
 & Bonorum omnium detestatione, qui sacra Matrimonii vincula ita contemni,  
 & temere perfringi volebant. Nos autem, his intellectis, gravi affecti dolore  
 intimo animo ingemimus, & non prætermisimus Apostolicæ Nostræ sollici-  
 tudinis partes in Domino adimplere. Siquidem primo Pontificatus Nostræ An-  
 no ad Episcopos illarum Partium, in quibus prædicta acciderant, plenissimis  
 datis literis, graviter conquesti sumus de hujusmodi pravitate, quæ in Eccle-  
 sia Dei tolerabatur, & ad eam abolendam eorum animos erigere, & pastora-  
 lem zelum accendere curavimus: quod etiam egimus cum aliis aliarum Regio-  
 num Episcopis, ubi hujusmodi pravum dirimendorum Matrimoniorum usum  
 irrepsisse, cognovimus.

Verum Nobis responsum est, id sæpe contingere partim ex culpa illorum  
 Judicum, quibus vel in prima instantia, cum Causa coram Judice ordinario  
 ex aliqua legitima causa cognosci nequit, vel in secunda, cum in partibus  
 nullus adest Judex, ad cujus Tribunal Causa in gradu appellationis devolve-  
 tur, vel si adest, justa de causa coram eo disceptari nequit, Causæ matrimo-  
 niales hujusmodi a Sede Apostolica committuntur, qui vel ob inscitiam, vel  
 ob malam voluntatem proclives sunt ad Matrimonia dissolvenda, atque eadem  
 Matrimonia, levi vel etiam nullo habito examine, irrita, ac invalida decla-  
 rant; partim etiam ex facto Conjugum super nullitate suorum Matrimonio-  
 rum litigantium, cum frequenter unus tantum eorum, qui dissolutionem Ma-  
 trimonii postulat, in judicio compareat, & Sententia, nullo contradicente,  
 secundum sua vota obtenta, ad alias nuptias convolat; vel ambobus Conjugi-  
 bus in Judicium venientibus, alter, qui pro Matrimonio, alter vero, qui  
 contra agit, Sententia de nullitate Matrimonii prolata, nullus est, qui ad su-  
 periores Judicem appellationem interponat, vel quia Litigantes in specie qui-  
 dem discordes, re vera inter se concordēs sunt, & invicem colludentes contra-  
 ctum Matrimonium dissolvi cupiunt; vel quia Pars, quæ pro validitate Matri-  
 monii stabat, ejusque nullitatem acriter contra Adversarium impugnabat, lata  
 a Judice Sententia contra Matrimonium, mutat voluntatem, vel pecunia sibi  
 ad sumptus litis non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum  
 necessariis, & inceptum opus, ac Causam post primam Sententiam deserit.  
 Quo fit, ut deinde ambo Conjuges, vel unus eorum ad aliud contrahendum  
 Matrimonium se conferat.

Quod

PONT. Quod autem ad Judices pertinet, quibus extra Romanam Curiam pro Lit- ANNO  
 gantium commodo Causæ Matrimoniales committuntur, paternæ illa vigilan-

A. II. tia, qua de justitia unicuique integre sapienterque administranda solliciti esse debemus, encyclicis literis ad Venerabiles Patriarchas, Primate, Archiepiscopos, & Episcopos scriptis vigesima sexta Augusti Anno secundo Pontificatus Nostri, providere curavimus, in quibus ea præscripsimus, quæ Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis consona, si diligenter, ut speramus serventur, in posterum Causæ non nisi Personis congrua juris peritia, & necessariæ probitatis, spectatæque fidei munitis præsidio committentur. Insuper ad ea, quæ in iisdem encyclicis literis constituta sunt, id etiam in præsentibus adjungimus: Quod, quamvis Concilii Tridentini Decretum, quo Causæ Matrimoniales subtrahæ fuerunt, Decani, Archidiaconi, & aliorum inferiorum Judicio, & Episcoporum tantum examini, & jurisdictioni reservatæ, dumtaxat procedat de Archidiaconis, Decanis, aliisque inferioribus, qui in eadem Diocesi constituti, vel privilegio aliquo, vel præscriptione saltem in visitatione Causarum Matrimonialium cognitione sibi adrogabant; ideo minime obstat commissionibus, quæ pro iisdem Causis Matrimonialibus definiendis a Sede Apostolica alicui eorum in secunda instantia fierent; nihilominus præcipimus, ac mandamus iis, ad quos hujusmodi commissionum, seu delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum Causarum Matrimonialium cognitionem non committant nisi Episcopis præsertim vicinioribus, vel si nullus sit Episcopus, cui ex legitima causa commode committi possit, tunc commissio, & delegatio dirigatur uni ex iis, qui secundum ordinem, & modum a Nobis in præfatis encyclicis literis præscriptum pro Judice idoneo ab Episcopo cum consilio sui Capituli nominatus fuerit.

Quod vero ad ordinem, & seriem judiciorum in Causis Matrimonialibus pro debita, & congrua earum terminatione servandum spectat, motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hac Nostra in perpetuum valitura sanctione constituimus, decernimus, ac jubemus: ut ab omnibus, & singulis Locorum Ordinariis in suis respective Diocesis Persona aliqua idonea eligatur, & si fieri potest, ex Ecclesiastico Cœtu, juris scientia pariter, & vitæ probitate prædita, quæ Matrimoniorum Defensor nominabitur, cum facultate tamen eam suspendendi, vel removendi, si justa causa adfuerit, substituendi aliam æque idoneam, & iisdem qualitatibus ornatam, quod etiam fieri poterit, quotiescumque Persona ad Matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi obtulerit, erit legitime impedita.

Ad officium autem Defensoris Matrimoniorum hujusmodi, ut supra electi, spectabit in iudicium venire, quotiescumque contigerit, Matrimoniales Causas super validitate, vel nullitate coram legitimo Judice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu judiciali citari, adesse examini Testium, voce, & scriptis Matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quæ ad Matrimonium sustinendum necessaria censebit.

Et demum Defensoris hujusmodi Persona, tanquam Pars necessaria, ad iudicii validitatem, & integritatem censeatur, semperque adsit in iudicio sive unus ex Conjugibus, qui pro nullitate Matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate in iudicium veniant. Defensor autem, cum ei munus hujusmodi committetur, juramentum præstabit fideliter officium suum obeundi, & quotiescumque contigerit, ut in iudicio adesse debeat pro alicujus Matrimonii validitate tuenda, rursus idem juramentum præstabit: quæcumque vero, eo non legitime citato, aut intimato, in iudicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, ac pro nullis, cassis, ac irritis haberi volumus, perinde ac si citata, & intimata non esset ea Pars, cujus citari

PONT. tari intererat, & quam juxta Legum, & Canonum præscripta ad legitimam  
judicii validitatem citari, aut intimari omnino necessarium erat.

ANNO

A. II. Cum igitur coram Ordinario, ad quem Causas hujusmodi cognoscere pertinet, controversia aliqua proponetur, in qua de Matrimonii validitate dubitabitur, & existentibus in judicio vel uno ex Conjugibus, qui pro nullitate Matrimonii, vel ambobus, quorum alter pro validitate, alter vero pro nullitate actionem intendat, Defensor Matrimonii partes omnes officii sui diligenter adimpleat. Itaque si a Judice pro Matrimonii validitate judicabitur, & nullus sit, qui appellet, ipse etiam ab appellatione se absteineat; idque etiam servetur, si a Judice secundæ instantiæ pro validitate Matrimoniali fuerit judicatum, postquam Judex primæ instantiæ de illius nullitate Sententiam pronuntiaverat; sin autem contra Matrimonii validitatem Sententia feratur, Defensor inter legitima tempora appellabit adhærens Parti, quæ pro validitate agebat; cum autem in judicio nemo opus sit, qui pro Matrimonii validitate negotium instat, vel si adsit, lata contra eum Sententia, judicem provocabit, judicium deservent, ipse ex officio ad Superiorem Judicem provocabit.

1741

Appellationes a prima Sententia pendente, vel etiam nulla ob malitiam, vel occitantiam, vel collusionem Defensoris, & Partium interposita, si ambo, vel unus ex Conjugibus novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus, ac decernimus, ut non solum serventur, quæ adversus eos, qui Matrimonium contra interdictum Ecclesiæ contrahunt, statuta sunt, præsertim ut invicem a cohabitatione separentur, quoadusque altera Sententia super nullitate emanaverit, a qua intra decem dies non sit appellatum, vel appellatio interposita deserta deinde fuerit, sed ulterius ut contrahens, vel contrahentes Matrimonium hujusmodi omnibus pœnis contra Polygamos a Sacris Canonibus & Constitutionibus Apostolicis constitutis omnino subiaceant, quas in eos, quatenus opus sit motu, scientia ac potestate simili rursus statuimus, decernimus, ac renovamus.

Posteaquam vero appellationis beneficio ad alterum Judicem Causa in secunda instantia delata fuerit, omnia, & singula quæcumque coram Judice in prima instantia servanda præfinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exacte, ac diligenter custodiantur, citato in quolibet Judicii actu Defensore Matrimonii, qui voce, & scripto matrimonii validitatem strenue, ac pro viribus tuebitur, & si Judex in secunda instantia fuerit Metropolitanus, aut Sedis Apostolicæ Nuncius, aut Episcopus vicinior, Matrimonii Defensor sit, qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut quæ a Nobis superius constituta sunt, peragere possit; si autem Judex in secunda instantia erit Judex Commissarius, cui a Sede Apostolica Causæ cognitio demandata sit, & qui Tribunal, & jurisdictionem ordinariam non habeat, & propterea careat Defensore Matrimonii, volumus, ut illo Defensore Matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cujus Diœcesi Causam cognoscet, etiam si idem Ordinarius sit, qui primam Sententiam in eadem Causa pronuntiaverit.

Instructo autem in hunc modum judicio, si secunda Sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda æque, ac in prima nullum, ac irritum Matrimonium judicatum fuerit, & ab ea Pars, vel Defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam minime censuerit, in potestate & arbitrio Conjugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum, vel legitimam causam id vetitum non sit, potestas tamen post alteram Sententiam conformem, ut supra, Conjugibus facta intelligatur, & locum habeat, salvo semper, & firmo remanente jure, seu privilegio Causarum Matrimonialium, quæ ob cuiuscumque temporis lapsum nunquam transeunt in rem judicatam; Sed si nova res, quæ non deducta, vel ignorata fuerit, detegatur, resumuntur, & rursus in judicalem controversiam revocari. Quod si a secunda Sententia super nullitate vel altera Pars appellaverit, vel hujusmodi sit, ut ei salva conscientia,

PONT. entia, Defensor Matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur ANNO  
manifeste injusta vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, & sit re-  
vocatoria alterius præcedentis super validitate in secunda instantia emanatæ, 1741

A. II. volumus, ut firma remanente utrique Conjugi prohibitione ad alias transeundi  
nuptias, quas si contrahere ausi fuerint, pœnis, ut præfertur, a Nobis con-  
stitutis subesse decernimus, Causa in tertia, vel quarta instantia cognoscatur,  
servatis diligenter omnibus, quæ a Nobis in prima, & secunda instantia de-  
mandata fuerunt, nempe in quolibet judiciali actu citato, & audito Defensore  
Matrimonii, qui a Judice tertiæ instantiæ deputatus fuerit. Defensor autem  
Matrimonii, quem ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei, & pro-  
ximi utilitate, & Ecclesiæ reverentia in Domino exhortamur, si operam suam  
sine mercede, aut salario aliqua ex causa exhibere recusaverit, ab ipsius Cau-  
sæ Judice ei constituatur, & ab ea Parte, quæ pro validitate Matrimonii agit,  
si ipsi facultas sit, solvatur: sin minus a Judice primæ, vel secundiæ, vel ter-  
tiæ instantiæ respective subministrabitur, qui pecuniam ex multis suorum Tri-  
bunalium redactas, vel redigendas, & in opera pia erogandas in hujusmodi sum-  
ptus insumere poterunt. Cum vero Judices Causæ erunt Judices Commissarii,  
qui neque Forum habent, & consequenter neque pecuniam ex multis colle-  
ctam, volumus ac mandamus, ut Defensori Matrimonii satisfiat ex pecunia  
multarum illius Episcopi, in cujus Diocesi Judex Commissarius juxta Sedis  
Apostolicæ mandatum judicium exercebit.

Hactenus quidem quoad Causas Matrimoniales, quæ extra Romanam Cur-  
riam pertractantur. Quoad Causas vero, quæ Romæ disceptandæ sunt, cum  
earum cognitio in prima instantia ad S. R. E. Cardinalem in præfata Urbe,  
ejusque Suburbis, & districtu Vicarium nostrum in Spiritualibus pro tempore  
spectet, mandamus, ac jubemus, ut omnia & singula, quæ in aliis Causis ex-  
tra Romanam Curiam pertractandis præscripta fuerunt, nempe ut judicium pe-  
ragatur, citato, & audito Defensore Matrimonii ab eodem Cardinali Vicario  
deputato, aliaque ut supra, omnino serventur, tum etiam in aliis Causis,  
quæ in prima instantia ex consensu Partium, vel in secunda per appellationem  
ad Sedem Apostolicam, omisso medio interpositam, vel in tertia Romam de-  
ferunt, quas omnes judicari volumus, vel in Congregatione S. R. E. Cardina-  
lium super interpretatione, & executione Concilii Tridentini, vel in Cau-  
sarum Palatii nostri Auditorio, dummodo Nobis, & Romano Pontifici pro tem-  
pore justis ex causis non videatur particularis Congregatio S. R. E. Cardinalium,  
vel Romanæ Curis Prælatorum deputanda. Cum autem Causa super Matri-  
monii nullitate agitabitur in dicta Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii  
Tridentini Interpretum, Defensor Matrimonii a Cardinali Præfeto ejusdem  
Congregationis, si vero in Palatii nostri Auditorio, ab Auditore Decano præ-  
fatis Tribunalis, si demum in Congregatione particulari, a Persona ejusdem  
Congregationis digniore deputetur. Unica quidem resolutio pro nullitate Ma-  
rimonii emanata, si Causa in Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini  
Interpretum, vel in Congregatione particulari deputata cognoscatur, & simi-  
liter in Palatii nostri Auditorio unica Sententia super eadem nullitate pronun-  
ciata minime sufficiat adtribuendam liberam Conjugibus facultatem novas nu-  
ptias contrahendi; sed si Causa in præfata Congregatione Cardinalium Tri-  
dentini Concilii Interpretum introducta fuerit, rursus in eadem ad Defensoris  
Matrimonii instantiam repropnatur; Si vero Congregationi particulari com-  
missa fuerit ad petitionem ejusdem Defensoris altera etiam particularis Con-  
gregatio deputabitur; Si vero in Palatii nostri Auditorio judicata sit, a præ-  
fato Defensore appellatione interposita, ab aliis Auditoribus juxta ordinem in  
gyrum, seu turnum definiatur; si autem Causa universo Tribunali commissa  
fuerit, ab omnibus Auditoribus rursus examinabitur, nolentes omnino, ut  
nullo in casu Matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo judicata,  
vel

FCNT. vel resolutiones, aut Sententiæ penitus similes, & conformes, a quibus ne- ANNO  
que Pars, neque Defensor Matrimonii crediderit appellandum, emanaverint; A. II. quod si secus factum fuerit, & novum initum Matrimonium, nostræ voluntatis 1743  
hujusmodi transgressores pœnis a Nobis ut supra statutis submittantur.

Et quoniam sæpe apud Sedem Apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione Matrimonii rati, & non consummati, quæ ut plurimum pro voto consultivo ad Congregationem S. R. E. Cardinalium Concilii Interpretum, vel nonnunquam ad aliquam Congregationem particularem deputatam a Romanis Pontificibus pro tempore remitti solent, ut hujusmodi instantiæ ordine, ac rite procedant, volumus, ac mandamus, ut supplex libellus Nobis, vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena, & accurata totius facti species contineatur, causæque omnes in eo exprimantur, quæ ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut Romanus Pontifex, eo lecto, & mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem rejiciat, vel ejus examen alicui ex dictis Congregationibus committat, a qua posteaquam suum votum consultivum editum fuerit, a Secretario ejusdem Congregationis totius negotii series exacte Romano Pontifici pro tempore referatur, qui pro sua prudentia judicabit, an Congregationis resolutio sit approbanda, vel potius totius Causæ examen alteri Congregationi, vel Tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rursus committendum.

Demum volumus ac decernimus, easdem præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus foris, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime, & inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac eosdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, & confirmatione Apostolica, vel quavis firmitates alia roboratis, Statutis, & litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus verborum, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibus, & aliis decretis etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus in genere, vel in specie, seu alia quomodolibet concessis, confirmatis, & innovati. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma in illis tradita observata eidem præsentibus pro expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice quibuscumque. Volumus autem, ut præsentis literæ in valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, publicentur, & affigantur, sicque publicatæ, & affixæ omnes, & singulos, quos illa concernunt, perinde ardeant, & afficiant, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent; quodque eorumdem præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, statuti,

PONT. constitutionis, prohibitionis, revocationis, annullationis, declarationis, man- ANNO  
 dati, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contrahere. Si quis au-  
 A. II. tem hoc attentate præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. 1741  
 Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud  
 Sanctam Mariam Majorem Nonas Novembris Anno Incarnationis Dominicæ  
 millesimo septingentesimo quadragesimo primo Pontificatus Nostri anno primo.

D Card. Passioneus.

VISA DE CURIA

X. Sub-Datarius.

N. Antonellis.

J. B. Eugenius.

Loco ✕ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die XXIX. Novembris ejusdem Anni.



PONT.

NUM. XV.

ANNO

A. II.

MATRIMONIA

1741

Occulta quibus, & quomodo sint permittenda, quibuscumque cautelis celebranda,  
 & in actis describenda, quomodo consulendum educationi, &  
 indemnitati prolis.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis,  
 & Episcopis.

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SATIS Vobis compertum esse non dubitamus, Venerabiles Fratres, eam sententiam  
 per fuisse piæ Matris Ecclesiæ vigilem curam, ut Sacramentum Matrimo-  
 nii, Magnum ab Apostolo nuncupatum, publice, & palam a Fidelibus  
 celebretur. Quod quidem ut diligentius, quam antea factum fuerat, imposterum  
 ab omnibus observaretur, Sancta Tridentina Synodus, Lateranensis Con-  
 cillii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo, præcepit, ut imposterum,  
 antequam Matrimonium contraheretur, ter a proprio Contrahentium Pa-  
 rocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnias pu-  
 blice denuntietur, deindeque, nullo legitimo concurrente impedimento, ad il-  
 lius celebrationem in faciem Ecclesiæ coram Parocho, vel alio Sacerdote de  
 ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus Testibus præsen-  
 tibus rite procedatur. Voluit etiam eadem Sancta Synodus, apud Parochum  
 diligenter Librum custodiri, in quo Conjugum, & Testium nomina, diesque,  
 & locus Matrimonii describantur.

Providæ tamen hujusmodi leges, tanta auctoritate saluberrime institutæ,  
 prava horum temporum conditione sensim prolabi visæ sunt, & enerves pro-  
 pmodum reddi, ob Matrimonia usu nimis recepta, quæ occulte adeo cele-  
 bran-

PONT. brantur, ut illorum notitia, quantum fieri potest, obliteretur, in tenebris ANNO  
 ignorantiae perpetuo jaceat consepulta. In more etenim positum est, illa cele-  
 (A. II. brari nullis praevis factis denunciationibus, coram solo Parocho, vel alio Sacer- 1741  
 dote de ejus licentia, adhibita praesentia tantum duorum Testium apposte  
 a Contrahentibus advocatorum, quorum fides nemini illorum est suspecta; rem-  
 que peragi saepe extra Ecclesiam, quandoque etiam intra illam, januis tamen  
 oclusis, vel eo temporis momento, quo remota alterius cujusvis praesentia,  
 scientia initi Matrimonii, praeter Parochi, Contrahentium, Testiumque perso-  
 nas, alios penitus effugiat.

Quantum a Sacramenti dignitate, & ab Ecclesiasticarum legum praescripto  
 occulta haec Matrimonia, *Conscientiae* vulgo nuncupata, ut plurimum abhor-  
 reant, fatis superque conjicere quis poterit, qui mentis aciem ad exitiosos  
 illorum effectus convertat. Hinc enim gravia ortum habent peccata, praeser-  
 tim vero eorum, qui Divini Judicii interminatione posthabita, priore Uxore,  
 cum qua clam contraxerunt, relicta: cum alia spe futuri Matrimonii decepta,  
 & in turpem secum vivendi licentiam abducta, palam contrahere promittunt.  
 Quorundam vero mentem ita pravae cupiditates excæcant, ut novum contra-  
 here secretum Matrimonium audeant post alterum secreto itidem contractum,  
 & nondum prioris Conjugis morte solutum, seseque magno scelere polyga-  
 mos reddant. Alii etiam eo impudentiae devenere, ut in hujus magni Sacra-  
 menti contemptum, post primas secreto initas, alteras aut publice, aut priva-  
 tim nuptias contrahendo, sese audacius polygamia pariter innodare non per-  
 horrescant. Age vero quam gravia, quam nullo pacto ferenda ex his Matrimo-  
 niis mala oriantur. Si enim ad quamcumque Matrimonii suspicionem sum-  
 movendam, Virum forsitan a Muliere vivere contingat, sublata est illico indi-  
 vidua vitae consuetudo, & contemptum est verbum Domini: *Adhaerebit Homo*  
*Uxori suae, & erunt duo in carne una* -- Sin haec vitae consuetudo servetur,  
 nemo est, qui illam criminis non arguat, & utpote detestabilem, in scandali  
 materiam non traducat. Neque illata per scandalum dispendia rependit subse-  
 cuta celebratio occulti Matrimonii, quod in tenebris delitescit, & ab omni-  
 bus ignoratur.

Leviora quoque damna non sunt, quae susceptae Proli irrogantur. Saepe  
 enim contigit, illam a Parentibus, & a Matre praesertim amotam, nec pie,  
 nec liberaliter institui; sed incertis fortunae casibus objectam relinqui, nisi et-  
 iam Parentes ipsi contra naturae leges, auso nefario illius vitae insidientur.  
 Ubi vero tam immane facinus Parentes deterreat, illisque ad sobolem alen-  
 dam, instituendamque humanitas ipsa compellat; alia imminet Liberis susce-  
 ptis ex occulto Matrimonio lugenda Avitarum facultatum, & Bonorum jactu-  
 ra, pro quorum possessione assequenda, quamvis clament jura sanguinis, illis  
 tamen careant necesse est propter occulta Parentum Matrimonia, & ademptam  
 legitimitatis, & Filiationis probationem. Huic etiam malorum origini sunt  
 referenda ipsa quoque secreta Matrimonia contracta a Filiisfamilias contra Pa-  
 tris juste dissentientis voluntatem; ex quibus quam gravia incommoda exoriri  
 soleant, nemini latet. Quid plura? Adeo invaluit malitia, ut quandoque in  
 Minoribus Ordinibus constituti Pensione, & Beneficia, ad Divinum Cultum,  
 & Ecclesiastica munia instituta, etiam post initum clam Matrimonium retinue-  
 rint, sibi que de mammona iniquitatis oculos miserrime comparaverint.

Desistenda haec igitur potius uberibus lacrymis, quam latiore calamo explican-  
 da malorum congeries, cum ex hac Apostolicae Sedis specula omnes sibi vindicet  
 nostrae vigilantiae curas, temperare non possumus, quin Vos ipsos, Venerab.  
 Fratres, in partem nostrae sollicitudinis evocantes, vestram pietatem,  
 & zelum excitemus ad custodiendas vigiliis noctis super Grege vobis credito,  
 quem luctuosa horum temporum conditio in discrimen adducit. Primum itaque  
 periculi non infrequens occasio Vos reddat difficiliore ad remittendum Publi-  
 catio-



**PONT.** cationes, a quibus contracturi Matrimonium sæpe per malitiosam suggestionem petunt dispensari. Quam caute, solerterque oporteat ea in re Episcopos versari; non obscura Vobis a Conc. Trid. exhibentur argumenta. Si enim (ait eadem Sancta Synodus) probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiose impedire posse, si præcesserint Denuntiationes; tunc vel una tantum Denuntiatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus Testibus præsentibus Matrimonium celebretur, & deinde ante illius contumnationem Denuntiationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur. Præterea licet Episcopo relictum sit omnimode super Denuntiationibus dispensare, hæc tamen facultas, non a sola Dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur arctis prudentiæ, discretique arbitrii legibus; quod idem est, ac legitimam causam dispensationis requirere.

ANNO  
1741

Parem quoque, imo fortasse majorem vigilantiam necesse est a Vobis adhiberi, ne post remissas Denuntiationes celebretur Matrimonium coram Parocho, vel alio Sacerdote ab ipso Parocho, vel a Vobis deputato, præsentibus duobus, vel tribus Testibus confidentibus, ne ulla celebrationis notitia, vel rumor orientur. Id enim ut ad præscriptum Sacrorum Canonum licite fieri possit, non satis est obvia quævis, & vulgaris causa, sed gravis, urgens, urgentissima requiritur. A Sacro Nostræ Pœnitentiariæ Tribunali, eo potissimum casu fit potestas ita celebrandi Matrimonium, quo Vir, sive Fœmina in figura Matrimonii publice degentes, & de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen Concubinato perseverent; Facile enim quisque conjiciet, quam absconum esset, eos, a statu damnationis per gratiam Sacramenti revocandos, ad publice contrahendum Matrimonium præviis Denuntiationibus compelli. Hanc vero praxim Vobis duximus proponendam, non quia Dispensatio præmissis casui solum congruat, cum alii similes, & fortasse urgentiores esse possint, in quibus dispensari expediat; sed quia Vestri pastoralis Officii partes versari debent in sedulo investiganda, legitima, & urgenti Causa Dispensationis, ne Matrimonia occulte celebrata luctuosos habeant exitus, quos intimo cordis mœreore recensuimus.

Hunc porro in scopum Vos hortamur, & impense admonemus, ut Personarum Matrimonium secreto contrahere petentium, diligens a Vobis fiat inquisitio; An scilicet ejus qualitatis, gradus, & conditionis sint, quæ id probe exposcant; An sint sui, vel alieni juris; An Filiifamilias, quorum nuptiæ Patri jure dissentienti sint visæ; ab Episcopali etenim, quod geritis, munere nimium esset alienum, facilem præberi filio inobedientiæ occasionem: An res sit de Personis Ecclesiasticis, licet in Minoribus Ordinibus constitutis, Pensiones, & Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, ut detestabilis illorum retentio in statu Uxorato congruis remediis postea compescatur. Potissimum vero curet Vestra sollicitudo, antequam secreti Matrimonii licentia concedatur, quod Contrahentes clara, & indubia, & a quavis fraude immunita exhibeant documenta status liberi, ad avertendum ab iis, qui improbi sunt ingenii, polygamix periculum.

Quod attinet ad Ministrum secreti Matrimonii, volumus ad id munus deputari Parochum alterius ex Contrahentibus, quem notitia Personarum, experientia, & diuturnus rerum usus quovis Sacerdote extraneo peritorem effecisse præsumuntur. Si quæ tam Vobis occurrant circumstantiæ, quæ alium Sacerdotem loco Parochi exposcere videantur; gravi impellente causa, is Sacerdos, a Vobis eligatur, qui probitate, & doctrina, & obeundi muneris peritia commendetur; Uni tamen, aut alteri Sacramenti Ministro a Vobis deputando districte præcipiatur, ne Matrimonio intersit, nisi prius paterna charitate Conjuges in Domino induerit quamprimum oportere Sacro Baptismatis lavacro; ac Christo Judici districtam reddituros esse rationem, nisi filios ut legitimos agnovissent, eoque pietate, bonisque moribus imbuerint, & frui patientur Bonis temporalibus, a Majoribus in supremis tabulis relictis, vel provida legum auctoritate delatis.

PONT. Celebrato autem Matrimonio, indilate a Parocho, vel alio Sacerdote, co- ANNO:  
 A. II. nota loci, & temporis, Testiumque, qui celebrationi interfuerunt. Vestrum 1745  
 erit postea diligenter incumbere, quod ad perennem gestæ rei memoriam præ-  
 fatum documentum fideliter transcribatur in Libro prorsus distincto ab altero,  
 in quo Matrimonia publice contracta de more adnotantur. Hujusmodi Liber  
 pro Matrimoniis secretis apposite compactus, clausus, & Sigillis obsignatus, in  
 vestra Episcopali Cancellaria caute erit custodiendus: Et eo tantum casu resi-  
 gnari, & aperiri vestra accedente licentia patiemini, quo alia id genus Ma-  
 trimonia describi oporteat, vel id sibi vindicet justitiæ administrandæ necessi-  
 tas, vel demum aliquod documentum ab eo exposeant verum interesse haben-  
 tes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetit copia; Sedulo ta-  
 men animadvertentes, quod, re absoluta denuo claudatur, & Sigillis, ut an-  
 tea, obsignetur. Fides, seu Attestationes clam celebrati Matrimonii a Paro-  
 cho, vel Sacerdote, qui vices Parochi gessit, exarandæ, Vobisque exhibendæ,  
 transcribatur in dicto Libro, prout jacent de verbo ad verbum a Persona a Vo-  
 bis deputanda, quæ apud omnes integritates, probatque nominis luculentum  
 habeat testimonium. Fides vero, & Attestationes ipsæ in secretiori loco sar-  
 tæ, testæque a Vobis ferventur.

Quod si ex occulto hujusmodi Matrimonio Prolem nasci contingat, eadem  
 mundetur salutari Aqua Baptismi in Ecclesia, in qua aliis Infantibus hoc Sa-  
 cramentum indistincte confertur. Et quia ad operiendum clam initum Matrimo-  
 nium, facile est in Libro Baptizatorum nullam fieri mentionem Parentum,  
 & eorum Nomina consulto reticere: Volumus, ac expresse mandamus, quod  
 a Patre Baptizati, eoque defuncto, ab illius Matre suscepta Proles vobis de-  
 nunciatur, distaque Denuntiatio fiat vel immediate per Parentes ipsius, vel per  
 literas eorum caractere exaratas, vel per fide dignam Personam ab ipsis Pa-  
 rentibus designatam, ut certo, & clare Vobis constet, quod Proles tali loco,  
 & tempore, vel reticitis, vel falso expressis nominibus Parentum baptizata,  
 est legitima, licet occulti Matrimonii fœdere procreata. Quæ sane omnia cum  
 Vobis innotuerint, ne illorum excidat memoria, in Libro fideliter describen-  
 tur ab eo, cui facta a Vobis est potestas adnotandi Matrimonia occulte celebra-  
 ta. Liber, in quem Baptizatorum, ac utriusque Parentis nomina referen-  
 tur, quamvis distingui debeat ab altero Matrimoniorum; Eadem tamen dili-  
 gentia, iisdemque cautelis in Cancellaria Episcopali clausus, & sigillis obsi-  
 gnatus, erit custodiendus, prout Librum Matrimoniorum caute custodiri supra  
 mandavimus.


Quia vero nonnulli deesse non possunt, qui propriæ conscientiæ vocibus ob-  
 surdescant, & nostris hisce mandatis parere negligant; debita pœnarum distri-  
 ctione pro modo culpæ a Vobis puniantur. Quinimmo cum satis Nobis expe-  
 rientia compertum sit, in hujusmodi negotiis homines, in terram oculos de-  
 olinantes, ob humanos respectus tardiores effici, & a recte agendi semita re-  
 vocari: Mandamus idcirco, Matrimonia occulta a Vobis evulgari, & nota fieri  
 si certo Vobis constiterit, ex aliquo Matrimonio occulto procreatam fuisse So-  
 bolem, & baptizatam suppressis Parentum nominibus, nulla præstita Vobis no-  
 citia, ut par erat, ab illius Parentibus intra triginta dies a Nativitate nu-  
 merandos.

Ne autem Contumaces, & Inobedientes violatæ fidei, proditique Secreti Pa-  
 flores suos infimulent; sedulo a Vobis curandum est, ut a Parocho, vel alio  
 Sacerdote pro secreta celebratione Matrimonii a Vobis deputando, Conjuges  
 clare, & aperte moneantur, ea lege, & pacto illis permitti Secreti Matrimo-  
 nii celebrationem; ut Soboles inde procreata non solum regeneretur Sacro Ba-  
 ptismate, sed post Baptisma denunciatur Episcopo cum nota loci, & temporis  
 administrati Sacramenti, ac sincera indicatione Parentum, a quibus ortum ha-  
 buit.

PONT. buit, quemadmodum supra præmissum est: Alioquin Matrimonium licet con- ANNO  
 A. II. tractum data per Episcopum Secreti fide, in lucem proferetur in gratiam Fi- 1741  
 liorum, & ad propulsandam ab illis gravem, nulloque pacto ferendam jactu-  
 ram. Volumus denique, ac mandamus, Fides, seu attestationes Matrimonii  
 clam initi, & Sobolis ex eo procreatæ, excerptas ex dictis Libris, modo, quo  
 dictum est, apud Vos caute custodiendis tantam promereri fidem, quantam sibi  
 alii Libri Parochiales Baptismatis, & Matrimonii vindicare consueverunt.

Hæc a Vobis, Ven. Fratres, in hac temporum calamitate observari enixe  
 præcipimus ad communem Animarum salutem, & ad præsidium Ecclesiasticæ  
 disciplinæ, propter invalescentem hominum malitiam nova semper detrimenta  
 vel patientis, vel reformidantis. Ceterum nostris hisce literis sublata eat  
 validiora remedia, quæ huic malo, in diem ingruenti, consona dignosce  
 prudentia vestra, ad Pastorale officium cumulate obeundum. Vobis interea  
 paternæ charitatis, & benevolentia testem, Apostolicam Benedictionem im-  
 pertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 17. Novembris 1741. Pontifi-  
 catus Nostri Anno Secundo.



PONT.

NUM. XVI.

ANNO

A. II.

CLAUSURA MONASTERIORUM

1742

*Quorumcumque Virorum Regularium assertitur sublata quibuslibet  
 dispensandi facultate.*

BENEDICTUS PP. XIV.

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**R**EGULARIS disciplinæ observantiam ante etiam, quam, & Generalium  
 ac Particularium alicujus Nationis, aut Provinciæ Conciliorum decre-  
 tis confirmaretur, & Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum  
 legibus sanctionibusque præscriberetur, quoad vetitum Mulieribus quibuscum-  
 que, etiam consanguineis intra quorumcumque religiosorum Virorum Clausu-  
 ram ingressum tam integerrime custoditam fuisse constat; ut, ne dum fœminis  
 quibuscumque, sed masculis quoque, non tam ad Monasteriorum claustra seu  
 septa, quam ad ipsa eorundem Monasteriorum Oratoria & Ecclesias nullus pa-  
 tuerit aditus & accessus; quin imo sub gravissimis pœnis fuerit interdictus; ne  
 scilicet, ut inquit S. Gregorius PP. I. Prædecessor noster, in Servorum Dei  
 secessibus occasio præbeatur popularibus conventibus, & simpliciores ex hoc  
 animas plerumque, quod absit, in scandalum trahat. Hujusmodi autem regu-  
 laris disciplinæ observantia, etsi pro temporum varietate ac necessitate tot tan-  
 tasque subit vices, ut idem Prædecessores nostri aditum & accessum ad publi-  
 cas Monasteriorum Ecclesias dumtaxat sive masculis, sive fœminis Sacrosanctum  
 Missæ Sacrificium audiendi, Prædicationibus Verbi Dei interessendi, & Sacra-  
 mentum Sanctissimæ Eucharistiæ sumendi, ac peccata sua confitendi causa, sine  
 tamen Parochorum præjudicio, interdum concesserint; vicissim tamen ipsi Præ-  
 decessores nostri tam ante Concilii Tridentini decreta, quam post eorundem  
 decretorum promulgationem, denuntiationemque providis saluberrimisque con-  
 stitutionibus sub pœna etiam excommunicationis latæ sententiæ fœminis  
 quibuscumque aditum ingressumque hujusmodi intra Monasteriorum clausuram  
 interdixerunt. Quoniam autem, sicut dolentes accepimus, alii quidem Apo-  
 stolicas


PONT. stolicas leges ac præcepta hujusmodi vel ausu temerario parvipendentes, vel ad ANNO<sup>9</sup>  
 eorum arbitrium interpretantes, fœminis quibuscumque aditum ingressumque  
 A. II. tam manifeste ac tanta solemnitate vetitum permittunt; alii vero privilegia, 1742  
 indulta, prærogativas, facultates, licentias, & alias quocumque pacto exco-  
 gitatas concessiones sibi sive a jure, sive ab homine factas & impertitas, seu  
 facta & impertita, ac quoruncumque munerum, dignitatum, ac præeminen-  
 tiarum ratione debitas seu debita, arrogantes, prætendentes, obtendentesque,  
 fœminas quaslibet intra Monasteriorum claustra, septa, cænacula, cubicula,  
 aliasque officinas aut admitti ac recipi sinunt mandantque, aut una secum du-  
 cunt; alii denique sub pietatis ac religionis prætextu, cum supplicationes sive  
 cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, sive cum sacris Sanctorumque Reli-  
 quiis, Statuis, & Imaginibus per claustra, septa & alia Monasteriorum loca de-  
 more, ut asserunt, habentur, sine ullo prorsus discrimine masculos & fœminas  
 supplicationes hujusmodi per eadem loca sequi & comitari licitum, quin imo, ut  
 Indulgentias lucrari valeant, necessarium esse obtendunt: Hinc est, quod Nos,  
 qui dum in minoribus essemus, quamplurimos hujusmodi abusum compertos ha-  
 bebamus, in hac sublimi Sacrosancti Apostolatus specula constituti, non tam  
 assiduis nonnullorum aliarum Ecclesiarum Antistitum documentis, quam iustis  
 etiam Superiorum, aliorumque Virorum ex religiosis Ordinibus Dei honorem &  
 instituti sui disciplinam zelantium expostulationibus de antedictis similibusque  
 abusibus in dies admonemur, ut opportunum ac salutare iisdem abusibus tol-  
 lendis, quantum cum Domino possumus, remedium asseramus; auctoritate A-  
 postolica, tenore præsentium primum quidem omnes & singulas Constitutiones  
 Sanctionesque a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris tam ante, quam  
 post Concilii Tridentini decreta, super Clausura Monasteriorum quoruncumque  
 religiosorum Virorum editas renovamus, & confirmamus; nec non imposuerim  
 ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & in futurum spectabit, sub iisdem pœ-  
 nis in Constitutionibus Sanctionibusque eorundem Prædecessorum nostrorum Ro-  
 manorum Pontificum, & decretis ejusdem Concilii Tridentini contentis invio-  
 labiliter observandas esse statuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus.  
 Deinde motu proprio & ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, de-  
 que Apostolicæ potestatis plenitudine earundem præsentium tenore omnia, &  
 singula indulta, privilegia, prærogativas, facultates, licentias, & quocumque  
 alio pacto nuncupatas concessiones omnibus & singulis quibuscumque Ecclesia-  
 sticis personis quacumque auctoritate, dignitate, honore, præ eminentia ac ju-  
 risdictione fungentibus, etiam Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardina-  
 libus, sive singulis, sive eorundem Cardinalium Congregationibus, etiam de  
 Latere Legatis, sive qui Provinciis & Legationibus Status nostri Ecclesiastici  
 pro tempore præsunt, sive quos ad Charissimos in Christo Filios nostros Ro-  
 manorum Regem in Imperatorem pro tempore eligendum, vel electum, Re-  
 ges & Reginas illustres, aliasque summas Potestates, prout rerum conditio po-  
 tulerit, mitti & ablegari contigerit; sive qui, licet aliarum insignium Ec-  
 clesiarum Antistites, tamen tamquam Apostolicæ hujus S. Sedis Legati de La-  
 tere alias nuncupati & habitati sunt, & fortasse habentur, aut haberi & esse  
 prætendunt, & in posterum habendi sunt; sive Ordinarii, sive Extraordinarii  
 nostri & ejusdem Apostolicæ Sedis ubicumque etiam ad ipsos Imperatorem, &  
 Reges, ac summas Potestates Nuntii, sive Inter-Nuntii resident; ac demum  
 quibuscumque aliis quocumque nomine & expressione nuncupatis personis quo-  
 cumque tempore a quibusvis, etiam ab ipsis Romanis Pontificibus Prædecesso-  
 ribus nostris quacumque de causa, occasione, titulo, colore, & prætextu per  
 quascumque Apostolicas; sive in simili forma Brevis, sive sub Plumbo expedi-  
 tas litteras sub quibuscumque verborum formis facta, data, concessa & imper-  
 titas sive factas, datas, concessas, & impertitas super hujusmodi accessu & in-  
 gressu revocamus, abolenus, annullamus atque irritamus, nec non a datarum  
 earum-

PONT. earumdem præsentium die revocata, abolita, annullata & irrita, ac nullius Anno  
 prorsus momenti ac vigoris esse, & fore, neminique cuilibet quocumque tem-  
 A. II. pore suffragari statuimus, & declaramus quemlibet omnium ante- 1742  
 didictorum, etiam speciali mentione dignorum quacumque facultate huiusmodi  
 temere uti audentem ipso facto absque ulla alia declaratione pœnas & Eccle-  
 siasticas censuras, a quibus, præterquam a Nobis, & pro tempore existente  
 Romano Pontifice, nisi in Mortis articulo, absolvi possit, incurri & incursum  
 esse, licentiamque huiusmodi cuicumque concessam nullo modo suffragari, at-  
 que nullius momenti, perinde, ac si minime concessa fuisset, ipso facto fore,  
 & haberi, ac pœnas & censuras Ecclesiasticas ipso etiam facto, ut præmittit-  
 tur, per contrafacientem incurri & incursum esse. Decernentes eandem præsen-  
 tes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumque in  
 præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes cujusvis sta-  
 tus, gradus, ordinis, præminentie & dignitatis existant, seu alias specifica  
 & individua mentione & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea  
 vocati, citati & auditi, causæque, propter quas præsentibus emanarint,  
 sufficienter adductæ, verificatæ, & iustificatæ non fuerint, aut ex alia qua-  
 libet etiam quantumvis juridica & privilegiata causa, colore, prætextu  
 & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis enormissimæ & to-  
 talis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut  
 nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensu, alio-  
 ve quomodolibet, etiam quantumvis magno & substantiali, ac incogitato &  
 inexcogitabili, individuumque expressionem requirente defectu notari, impu-  
 gnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris re-  
 duci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quod-  
 cumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impe-  
 trato, seu etiam motu scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio vel  
 emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo  
 posse; sed ipsas præsentibus literas semper firmas validas & efficaces existere &  
 fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab illis, ad  
 quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter & incon-  
 cussè observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Iudices Or-  
 dinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R.  
 E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuntios, aliosve  
 quoslibet quacumque præminentia & potestate fungentes, & functuros, subla-  
 ta eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate, &  
 auctoritate, judicari & definiti debere, ac irritum & inane, si secus super his  
 a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.  
 Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apo-  
 stolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus & Or-  
 dinationibus Apostolicis, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione  
 Apostolica, vel quavis firmitate alia roborati, statutis, & consuetudinibus, ac  
 usibus & styliis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indulciis & literis  
 Apostolicis prædictis, aliisque quibuslibet personis, etiam quacumque Eccle-  
 siastica vel mundana dignitate fulgentibus, & alias quomodolibet qualificatis,  
 ac specialem expressionem requirentibus sub quibuscumque verborum tenoribus  
 & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus  
 efficacissimis & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam  
 motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, & alias  
 quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries  
 iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis & innovatis. Quibus  
 omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis,  
 eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de ver-  
 bo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio  
 seu

PONT. seu quævis alia expresso habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc ser- ANNO  
 vanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omif-  
 A. II. so, & forma in illis tradita observata exprimerentur & infererentur, præsen- 1742  
 tibus pro plene & sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo  
 robore permanfuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter &  
 expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibul-  
 cumque. Cæterum per præsentibus non intendimus derogatum esse iis concessio-  
 nibus, quæ ad favorem quarumcumque Nobilium fœminarum ex eo, quod si-  
 ve earundem Majores, ac pro tempore existentes de familia fuerint & habe-  
 antur Fundatores, vel insignes Benefactores illius Monasterii, intra cujus clau-  
 stra vel septa fœminas etiam de familia ingredi vel concessum, vel cautum esse  
 sibi voluerunt, & de concessione hujusmodi confirmationem ab Apostolica  
 hac Sancta Sede obtinuerunt; sive fœminæ hujusmodi sint Consanguineæ &  
 Affines eorum, qui sunt Domini in Temporalibus locorum, in quibus Mona-  
 steria sita reperiuntur, & quacumque legitima tituli vel consuetudinis causa &  
 occasione ingressu hujusmodi de præfenti gaudent, factæ & impetratæ fuerunt;  
 dummodo concessiones hujusmodi per Apostolicas in simili forma Brevis, vel  
 sub Plumbo desuper expeditas literas dumtaxat, & non aliter omnino factas  
 & impetratas fuisse prius Ordinariis locorum Antistitibus vel Præsulibus per le-  
 gitima & authentica documenta constare fecerint; & dummodo nec vagandi,  
 nec otandi, nec comedendi cænandique, nec per ambulacra, cubicula, cæna-  
 cula, aliaque loca & officinas discurrendi causa, sed ad Ecclesias accedendi,  
 Sacrosanctum Missæ Sacrificium audiendi, aliaque erga Deum pietatis officia &  
 opera exercendi studio ingrediantur; & dummodo de earum adventu & ingressu  
 interdiu & opportune faciendo Superiores pro tempore existentes prius certio-  
 res fiant, ad hoc, ut absque fratrum incommodo & offensione, recto tramite  
 ad Ecclesiam pergatur, & alia de jure servanda servantur. Volumus autem, ut  
 earundem præsentibus literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis manu  
 alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate  
 constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra illud ubique loco-  
 rum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel osten-  
 sæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die  
 tertia Januarii millesimo septingentesimo quadragesimo secundo Pontificatus  
 Nostri Anno Secundo.

D. Card. Passioneus.

*Publicat. die IV. Januarii ejusdem Anni.*



PONT.

N U M. XVII.

ANNO

A. II.

D E C L A U S U R A M O N I A L I U M

1742

*Confirmantur Sanctiones Ecclesiasticæ antea editæ: Revocantur facultates  
 extraordinariæ permittendi ingressum, & egressum e Monasteriis.*

B E N E D I C T U S P P. XIV.

*Ad Perpetuam Rei Memoriam,*

**S**ALUTARE in Catholica Ecclesia institutum ab ipsa antiquitate susceptum  
 ac tanta cum sollicitudine & pastorali zelo custoditum, ut flos ille Eccle-  
 siastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta inde-  
 les, laudis & honoris opus integrum, atque incorruptum, Dei imago respon-  
 dens

PONT. dens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi, sanctæ Virgines, ANNO  
 A. II. quarum, quo sublimior gloria est, major & cura est, intra Monasteriorum  
 septa & claustra vigili, sollicitaque custodia servarentur, tam ante, quam post 1742  
 Tridentinæ Synodi Decreta Romani Pontifices prædecessores nostri tot sanctis-  
 simis Legibus, & initis Apostolicæ providentiæ, caritatisque consiliis com-  
 munire & confirmare studuerunt, ut quæ se Christo dicaverint, & a carnali  
 concupiscentia recedentes, tam carne, quam mente se Deo voverint, consum-  
 ment opus suum magno præmio destinatum. Quoniam autem, etsi providas  
 hujusmodi Sanctiones Constitutionesque, si ea, qua decet, regularis disciplinæ  
 observantia custodirentur, satis esse scimus, ut Virgines, ea quæ Cœlestis ea-  
 rundem Sponsi Jesu Christi sunt, cogitantes, sint sanctæ, & corpore, & spi-  
 ritu; longa tamen experientia edocti, & assiduis Venerabilium Fratrum alia-  
 rum Ecclesiarum Antistitum querelis admoniti, supremas Apostolicæ auctori-  
 tatis, providentiæque partes requiri, ut abusibus quamplurimis ex nimia quo-  
 rumcumque, aut sibi quocumque pacto arrogantium, aut prætendentium, aut  
 obtendentium facultatem alias sibi quomodolibet sive a jure, sive ab homine  
 concessam, vel demandatorum munerum ratione debitam esse, ut sive ipsi,  
 sive alii ingredi clausuram Monialium, aut ipsæ Moniales e clausura obqual-  
 cumque etiam non legitimas causas egredi, & extra clausuram hujusmodi com-  
 morari possint, licentiam concedendi indulgentia sensim investis opportune oc-  
 currantur: Hinc est, quod Nos pro suprema omnium Christi fidelium procura-  
 tione imbecillitati nostræ in universalis Orthodoxæ Ecclesiæ regimine divinitus  
 imposita opportunum abusibus hujusmodi remedium, quantum cum Domino  
 possumus, adhibere satagentes, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium,  
 omnes, & singulas Constitutiones a Romanis Pontificibus Prædecessoribus no-  
 stris tam ante, quam post Concilii Tridentini Decreta super clausura Monia-  
 lium editas renovamus, & confirmamus, necnon impoſerum ab omnibus, &  
 singulis, ad quos spectat, & in futurum spectabit, sub iisdem pœnis in Con-  
 stitutionibus eorundem Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, &  
 Decretis Concilii Tridentini præfati contentis inviolabiliter observandas esse  
 statuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus. Præterea motu proprio,  
 & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ pote-  
 statis plenitudine earundem præsentium tenore, omnia, & singula indulta,  
 privilegia, prærogativas, facultates, licentias, & quocumque alio pacto nuncu-  
 patas concessionem omnibus, & singulis quibuscumque Ecclesiasticis personis,  
 quacumque auctoritate, dignitate, honore, præminetia, ac jurisdictione fun-  
 gentibus, etiam Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Car-  
 dinalibus, sive singulis, sive eorundem Cardinalium Congregationibus, etiam de  
 Latere Legatis, sive qui Provinciis, & Legationibus Status Nostri Ecclesiastici pro  
 tempore præsunt, sive quos ad Carissimos in Christo Filios nostros Romanorum Re-  
 gem in Imperatorem pro tempore eligendum, vel electum, Reges, & Reginas illu-  
 stris, aliasque Summas Potestates, prout rerum conditio postulaverit, mitti & ab-  
 legari contigerit, sive qui licet, aliarum insignium Ecclesiarum Antistites, tamen  
 tamquam Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis Legati de Latere alias nuncupati & ha-  
 biti sunt, & fortasse habentur, aut haberi, & esse prætendunt, & impoſerum  
 habendi sunt, sive Ordinarii, sive Extraordinarii nostri, & ejusdem Apostolicæ  
 Sedis ubicumque, etiam apud ipsos Imperatorem, & Reges, ac Summas Po-  
 testates Nuncios, sive Inter-Nuncios resident (exceptis dumtaxat locorum Ordina-  
 riiis, iisque omnibus Superioribus, quibus tamquam Ordinariis, & ordinaria  
 Jurisdictione utentibus Monialium Monasteria subiecta, & addita sunt,) in ca-  
 sibus tamen necessariis, & servatis aliis de jure servandis, & non aliter om-  
 nino, ac demum quibuscumque aliis quocumque nomine, & expressione nuncu-  
 patis personis quocumque tempore a quibusvis, etiam ab ipsis Romanis  
 Pontificibus Prædecessoribus nostris quacumque de causa, occasione, titulo, co-  
 lore,


PONT. 50  
 A. II. lore, & pretextu per quascumque Apostolicas sive in simili forma Brevis, si- ANNO  
 ve sub Plumbo expeditas Literas sub quibuscumque verborum formis facta, da- 1742  
 ta, concessa, & impertita, sive factas, datas, concessas, & impertitas, super  
 hujusmodi ingressu revocamus, abolemus, annullamus, atque irritamus, nec  
 non a datarum earundem presentium die revocata, abolita, annullata, & ir-  
 rita, ac nullius prorsus momenti, ac vigoris esse, & fore, neminique cuilibet  
 quocumque tempore suffragari, ac quemlibet omnium antedictorum, etiam spe-  
 ciali mentione dignorum quacumque facultate hujusmodi sive pro se, sive pro  
 aliis temere uti audentem, ipso facto absque ulla alia declaratione poenas, &  
 Ecclesiasticas censuras contra Violantes Clausuram Monialium inflictas, a qui-  
 bus, praeterquam a Nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice, nisi  
 in mortis articulo, absolvi possit, incurrere, & incursum esse; licentiamque  
 hujusmodi concessam nullo modo suffragari, atque nullius momenti, perinde ac  
 si minime concessa fuisset, ipso facto fore, & haberi, ac poenas, & censuras  
 Ecclesiasticas ipso etiam facto, ut praemittitur per contrafacientem incurri, &  
 incurfas esse statuimus, decernimus, ac declaramus. Decernentes easdem praes-  
 entes Literas, & in eis contenta quacumque etiam ex eo, quod quicumque  
 in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes cujusvis  
 status, gradus, ordinis, praeminentiae, & dignitatis existunt, seu alia speci-  
 fica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec  
 ad ea vocati, citati, & auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint,  
 sufficienter adductae, verificatae, & justificatae non fuerint, aut ex alia quali-  
 bet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, pretextu, &  
 capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis enormissimae, & totalis  
 laesionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullita-  
 tis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensus aliove quo-  
 modolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inex-  
 cogitabili individuumque expressionem requirente defectu notari, impugnari,  
 infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci,  
 seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcum-  
 que juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetra-  
 to, seu etiam motu, scientia & potestatis plenitudine paribus concessio, vel  
 emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo  
 posse; sed ipsas praesentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere  
 & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab il-  
 lis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter,  
 & inconcusse observari: sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque  
 Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Audito-  
 res, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Se-  
 dis praedictae Nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeminentia & potestate  
 fungentes functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, &  
 interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, ac irritum &  
 inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoran-  
 ter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit no-  
 stra, & Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaestio non tollendo, aliisque Con-  
 stitutionibus Apostolicis, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione  
 Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, ac  
 usibus & stylis etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis & Literis  
 Apostolicis praedictis, aliisque quibuslibet personis etiam quacumque Ecclesia-  
 stica, vel mundana dignitate fungentibus, & alias quomodolibet qualificatis,  
 ac specialem expressionem requirentibus sub quibuscumque verborum tenoribus  
 & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque effi-  
 cacionibus efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis,  
 etiam, motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, &



PONT. alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac plu- ANNO  
 ries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis.  
 A. II. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de il- 1742  
 lis eorumque totis temporibus specialis, specifica, expressa, & individua, ac  
 de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes men-  
 tio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmo-  
 di, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & in illis tradita, obser-  
 vata, exprimerentur & infererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter  
 expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanuris, ad præ-  
 missorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac  
 derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem  
 ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impres-  
 sis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica  
 dignitate constitutæ munitis eadem protinus fides in Judicio, & extra illud ubi-  
 que locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel  
 offensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annullo Piscatoris  
 die tertia Januarii millesimo septingentesimo quadragesimo secundo Pontificatus  
 Nostri Anno Secundo.

D. Card. Passioneus.

Public. die IV. Januarii ejusdem Anni.



PONT.

NUM. XVIII.

ANNO

A. II.

DE DOCTRINA CHRISTIANA

1742

*Populis tradenda; qua ratione, & Methodo Fidelium indigentia hac  
 in re consulendum sit.*

*Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis,  
 & Episcopis.*

BENEDICTUS PP. XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**E**TSI minime Nobis dubitandum sit, omnes, quibus animarum cura cre-  
 dita est, Vosque præsertim, Ven. Fratres ad Apostolatus officium eve-  
 stos, atque in Prælationis fastigio a Deo constitutos, in id potissimum  
 sollicitudinem intendere, ut Christianus Populus cælestis Doctrinæ pabulo enu-  
 tritus, & rudimentis Fidei saluberrime instructus in semitam Mandatorum Do-  
 mini, facem Vobis præferentibus, feliciter dirigatur: temperare tamen non  
 possumus, quin vos ipsos Nostræ Auctoritatis, ac Paternæ Dilectionis stimu-  
 lis excitemus ad tam pium, tamque salutare Opus Doctrinæ Christianæ im-  
 pensione cura provehendum, sublatis iis impedimentis, quæ animarum saluti  
 adversantur.

Quia vero scientibus Legem loquimur, & vigiles Ecclesiarum hortamur Au-  
 ristites; quibus nec Pietatis, nec alia sacrarum Literarum desunt præsidia;  
 supervacaneum ducimus plurimis urgere argumentis, non satis esse ad cæle-  
 stem Beatitudinem atsequendam confusim, & involute credere a Deo revelata,  
 & ab Ecclesia Catholica proposita Mysteria; Sed hanc cælestem Doctrinam di-  
 vinitus traditam, & quæ ex auditu concipitur, Doctoris legitimi, ac fidelis

PONT. ministerio ita esse accipiendam, ut sigillatim illius capita explicentur, & eorum aliqua necessitate *medii*, aliqua vero necessitate *præcepti* Fidelibus ad credendum proponamur. Præterea licet per Fidem justificari dicamur; cum ea sit humanæ salutis initium, & fundamentum; ad futuram tamen, quam inquiremus, Civitatem, ut pervenire aliquando mereamur, satis compertum est, solum Fidem non sufficere; Sed viam nosse, constanterque tenere oportere, nempe præcepta Dei, & Ecclesiæ, tum virtutes, quas persequi, tum vitia, quæ studiose declinare debemus. Quæ quidem omnia cum primis Catholicæ Fidei Rudimentis, sive *Doctrina*, ut ajunt, *Christiana*, contineantur; Episcopalis muneris exigit ratio, ut illa in singulis Diocæsiibus, & ubique locorum recte, atque ex ordine explicetur; nec posse Episcopos sine tacito conscientiæ convicio illam negligere, sed in hoc opus maxime necessarium omnem curam, & diligentiam conferre debere.

Id tamen oneris non ita Episcopo impositum esse intelligimus, ut ipse per se *Doctrinæ Christianæ* semper intersit, pueros interroget, & Mysteria Fidei, quam profitemur, aperiat. Nimum quippe novimus, in Pastoralis sollicitudinis munere prægravari Apostolicæ servitutis sarcinam, ac plane intelleximus, cum Anconitanam primum, tum deinde Bononiensem Ecclesiam regeremus, multis, variisque curarum veluti fluctibus jactari Præsulem suo satis muneri facere cupientem. Id vero futurum affirmamus, si Episcopus, alieno etiam a Visitatione Diocæsi tempore, quandoque adsit ubi doctrina traditur Christiano homine digna; pueros, puellasque de rebus antea auditis sciscitetur, ac Mysteria nostræ Religionis evolvat, & annunciet; Pastoris operam in maximam erediti sibi Gregis utilitatem cessuram, ejusdemque exemplum alios excitaturum ad Vineam Domini Sabaoth pro viribus excolendam.

Hanc administrandæ Ecclesiæ quasi legem sibi dixerunt nedum veteres, sed recentiores etiam Præsules Beatorum Civium Albo adscripti; Carolus nempe Borromæus, Franciscus Salesius, Turribius, Alexander Sardi, quorum aliqui (ut literis consignatum est) cum gravioribus dissentii, atque impeditis curis, adesse coram non possent, operæ, ac diligentia suæ Vicarium aliquem ex Canonis, aut ex Sacerdotibus designabant, qui, susceptis Pastoralis Ministerii partibus, Adolescentulos ad omnia Religionis Officia Fidei elementis informarent.

Optimum ergo, & ad profectum animarum maxime accommodatum erit Antifitis exemplum, si, quod antea dictum est, id omni tempore, præsertim vero dum obit Diocæsim, in singulis Parœciis impleverit. Sed ut quisque facile conjiciet, ad hoc vires ejus non suppetunt. Ideoque ut propositum assequatur, necesse est, diligentia, quanta potest maxima, curet, ne in aliis, quos tam laudabilis, tamque fructuosi operis Vicarios constituit, studium, ac sedulitas desidetur.

Duo potissimum onera a Tridentina Synodo Curatoribus animarum sunt imposita: alterum ut Festis diebus de rebus divinis sermonem ad populum habeant; alterum, ut pueros, & rudiores quosque Divinæ Legis, Fideique rudimentis informant. Si statis diebus eam Parochi concionem habebunt, quæ non persuasibilibus humanæ Sapientiæ verbis obstrepat auribus, sed captui Auditorum accommodata in eorum animos ostensione spiritus illabatur, si Mysterium aliquod annuntiabunt, in primis vero quod eo tempore Ecclesia recolat, ea differentes, quæ ad virtutem incitamento sint, & ad vitia fugienda, graviora præsertim, & quæ sædius grassantur in Populo; si diebus ipsis (hoc enim pariter debent suo muneri) pueros tanquam infantes modo genitos nutrant *Doctrinæ lacte*, nunc hos, nunc illos interrogando, dubio, atque involuta explicendo; Si demum cum Apostolo attendant lectioni, exhortationi, & doctrinæ, ut perfectus sit homo Dei, & ad omne opus bonum instructus: fas est credere, exitum optatis respondere posse, & Populum acceptabilem sectatorem Honorum Operum facile exiturum.

PONT. Verum satis experientia compertum est, imparem esse solius Parochi laborem; Cum nequeat unus omnes instruere, ubi Doctoris diligentiam numerus vincit. Quoties tamen Episcopus toto animo, ac studio in Ecclesiam sibi commissam incumbat, numquam necessariis, & opportunis destituetur auxiliis. Semper enim invenias, qui Tonsura initiari, qui per minorum, qui per sacrorum Ordinum gradus ad Sacerdotii fastigium promoveri, qui denique ad Ecclesiastica Beneficia etiam sibi munire studeant. Gravissimis idcirco verbis (& verbis facta respondeant) affirmet Episcopus, numquam se facturum, ut Tonsura inauguret grandiores ætate, aut Minores, præsertim vero Majores Ordines iis conferat, qui in tradenda Christiana Doctrina operam suam Parochis commodare neglexerint. Hunc porro Clericorum numerum idem Episcopus in singulas suas suæ Civitatis, & Diœcesis Parochias apte distribuit, & eorum aliquos determinatę Ecclesiæ adscribat. Denunciet præterea, ac fidem præstet, in conferendo Parochiarum, & aliorum Beneficiorum jure, plurimum apud te ponderis, & momenti habiturum studium, & diligentiam in hoc opus a Clericis collatam: atque ita te ipsa constabit, non Rectori tantum impositum esse docendi munus, sed plures illi præsto esse, ut omnes Officii sui numeros cumulate implere possit.

His accedit, Sacris Apostolicis Constitutionibus, & septima præsertim felic. record. Leonis X. Prædecessoris Nostri edita in Concilio Lateranensi, saluberrime cautum fuisse, ut tam Ludimagistri discipulos suos, quam Piæ Fœminæ Puellas instituentes, sana, & incorrupta Doctrina (Episcopo id potissimum urgente) tamquam pabulo vitæ nutriant, & confirment. Constat etiam, ipsam Episcopum posse, ac debere Sacris Oratoribus, quam diligentissime commendare, ut pro concione in Parentum aures, animosque ingerant, sua interesse Mysteriis nostræ Religionis susceptam prolem imbuere: & si ad id minus idonei fuerint, filios in Ecclesiam adduci oportere, in qua divinæ Legis præcepta explicantur. Pluribus itidem in locis pia, ac laudabilis, & ubi non sit recepta inducenda, consuetudo invaluit, Parocho idem munus persequenti auxilium ferant Laici tum viri, tum mulieres in Christiana institutione veluti adjutricem operam navantes, qui audiunt pueros, ac puellas Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, Symbolum Apostolorum, aliaque id genus memoriter pronunciantes. Alibi quoque Sodalitia erecta sunt, quorum Institutum nedum meritis laudibus cumulat san. men. Pius V. in sua Constitutione, quæ incipit: *Ex debito*; sed in omnibus etiam Diœcesibus propagari enixe exposcit. Quæ quidem omnia in unum collecta, si sedulo perpendantur, certum omnibus, atque exploratum erit, ubi multa sit messis, paucos nequam esse Operarios, nec eos deesse, qui parvulis panem petentibus frangant.

Sed quia compertum est, non solum Adolescentulos, illosque qui confirmata sunt jam ætate in divinarum rerum ignorantia versari, sed etiam viros, ipsosque senes salutaris Doctrinæ esse omnino expertes; Vel quia nunquam illam perceperunt, vel jamdiu perceptam paulatim delevit oblivio: huic etiam malo provida Episcoporum occurret vigilantia, si operis suis Vicarios cogent, quæ parata sunt, remedia sedulo adhibere.

Ut autem ab iis, qui in prima sunt ætate sermo instituatur; ad Sacram Eucharistiam, & Confirmationem admitti plures postulant. Pauci enim etiam hanc voluntatem, ac fere impatiens studium non præferunt. Moneat igitur Episcopus Parochos, eisque districte præcipiat, ne quis eorum sacrum Eucharistiæ Sacramentum administret, & *Schedulam*, ut ajunt, Confirmationis iis tradat, qui graviora Fidei, & Doctrinæ capita, & Sacramenti virtutem, & vim ignorent, vel quia parum in hoc Tyrocinio profecerunt, vel quia ea neglexerint audire, quæ ad hujusmodi Sacramenta pie, riteque suscipienda statim temporibus tradita sunt. Hoc sane pacto primæ ætatis satis videri potest consultum.

PONT. Si vero loquamur de Adolescentia, quoniam unusquisque proprium donum ANNO  
 A. II. rationem inhire. De primo hominum genere verba jam fecimus, cum de iis 1742  
 ageremus, qui Ordinibus initiari volunt. Id unum addi posse videtur, rem fore  
 magni commodi, multæque utilitatis plenam, si qui se sistunt examini, eos  
 præsul potissimum interroget de iis, quibus Christiani hominis scientia conti-  
 netur. Etenim magistra rerum experientia edocuit, ex his aliquos, tametsi la-  
 tini sermonis nitore, & elegantia exultos, in scientiarum curriculo liberali-  
 ter institutos, & quæ ad Ordines pertinent apprime callentes, de Doctrina ta-  
 men Christiana percotanti parum, aut nihil apposte respondere.

Si autem ad eos, qui in sæculo degunt, mentis aciem convertimus, palam  
 fit, illos ut plurimum sacri conjugii fœdera inhire. Verum ii Matrimonio  
 jungendi non sunt, si Parochus, ut debet, prius interrogando deprehenderit  
 Marem, seu Fœminam, quæ ad salutem necessaria sunt ignorare. Vix tantæ,  
 ac tam luctuosæ ignorantia locum relinquet Episcopus, qui Pastores animarum  
 admoneat officii sui, & huic si desint, negligentia repetat pœnas.

Omnes denique omnium ætatum, atque ordinum homines solent identidem  
 sordes animæ Pœnitentiæ Sacramento detegere. Curabit itaque Episcopus, ut  
 Sacerdos excipiens Confessiones fixum illud, immotumque animo semper ha-  
 beat, invalidam esse Absolutionem Sacramentalem, quam quis ignoranti res  
 necessarias necessitate *medii* impertitur, nec posse homines Deo per hujusmodi  
 Sacramentum reconciliari, nisi prius excussa hujus ignorantia caligine, ad  
 agnitionem Fidei educantur. Sedulo etiam animadvertet Confessarius in aliud  
 tempus rejiciendam esse Absolutionem illius, qui necessaria necessitate *præcepti*  
 suo vitio nescit; & eo quandoque casu Pœnitentem absolvi posse, quo se vin-  
 cibilis hujus ignorantia rem agnoscat, & accuset; ac intime dolens, tum a  
 Deo veniam precetur, tum Confessario serio promittat, operam se impense da-  
 turum, qua Divinæ Gratiæ præsidio discat etiam necessaria necessitate *præcepti*.

Hanc profecto Christiani Populi instituenti rationem si Pastores sibi propo-  
 fuerint, si eorum consilia, labores, & studia ad propositam methodum duxe-  
 rint referenda; sperare fas est, Fide, & Opere Gregem ita in dies profectu-  
 rum, ut coedificetur in habitaculum Dei in Spiritu Sancto.

At vero cum maximi momenti ea res sit, nullaque alia ad Dei gloriam, &  
 ad animarum salutem utilius instituta, mirari nemo debet, quod plurima pas-  
 sim objiciantur impedimenta. Sitæ quandoque sunt in agro parvæ, humilesque Ec-  
 clesiæ, aliæ Parochiali proximæ, aliæ vero longo intervallo disjunctæ, ad quas  
 diebus festis Patres familias una cum liberis accedunt Sacerdotem sacris operan-  
 tem audituri; ex quo fit, ut suæ Parochiæ nunquam fere intersint, nec ul-  
 lum de Mysteriis Fidei, de Præceptis, de Sacramentis verbum accipiant. Epi-  
 scopus huic malo occurret, suamque objiciet auctoritatem. Et primo quidem  
 quoad parvas Ecclesias Parochiali proximas, expressa lege caveatur, ne quis  
 antea Sacrificium faciat, quam Parochus Missam celebraverit, sermonem ha-  
 buerit, cæteraque sui muneris partes absolverit. Hoc enim pacto Ecclesia Pa-  
 rochialis confluentium Parochianorum numero celebrabitur. Quo vero ad par-  
 vas Ecclesias a Parochiali longe sepositas, cum difficile admodum sit, Para-  
 chianos ob locorum distantiam, longum iter, atque asperum, hyemali præser-  
 tim tempore, cum pluvia inundant, Parochialem adire, ibique Divinis Offi-  
 ciis interesse, relicta Ecclesia proximior: decernat Episcopus, gravibus etiam  
 statutis pœnis, quod Sacerdotes ibi operantes Christianæ Doctrinæ summam  
 Populo cradant, Divinamque Legem annuncient. Monendus tamen est Para-  
 chus, ne alienæ operæ nimium tribuat, sed videat ipse quo loco res sint, cum  
 pueri Sacramentum Eucharistiæ, & Confirmationis, alii vero Matrimonii sibi  
 administrari exposcant.

Præterea sua etiam Urbes habent impedimenta. Sæpe enim contingit, in aliis  
 Ecclē-


PONT. Ecclesiis, ac præsertim Regularium, solemnî ritu, magnaue Populi frequentia, Festum aliquem diem celebrari; ideoque si in Ecclesia Parochiali, summo mane, aut statim a prandio Catechismus habeatur; aut nemo, aut paci admodum sunt, qui eidem Catechismo interfint, quique præscriptas horas non capteantur. Sin vero capteantur horæ Civitatis commodo magis appositæ, usu compertum est, Populum ad Ecclesiam confluere, in qua Festus dies agitur, & celebritate pompæ illectum, Doctrinam Christianam non sine gravi animæ detrimento deserere. In hoc articulo quia certa, & communis regula præscribi non potest, id totum relictum esse volumus Prudentiæ vigilis Ecclesiæ Antistitis, qui attentæ loci, temporis, personarum qualitate, expensisque rerum omnium momentis ita studeat solemnî diei celebrationem cum Doctrina Christiana componere, ne alteri altera sit impedimento. Quod si Regulares, & Exempti contradixerint, & sanctum hoc Doctrinæ opus, licet, ab Episcopis prius admoniti, suis functionibus perturbare præsumperint, Nostram locorum Ordinariis auctoritatem, qua potimur in exemptos, pollicemur, nec alia Pontificiæ vigilantia deerrunt remedia, ne Parochiales Ecclesiæ debite fraudentur obsequiis.

Plurimum quoque ad Christiani Populi institutionem conferre poterit, si Visitatores eligantur, quorum alii Civitatem, alii Diœcesim illustrantes, omnia sedulo inquirent, ut certior factus Episcopus, pro meritis cuiusque Pastoris aut præmia decernat, aut pœnas.

Clementis Papæ VIII., aliorumque Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes hortamur in Domino, & enixe commendamus, in Doctrina Christiana tradendo adhiberi libellum de Clementis ejusdem mandato a Cardinali Bellarmino conscriptum, mox in deputata Congregatione diligenter examinatum, & approbatum; ac denique ab eodem Clemente in lucem eo saluberrimo consilio edi jussim, ut unus deinceps, idemque modus in docendo, & discendo Christianam Doctrinam ab omnibus teneretur. Nihil hac uniformitate optabilius, nihil ad præcavendos, qui in multiplicem Catechismorum varietatem irreperere possent errores, conducibilius, atque opportunius. Sicubi vero contigat ob peculiare regionum necessitates alium quempiam adhiberi forte libellum; sedulo invigilandum erit, nequid illi contineat, nequid in eum unquam inducatur a Catholica veritate absonum. Curandum insuper, ut in eo fidei dogmata clare, & dilucide sint explicata, additis si quæ desunt necessariis, ac sublati quæ redundant. Brevis enim, & univoca docendi methodus multum prodesse solet ad faciliorem interrogationem, cum quis periculum facit progressui puerorum. Complectatur Liber hujusmodi etiam Fidei, Spei, & Charitatis Actus, quos recte scienterque compositos esse, minime dubitandum. Sed si aliter se res habeat, castigati emandato prælo donentur Actus prædicti paucis potius, quam multis verbis efferi gaudent; dum illis tamen tota vis, & natura explicetur. Et quia Christianam Religionem profitenti maxime necessaria est consuetudo, & exercitatio sæpius eliciendi dictos Actus; idcirco ne illorum usu circumscribatur angustiis finibus, & exiguo numero a quibusdam singulis annis præfinito; Episcopus suæ non minus, quam alienæ salutis studiosus, provide statuatur, ut in Parochiis tum Urbis, tum Diœcesis Rectores animarum post Missam Festo die celebratam, statim ante Aram provoluti, clara, & intelligibili voce dictos virtutum actus eliciant, & præire satagant Populo, verba ab ipsis prolata devote reddituro. Hoc enim pacto Fideles sensim illos memoriæ mandabunt, & affuescent nedum Festis, sed aliis etiam diebus in hac pia exercitatione versari.

Saluberrimas has erudiendi Gregis rationes, quas Vobis, Ven. Fratres, per hæc Apostolica scripta notas esse volumus, quisque Vestrum facile intelliget, consonas esse *Monitis nostris Pastoralibus* prælo jam demandatis, cum Sponiam Nostram Bononiensem Ecclesiam Paterna Charitate cominus amplecteremur; illaque

PONT. lasque præterea ex Pontificiis Constitutionibus haustas esse, & Spectabilem An- ANNO  
 A. II. tificum Testimonio, & exemplo comprobatas. Quia vero maximam inde uti- 1742  
 litatem proficisci experimento cognovimus, quo majori possumus studio Vos  
 hortamur, & admonemus, ac per Viscera Misericordiæ Dei nostri enixe obte-  
 stamur, ut pro injuncto Vobis Pastoralis ministerii debito præmissorum execu-  
 tionis strenuo, constantique animo incumbatis: sedulo recogitantes, quidquid  
 laboris, studii, ac vigilantix in hunc scopum collatum fuerit, Deum omnium  
 Bonorum Datorem uberi mercede retributurum, & Apostolicam benedictionem  
 ex animo Vobis impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem  
 die VII. Februarii MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.



PONT.

N U M . X I X .

A. II.

D I S P E N S A T I O N U M

ANNO

*Matrimonialium causas veraciter exponendas, & ab Executoribus  
 omnino verificandas esse statuitur.*

1742

## B E N E D I C T U S E P I S C O P U S

S E R V U S S E R V O R U M D E I .

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**A**D Apostolicæ servitutis Nostre ministerium pertinet sedula invigilare cu-  
 ra, ut dispensationes super gradibus affinitatis seu consanguinitatis, in-  
 tra quos Matrimonia contrahi prohibentur, vel super aliis, a Sacris  
 Canonibus statutis impedimentis, nisi ex debitis causis non concedantur, &  
 omnia inde amoveantur, unde nota aliqua ab improbis aspergi possit nomini,  
 ac decori Romanæ Ecclesiæ, cui licet immerito, Divina Benignitate præsi-  
 demus.

§. I. Sane quidem ad dispensationes obtinendas, ab iis, qui eas postulant,  
 in suplici libello causæ pro illis consequendis exprimi solent; quæ si ejusmo-  
 di fuerint, ut juxta Canonicas Sanctiones, & prudens Ecclesiasticæ Provisio-  
 nis arbitrium locus ad dispensandum esse videatur, dispensatio concedi solet,  
 ejusque executio ut plurimum committi; cui onus incumbit diligenter inqui-  
 rere, an causæ expositæ veritate nitantur, ut, veris illis existentibus, gratia  
 executioni demandetur, secus vero si causæ nullatenus veritati consentaneæ  
 sint. Si autem contingant ob causas minime veras existentes, ut dispensatio  
 executioni non tradatur, qui eam impetrarunt apud negotiorum Gestores,  
 seu literarum Apostolicarum Expeditores conqueruntur; a quibus nonnunquam  
 responderi solet, executionem perperam, & injuria denegatam fuisse, quia  
 expressio causarum, earumque verificatio, in dispensationibus non est aliquid  
 substantiale, sed formalitas quædam, & Forensis styli consuetudo: quod non  
 minus veritati adversatur, quam executionis ordinem, ac modum bene ac pru-  
 denter constitutum subvertit: cum expressio causarum, earumque verificatio ad  
 substantiam & validitatem dispensationis pertineat, illisque deficientibus, gra-  
 tia nulla, ac irrita sit, nullamque executionem mereatur.

§. II. Id autem, ut plurimum evenit in dispensationibus in quibus apponi  
 solet clausula: *Et oratoribus vitæ periculum immineret*: quæ cum sæpe in dis-  
 pensationibus in primo, & secundo, vel in tertio gradu, & nonnullis aliis  
 canonicis impedimentis sine ulla ratione, causa, & veritate expressa reperian-  
 tur; Ordinarii locorum, qui cautius, & accuratius se gerunt, nisi vitæ peri-  
 culum

PONT. culum immineat dispensationem exequi recusant, alii vero, fortasse falso ru- ANNO  
more inducti, quod hujusmodi clausula sit mera formalitas, indulgentius quam  
A. II. necesse est procedentes, periculo vitæ neque argumentis probabilibus verifica- 1742  
to eoque Oratoribus saltem verissimiliter imminere comperto, gratiam dispen-  
sationis exequantur.

§. III. S. M. Prædecessor Noster Pius Pp. V. in sua Constitutione præviam motus proprii expedita, & publicata sub die quinta Decembris anno MDLXVI. cuius initium est: *Sicut accepimus*; decrevit, omnes, & singulos Procuratores tam Officii Sacræ Pœnitentiariæ, seu contradictorum, quam alios quoscumque Sollicitatores, & Scriptores, qui veritatem facti a narratione, quam ab ipsis Partibus habuerunt quoad substantialia, & qualitates necessario exprimendas, diversam faciunt, seu quoquo modo intervertunt, aut immutant, aut depravant & per subreptionem, & obreptionem gratias a Romanis Pontificibus extorquent, pœnam falsi incurrere, & ea puniri omnino debere.

§. IV. Hujusmodi autem Constitutio quamquam videatur pertinere dumtaxat ad Procuratores, Sollicitatores, & Scriptores Officii Sacræ Pœnitentiariæ, ubi per id temporis Matrimoniales Dispensationes etiam in foro externo concedi solebant, nihilominus pro Pastoralis nostræ, & Paterna cura ex alto Nobis commissa hortamur, monemus, ac præcipimus omnibus, & singulis negotiorum gestoribus, Procuratoribus, & Expeditoribus Literarum Apostolicarum, etiam Datarie Nostræ, ut cum supplices preces pro aliqua Matrimoniali Dispensatione porrecturi sunt, id primum ante omnia agant, ut plenam atque exactam facti notitiam assequi curent, sciscitantes ab ipsis Oratoribus, an eæ, & illæ causæ adsint, ex quibus sciunt dispensationem concedi solere in hoc, vel illo gradu; deinde in supplici libello facti speciem nitide, ac sincere exponant; caveantque diligenter, ne illam aliquatenus in rebus substantialibus alterent, immutant, invertant, corrumpant, sed stricte adhæreant iis, quæ ab Oratoribus sibi exposita fuerunt; & multo magis absterneant, ne quid falsi, aut ficti proprio ingenio inventum, vel excogitatum, ad gratiam dispensationis facilius obtinendam, in precibus obtrudant; demum, præ oculis habentes, se operam suam in Ecclesiasticis negotiis in hac Alma Urbe exhibere, ubi Cathedra veritatis est, ipsam solam ament, & sectentur veritatem, non lucrum, aut gratiam, & favorem supplicantium; diligenterque videant, ne mendacii, aut erroris merito argui, cum animæ suæ detrimento, possint, falso, & perperam asserentes, causas, earumque verificationes, ex provida Nostrorum Prædecessorum dispositione in hujusmodi gratiis ad Ecclesiasticæ disciplinæ vigorem, & Canoniarum legum, & Apostolicarum Constitutionum voluntatem servandam, apponi & respective demandari solitas, vanas, & superfluas esse, & tamquam inanes Curie formalitates, parvi ac nihili esse faciendas.

§. V. Præterea hujusmodi graves abusus, quibus honor, & decus hujus Almam Urbis dehonestatur, & Sedis Apostolicæ splendori, ac dignitati officitur penitus abolere cupientes motu proprio, & certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine præfatam Constitutionem S. Mem. Pii V. Prædecessoris Nostri extendimus, dilatamus, ac producimus ad omnes prædictos negotiorum Gestores, Procuratores, & Expeditores literarum Apostolicarum, cujuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis, & quocumque indulto privilegio & dignitate munitos; & quatenus opus sit, eam de novo ferimus, statuimus, & innovamus; volentes, ac decernentes, ut omnibus superius expressis casibus pœna falsi contra Delinquentes locum habeat; sine tamen præjudicio obligationis refundendi expensas Oratoribus, qui ob illorum culpam ejusmodi dispensationes, quæ executioni demandari nequeunt, obtinuerunt.

§. VI. Denique omnes, & singulos Venerabiles Fratres Archiepiscopos, Episcopos, & locorum Ordinarios, cæterosque Executores literarum Apostolicarum, quibus hujusmodi Dispensationum exequentio committi solet, enixe rogamus,

FONT. gamus, & obsecramus, ut sedulo, ac diligenter attendant prius quam Dispensationis gratiam exequantur, an causæ in Apostolicis literis expressæ, & quarum verificatio eorum curæ, & vigilantia a Sede Apostolica commissa est, veræ ne, an secus existant, an potius Sedi Apostolicæ falsum expositum & veritas reticita fuerit; qua super re eorum conscientiam oneramus. ANNO  
A. II. 1742

§. VII. Et quoniam in iisdem Apostolicis literis super Dispensationibus in gradibus prohibitis, aliisque præfatis impedimentis nonnulla observata sunt, quæ negotium Executoribus quandoque exhibere, & scrupulos eorum animis ingerere solent, Apostolicæ Nostre sollicitudinis erit, ea dilucidius, & apertius in iisdem dispensationem literis Apostolicis exponere, ac declarare, ut omni dubitatione sublata, & causis coram Executore huiusmodi probationum genere probatis, quo de illarum veritate moraliter certus reddatur, Apostolicæ literæ Matrimonialium Dispensationum sine ulla hæsitatione ad debitam executionem deduci possint.

§. VIII. Mandamus quoque, & injungimus dilecto Filio Nostro Pompejo Tituli S. Eusebii S. R. E. Presbytero Cardinali Aldrovando nuncupato pro-Datario Nostro, ejusdem Successoribus Dataria Apostolicæ pro-Datariis seu Datariis pro tempore existentibus, ut in præmissis reos, & culpabiles reprobos, poena falsi, ut præfertur, puniat, cum potestate citandi, etiam per editum, constituto summarie de non tuto accessu, aliaque dicendi, & faciendi in præmissis necessaria, seu quomodolibet opportuna. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, statutis, & consuetudinibus, & quibusvis indultis & privilegiis, quibuscumque personis etiam speciali mentione dignis, datis & concessis cæterisque contrariis quibuscumque.

§. IX. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostri Decreti, constitutionis, monitionis, mandati, ac voluntatis infringere, vel ei aulæ temerario contrahere; si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, quinto Kal. Martias Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadagesimo primo, Pontificatus nostri Anno II.

D Card. Passioneus.

X. Sub-Datarius.

### VISA DE CURIA

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Public. die X. Martii ejusdem Anni.



## NUM. XX.

## DE APPELLATIONIBUS,

*Et Inhibitionibus concedendis, vel negandis.*

## BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**A**D militantis Ecclesiæ regimen nullo meritorum Nostrorum suffragio, sed imperscrutabilis consilii altitudine evocati, inter graves curas, quas assidue pro Nostro munere sustinemus, postrema illa non est, in quam totis viribus Nobis incumbendum esse ducimus, ut graves nimium, diuturnæ, nulloque unquam tempore intermissæ Episcoporum, aliorumque ordinariam Jurisdictionem habentium querelæ adversus Majora Tribunalia, atque illa etiam Nostræ Romanæ Curiæ propositæ, tandem compescantur. Intimo siquidem animi Nostræ mœrore, cum in minoribus adhuc essemus, jamdiu intelleximus, plerosque Locorum Ordinarios conqueri, sensim abusum irrepisse, quod ad malitiosam petentium suggestionem a Patriarchis, Metropolitanis, S. Sedis a latere Legatis, & diversis dictæ Romane Curiæ Judicibus *Inhibitiones* sine delictu Causæ, & rei, de qua agitur, examine passim concedantur: Et quamvis in more positum sit, dictas *Inhibitiones* indebite expeditas pro causæ meritis revocari, & aboleri; remedium tamen infligto vulnere non satis esse dicunt, cum interea oporteat Episcopos, aliosque inferiores Judices in ipso cautarum, & judiciorum cursu otiosos immorari, jus suum judicialiter asserere, & vindicare; & ad continendos in officio Populos gravia sæpe incommoda, & dispendia subire. E contrario Nobis quoque, dum etiam in minoribus essemus; Superiorum Judicum responsiones audire contingit, asserentium; memoratas querelas itane esse, nec ulli innixas fundamento, utpote ex hac unica re causam, & originem habentes, quod inferioribus grave est obedientiæ, ac subjectionis jugum erga majora Tribunalia, ipsisque nimis displicet, sibi subditis appellationis beneficio succurri. Porro cum facile hæc dissidia componi, & successu litium semina avelli possint, si quæ a Sacra Tridentina Synodo, ab Apostolicis Constitutionibus, & Congregationum Decretis provide sancita sunt, debita executioni mandentur: Nos idcirco ad conservandam Ecclesiæ disciplinam, restituendamque Tribunalibus formam eisdem canonicis legibus consentaneam, pro credito Nobis Apostolicæ servitutis Officio, opportune duximus consulendum.

Inhærentes itaque Decretis ejusdem Sacri Concilii, nec non Congregationis Episcoporum, & Regularium, jussu, & approbatione rec. mem. Clementis PP. VII. Prædecessoris Nostræ alias editis die XVI. Octobris MDC.; Itemque aliis Congregationis particularis jussu pariter, & approbatione fel. rec. Urbani PP. VIII. similiter Prædecessoris Nostræ, promulgatis die V. Septembris MDXXVII., eorumque declarationibus nuper superadditis a piæ mem. Benedicto XIII. etiam Prædecessore Nostræ in Appendice Concilii Romani, aliisque Apostolicis Constitutionibus, hac de re alias editis, & innovatis, & præsertim Constitutioni piæ mem. Gregorii XIV., quæ incipit = *Inscrutabili*, sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDCXXII. nonis Februarii; Distincte præcipimus, & mandamus, ne deinceps ab executione Decretorum dicti Sac. Conc. Tridentini in omnibus illis causis, & negotiis, in quibus ex-

PONT. quutio hujusmodi Episcopis, & Locorum Ordinariis, etiam uti Sedis Apostolicæ Delegatis, ab eodem Sacro Concilio, vel dictis Apostolicis Constitutionibus, ANNO  
 A. II. appellatione, vel inhibitione quacumque postposita, commissa est, appellatio 1742  
 aliqua in Tribunalibus prædictis recipiatur, vel Inhibitiones, Citationes generales, vel speciales cum Commissione inserta, Monitoria, & alia hujusmodi, per quæ dictorum Decretorum executio retardetur, aut Processus ad ulteriora in eadem executione suspendatur, aut impediatur, quoquo modo concedantur.

Itaque a quibuscumque Mandatis, prohibitionibus, provisionibus & statutis tam in Visitatione, quam extra pro Divino Cultu conservando, & augendo, & præsertim circa ea, quæ observanda, & evitanda sunt in celebratione Missæ, aut alio quovis modo respiciunt executionem Decreti Sac. Concilii *sess. de Reform. c. 8.*, & *sess. 22. in Decret. de observ.*, & *evit. in celebrat. Miss.*

Item a Decretis cogentibus Clericos tam Sæculares, quam Regulares etiam Monachos, & exemptos ad publicas Processiones, servata tamen forma Constitutionis san. mem. Pii V., quæ incipit: *Et si Mendicantium* = Prout etiam a Decretis, & provisionibus super præcedentia inter Personas Ecclesiasticas tam Sæculares, quam Regulares in eisdem Processionibus, vel associatione Defunctorum, delatione Umbellæ, & hujusmodi: Nec non super observatione Centurarum, etiam Episcopali, & Feriorum Diocesis, juxta dispositionem ejusdem Sacri Concilii *sess. 25. de Regular. cap. 12. & cap. 13.*

Item in omnibus his, quæ ad curam Animarum, & Sacramentorum administrationem quoquo modo pertinent, & præsertim adversos Monitiones, Centuras, aut alias provisiones, per quas Parochi, aut alii Curam Animarum exercentes, diebus saltem Dominicis, & Festis solemnibus Plebes sibi committas salutaribus verbis placere compellantur, docendo ea, quæ ad salutem necessaria sunt juxta Decretum Sacri Concilii *sess. 5. de Reform. cap. 2.*

Item adversus deputationem Vicariorum etiam perpetuorum, cum assignatione Congruæ, per quos Cura animarum exerceatur, quoties plura Beneficia Curata ex Dispensatione Apostolica ab aliquo obtineantur: Vel quoties eadem Beneficia Curata Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, Beneficiis, seu Collegiis, aut piis Locis quibuscumque perpetuo unita, & annexa reperiuntur juxta præscriptum dicti Sacri Concilii *sess. 7. de Reform. c. 5. & cap. 7.* & juxta Constitutionem san. mem. Pii V. quæ incipit = *Ad exequendum.*

Item adversus Visitationem Beneficiorum Curatorum, ut supra perpetuo unitorum, necnon quarumcumque Ecclesiarum quomodolibet exemptarum, prout etiam adversus Decreta, & provisiones ab Ordinario capiendas, ut quæ in eis reparatione indigent, reparantur, & Cura Animarum, si qua illis imminet, aliisque debitis, obsequiis minime detraudentur, juxta dispositionem sacri Concilii eadem *sess. 7. de Reform. c. 8.*, & *sess. 21. c. 7.*

Item a Decretis, seu Mandatis, per quæ Episcopi, etiam uti Apostolicæ Sedis Delegati, in Ecclesiis Parochialibus, aut Baptismalibus, in quibus Populus ita numerosus est, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & Cultui Divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, Cultum Divinum celebrandum: Aut etiam invititis Rectoribus procedant ad constitutionem novarum Parochiarum cum assignatione competentis portionis, ubi ob locorum distantiam, sive difficultatem Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & Divina Officia audienda accedere non possunt; Vel denique propter paupertatem, & in cæteris casibus a jure præmissis deveniant ad uniones perpetuas aliorum Beneficiorum simplicium, non tamen Regularium; juxta dispositionem sacri Concilii *sess. 21. de Reform. c. 4. & c. 5. & sess. 24. similiter de Reform. c. 13.*

Item a deputatione Goadjutorum, aut Vicariorum pro tempore, vel aliis pro-

PONT. provisionibus ab Episcopo capiendis, etiam tamquam Apostolicæ Sedis Dele- ANNO  
gato, quando illiterati, & imperiti Parochialium Ecclesiarum Rectores sacris  
A. II. minus apti sunt officiis, cum assignatione partis fructuum pro sufficienti illo- 1742  
rum victu: Nec non a suspensione, atque etiam a privatione illorum, qui  
X turpiter, & scandalose vivunt, & postquam præmoniti sunt, in sua nequitia  
incorrigibiles perseverant, juxta præscriptum ejusdem Concilii d. sess. 21. de  
Reformat. cap. 6.

Item a translatione Beneficiorum simplicium, etiam Jurispatronatus, ex Ec-  
clesiis, quæ vetustate, vel alias collapsæ sint, & ob eorum inopiam nequeant  
instaurari, vocatis iis, quorum interest, in Matrices, aut alias Ecclesias cum  
omnibus emolumentis, & oneribus: Prout etiam a Decretis cogentibus Patro-  
nos, Rectores, & Beneficiatos, aut Parochianos, sive Populum ad refectionem,  
& instaurationem Ecclesiarum Parochialium, servata forma sacri Concilii d.  
sess. 21. c. 7.

Item a censuris, sequestratione & subtractione fructuum, aut aliis quibus-  
cumque provisionibus, pro cogendis ad residentiam Parochis, cæterisque omni-  
bus, quibus Cura animarum incumbit, juxta Decretum ejusdem sacri Concilii  
sess. 23. de Reform. c. 1.

Item a denegatione, revocatione, suspensione, vel restrictione, & limitatio-  
ne facultatis audiendi Confessiones respectu eorum, qui Parochiale Beneficium  
non obtinent, etiam si fuerint Regulares pro excipiendis Confessionibus Sæ-  
cularium, juxta ordinationem sacri Concilii sess. 23. c. 15., & Prædecessorum  
Nostrorum Constitutiones, ac, præcipue illam sel. rec. Clementis X. quæ in-  
cipit = *Superna*.

Item in illis Civitatibus, aut Locis ubi vel Parochiales Ecclesiæ certos non  
habent fines, nec earum Rectores proprium Populum, quem regnat; sed prom-  
iscue petentibus Sacramenta administrant, vel etiam nullæ sunt Parochia-  
les, a divisione, seu distinctione Parochiarum, earumque ordinatione, sive in-  
stitutione in titulum, perpetuum juxta Decretum sacri Concilii sess. 24. de Re-  
form. c. 13.

Item a deputatione Vicarii, vel OEconomii cum assignatione congruæ pro  
tempore, quo vocat Ecclesia Parochialis; Prout etiam ab indictione Concur-  
sus, relatione examinatorum, nec non prælectione, & provisione Episcopi in  
eodem Concursu juxta definitionem sacri Concilii eadem sess. 24. de Reform. c. 18.

Item a Mandatis, seu Decretis inhibentibus prædicationem, vel publicas le-  
ctiones, aut coercentibus, vel punientibus quoscumque etiam exemptos tam  
Sæculares, quam Regulares, qui in alienis Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non  
sunt absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum non  
petita illius benedictione, aut ipso contradicente prædicare præsumperint ju-  
xta Decretum sacri Concilii sess. 5. de Reform. c. 2., & sess. 24. similiter de Re-  
form. c. 4., & Constitutionem præ mem. Gregorii XV., quæ incipit = *In-  
scrutabili* §. fn. Una cum declarationibus contentis in Constit. Clementis Pp.  
X., quæ incipit = *Superna*.

Et generaliter in omnibus iis, quæ pertinent ad Curam Animarum, & re-  
ctam Sacramentorum administrationem adversus visitationem, correctionem,  
coercitionem, & quascumque alias provisiones Episcopi Dicecesani, etiam quo-  
ad exemptos, sive Sæculares, sive Regulares juxta laudatam Constitutionem  
Gregorii XV., quæ incipit = *Inscrutabili*.

Item adversus quascumque Provisiones, & Decreta pro conservanda, aut  
restituenda clausura Sanctimonialium, aut pro correctione, seu punitione eo-  
rum, qui circa Personas intra Monasteria degentes, aut circa Claustram, vel  
circa Bonorum administrationem deliquerint. Prout etiam ab examine pro ap-  
probatione, vel reprobatione Confessariorum sive Regularium, sive Sæcula-  
rium quomodocumque exemptorum, & tam Ordinariorum, quam Extraordi-  
nario.

PONT. nariorum pro excipiendis Confessionibus Monialium, etiam Regularibus subje- ANNO  
 ctarum: Itidemque a Decretis; vel aliis quibuscumque provisionibus cogenti-  
 A. II. bus Administratores sive Sæculares, sive Regulares quomodolibet exemptos ad reddendam  
 singulis annis rationem Bonorum ad Monasteria Sanctimonialium, vel eorum  
 hujusmodi pertinentium: Ac demum a quibuscumque Decretis super amotione  
 Capellanorum, Sacristarum, & aliorum quorumcumque Officialium, & Mini-  
 strorum tam Sæcularium, quam Regularium ipsis Monialibus, vel eorum Ec-  
 clesiis interservientium juxta dispositionem sacri Concilii *sess. 25. de Regular. &*  
*Monial. c. 5. c. 9. & c. 10.* servata tamen quoad Regulares, & exemptos forma  
 prædictæ Constitutionis rec. mem. Gregorii XV. quæ incipit = *Inscrutabili*.

Item adversus pastorem Visitationem Diocesis, & præsertim Monasterio-  
 rum Commendatarum, Abbatiarum, Prioratum, & Præpositarum, in quibus  
 non viget Regularis observantia, nec non Beneficiorum tam Curatorum, quam  
 non Curatorum Sæcularium, & Regularium qualitercumque commendatarum,  
 etiam exemptorum: Prout etiam ab executione eorum, quæ in ipsa Visita-  
 tione mandata, decreta, aut judicata fuerint: Nec non similiter a quibuscum-  
 que Decretis, & Provisionibus etiam extra Visitationem pro conservatione,  
 vel reparatione Ecclesiasticæ Disciplinæ quoad vitam, mores, & honestatem  
 quorumcumque Clericorum, luxum, commestationes, choreas, lusus, crimina,  
 & sæcularia negotia fugienda, atque evitanda juxta plura Decreta dicti sacri  
 Concilii, & præsertim *sess. 6. de Reform. c. 4. sess. 13. c. 1. sess. 14. c. 4. sess. 21. c. 8.*  
*sess. 22. c. 1., & c. 8., & sess. 24. c. 10.* ad formam tamen Decretorum Sac-  
 Congregat. Episcoporum de mandato san. mem. Clementis VIII. editorum  
 ann. MDC.

Item a Decretis cogentibus Præsentatos electos, vel nominatos a quibusvis  
 Ecclesiasticis Personis, etiam Nostris, & Sedis Apostolicæ Nunciis ad quævis  
 Ecclesiastica Beneficia, ad se subjiciendum examini Ordinarii, antequam insti-  
 tuantur, confirmantur, vel admittantur, quemadmodum cavetur *sess. 7. de*  
*Reform. c. 13.*

Item a denegatione Sacrorum Ordinum, vel adscensus ad alios Majores;  
 prout etiam adversus suspensionem ab Ordinibus jam susceptis ob crimen oc-  
 cultum, sive ex informata conscientia juxta dispositionem sacri Concilii *sess. 14.*  
*de Reform. c. 1., & c. 3. sess. 21. c. 1., & sess. 23. c. 16.*

Item a præfixione termini, intra quem Regularis Episcopo non subditus,  
 qui intra Clausura Monasterii degat, & extra ea ita notorie deliquerit, ut Po-  
 pulo scandalo sit, a suo Superiore puniri debeat ac de punitione ipse Episco-  
 pus certior fieri juxta Decretum sacri Concilii *sess. 25. de Regular. c. 14., &*  
*Constit. fel. rec. Clementis Pp. VIII.,* quæ incipit = *Suscepti muneris:* Nec  
 non adversus punitionem eorundem Regularium, qui circa Personas intra se-  
 pta degentes, aut circa Clausuram ipsam delinquerint juxta prædictam Con-  
 stitutionem Gregorii XV., quæ incipit *Inscrutabili*.

Item a Clericis, aut aliis provisionibus contra Concubinarios, & præsertim  
 Clericos etiam retinentes domi, aut extra Mulieres suspectas juxta præscriptum  
 sacri Concilii *sess. 24. de Reform. Matrim. c. 8. & sess. 25. de Reform. c. 14.*

Item adversus privationem Privilegii Fori, & alias provisiones contra Cle-  
 ricos non incedentes in habitu, & tonsura, & in aliis casibus a sacro Concilio  
 præscriptis *sess. 14. de Reform. c. 6. & sess. 23. similiter in c. 6.* Prout etiam  
 ab examine, approbatione, vel reprobatione Patrimonii sacris, Pensionis Ec-  
 clesiasticæ, aut Beneficii quoad Clericos promovendos ad sacros Ordines juxta  
 dispositionem ejusdem Concilii *sess. 21. de Reform. c. 2.*

Item adversus convocationem Capituli, quam faciat Episcopus ad aliquid  
 deliberandum, & juxta vota ipsorum Capitularium concludendum, quoties de  
 re ad summ, vel suorum commodum spectante non agatur juxta Decretum sa-  
 cri Concilii *sess. 25. de Reform. cap. 6.*

PONT. Item a Mandatis, seu Decretis super conversione tertiæ partis fructuum, quorumcumque proventum, & obventionum tam Dignitatum, quam Canonice-  
 A. II. tum, Personatum, portionum, & officiorum in distributiones quotidianas, & earumque divisione inter Dignitates obtinentes, & cæteros Divinis interessentes in Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones hujusmodi quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, juxta Constitutionem ejusdem Concilii *sess. 21. de Reform. cap. 3. & sess. 22. similiter de Reform. cap. 3.* ANNO 1742

Item adversus exercitium facultatum Episcopis competentium super executione omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate, quam intervivos in casibus a Jure concessis juxta dispositionem sacri Concilii *sess. 22. de Reform. cap. 8.*

Item a Visitatione Hospitalium, Collegiorum quorumcumque, & Confraternitatum Laicorum, Eleemosynarum, Montium Pietatis, five Charitatis, & omnium Piorum Locorum quomodocumque nuncupatorum, etiamsi eorum Cura ad Laicos pertineat, aut exemptionis Privilegio sint munita: Ac denique a cognitione & executione eorum omnium, quæ ad Dei Cultum, aut Animarum salutem, seu Pauperes sustentandos instituta sunt juxta dictum Decretum sacri Concilii *sess. 22. de Reformat. cap. 8.*

Item a Decretis seu Mandatis cogentibus Administratores tam Ecclesiasticos, quam Laicos, etiam exemptos Fabricæ cujusvis Ecclesiæ, etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, Eleemosynæ Montis Pietatis, & quorumcumque Piorum Locorum ad reddendam singulis annis ipsi Ordinario rationem Jux administrationis, nisi aliud in institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ, seu Fabricæ expresse cautum fuerit juxta Decreta sacri Concilii *sess. 7. de Reform. cap. 15. & sess. 22. c. 9. & sess. 25. c. 8.*

Item a Decretis compellentibus Notarios etiam Apostolica Imperiali, & Regia auctoritate creatos, & Scribentes in Causis Ecclesiasticis, vel Spiritualibus ad se subjiendum examini: Eorumque remotione, vel suspensione in Casu delicti, vel imperitiæ juxta præscriptum sacri Concilii *d. sess. 22. c. 10.*

Item ab erectione Seminarii, & taxatione quorumcumque Dignitatum, Personatum, Officiorum, Præbendarum, Portionum, Abbatiarum, & Prioratuum cujuscumque Ordinis etiam Regularis, Hospitalium, quæ dantur in titulum vel administrationem, & Beneficiorum quorumcumque etiam Regularium, etiam Jurispatronatus, etiam exemptorum, etiam nullius Diocesis, vel alii Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & aliis quibusvis Locis piis etiam exemptis annexorum, ac quorumcumque aliorum Ecclesiasticorum reddituum, seu proventuum ad Fabricas Ecclesiarum Confraternitates, & Monasteria omnia, non tamen Mendicantium, pertinentium; Nec non Decimatum quacumque ratione ad Laicos, atque etiam Milites cujuscumque Militiæ, aut Ordinis, Hierosolymitano excepto, spectantium, pro ejusdem Seminarii, manutentione: Prout etiam ab unione, & applicatione aliquot Beneficiorum simplicium, nec non a Decretis cogentibus eos, qui Scholasterias obtinent, vel quibus lectionis, vel Doctrinæ munus est annexum ad dicendum per se ipsos, vel idoneos Substitutos, & generaliter a Mandatis, & provisionibus, quæ quoquo modo respiciunt curam, directionem, & administrationem Seminarii, plenamque executionem Decreti editi a Sacro Concilio super Collegio Puerorum in singulis Cathedralibus instituendo *sess. 23. de Reform. c. 18.*

Item a Mandatis, seu Decretis cogentibus Æconomos, Vicarios Capitulares ad reddendam rationem Administrationis per eos gestæ Sede Episcopali vacante juxta præscriptum Sacri Concilii *sess. 24. de Reform. cap. 16.*

Item a comminatione excommunicationis a Jure latæ, & a Sententia excommunicationis latæ ab homine, suspensionis, & interdicti, nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis: Et e converso a Sententia absolutionis ab eis.

PONT. ab eisdem Censuris Ecclesiasticis: Et generaliter ab exequutione aliorum quo- ANNO  
rumcumque Decretorum d. Sacri Concilii Tridentini Episcopis, atque Ordina-  
A. II. rii locorum demandata ab ipso Concilio & in Constitutione fel. rec. Pii Pp. IV. 1747  
quæ incipit = *Benedictus Deus.*

Volumus, præcipimus, & mandamus, quod ab Archiepiscopis, Patriarchis, seu Primatibus, aliisque Judicibus Ecclesiasticis, etiam nostris, & Sedis Apostolicæ Nunciis, vel de latere Legatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, atque etiam Cameræ nostræ generali Audire, Signaturæ Justitiæ Præfecto, cæterisque Judicibus Romanæ Cutoriæ, eorumque Vicarius, & Officialibus, Citationes generales, vel speciales cum Commissione inserta, Monitoria, & alia hujusmodi cum inhibitione, per quam exequutio Decretorum, Mandatorum, & Provisionum hujusmodi retardetur, suspendatur, aut impediatur, minime concedantur, & quatenus nunc, aut imposterum concessa fuerint, nullatenus habeant, atque ab Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis impune sperni possint, quacumque consuetudine etiam immemorabili, vel quovis Privilegio, aut stylo concedendi Inhibitiones in Causis prædictis, tamen temporarias, penitus exclusis. Nos enim Citationes, & Monitoria, aliter quam ut præfertur, concessa, vel imposterum concedenda, nulla atque irrita declaramus, & pro nullis, atque irritis haberi volumus, & mandamus: Decernentes, quod adversus Decreta, Mandata, & Provisiones ejusmodi, quas, vel quæ ab Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis fieri, vel capi contigerit in Causis, & negotiis prædictis, vel simplex dumtaxat, & extrajudicialis recursus per viam supplicis libelli ad Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices vel respective, & juxta Causarum naturam, & qualitatem appellatio ad quos de Jure in solo devolutivo, & sine retardatione vel præjudicio legitimæ exequutionis recipi, & admitti possit.

Quoniam vero in hisce ipsis negotiis, & Causis, in quibus Inhibitiones Canonicam exequutionem impediunt, aut suspendentes concedi non debent, dari possunt casus, qui per ipsum Sacrum Concilium Tridentinum, vel juxta ejus Mentem per Apostolicas Constitutiones, & Sacrarum Congregationum declarationes, aut communem Doctorum Sententiam, a præfata generali regula de non concedendis Inhibitionibus, ejusque posthabendis, excipiuntur, quique ut plurimum non aliter quam prudenti Judicis arbitrio secundum particulares Facti circumstantias æstimari possunt: Hinc Nos, ne sub ejusmodi prætextu Inhibitiones, ut supra prohibita vulgo, & sine ullo delectu etiam in Casibus non exceptis concedantur, Statuimus, & mandamus, quod in dictis Causis, & negotiis expressis Metropolitanis, Patriarchæ, Primates, alique Judices prædicti, & præsertim Cameræ nostræ generalis Auditor, ejusque Locumtenentes, & Signaturæ Justitiæ Præfectus, ejusque Auditor, ad quos in contingenti casu pro obtinenda Inhibitione recursus haberi contigerit, etiam si asseratur, casum illum a Sac. Concilio, vel Apostolicis Constitutionibus quacumque de Causa exceptum esse: Nihilominus literas Citatorias vel Monitoria cum Inhibitione hujusmodi non concedant, nisi prius ex facti circumstantiis in supplici libello a Parte recurrente clare, ac dilucide exponendis, & cum aliquo documento semiplene saltem verificandis, eisdem summarie apparuerit, casum illum esse de exceptis, & propterea Episcopo, vel Ordinario Loci inhibendum esse, ne ad ulteriora procedat; Tunc enim, & non alias, & postquam ipsi Judices, quorum conscientiam hac in parte oneramus, super dicto supplici libello manu sua rescripserint, quod Inhibitio concedi potest, libellusque cum rescripto ejusmodi in Actis productus fuerit, diligenter ibidem custodiendus, & asservandus, liceat eorum Notariis, sive Aduariis literas Citatorias cum dicta Inhibitione expedire, & Parti recurrenti tradere, ita tamen, ut in earum calce expresse adjiciatur sequens clausula = *Nos enim attentis Juribus, & supplici libello Nobis præsentatis, atque in Actis exhibitis, sic ut præfertur, inhibendum esse speciali Rescripto*

PONT. *pto mandavimus* = Alias literæ ejusmodi sine tali clausula nullam vim inhibendi habeant in casibus prædictis. Et nihilominus si Notarii sine dicto speciali ANNO

A. II. Rescripto super supplici libello, aut sine productione illius in Actis, aut sine prædicta clausula, Citaciones ulla aut Monitoria cum inhibitione sub quocumque prætextu, seu colore expedire, ac tradere præsumperint, etiamsi illæ, aut illa a Judice subscripta fuerint, pœnam infamiæ, & perpetuæ inhabilitatis ad Officium Notarii in Causis Ecclesiasticis exercendum, & quoad illos Camerae Nostræ generalis Auditoris, aut aliorum Romanæ Curiae Judicum superius ex- 1742  
 pressorum, etiam quinquaginta ducatorum auri de Camera, pro una medieta-  
 te Camerae Nostræ Apostolicæ, & pro alia ipsi Parti recurrenti, & in Causa  
 interesse habenti, sin minus alicui ex Locis Piis arbitrio Nostro, Nostorum-  
 que Successorum destinando applicandam ipso facto incurrant.

Ad hæc similiter inhærentes dispositioni ejusdem sacri Concilii *sess. 7. de Re-  
 form. c. 24., & sess. 14. c. 5.,* nec non etiam Decreto piæ mem. Benedicti  
 XIII. hac in re promulgato inter ejus additiones ad decreta Urbani PP. VIII.  
 in Appendice ad Concilium Romanum volumus, & mandamus, quod Clerici  
 Sæculares, aut Regulares extra Monasterium degentes quomodolibet exempti  
 in Civilibus Causis Mercedum, & Miserabilium Personarum, etiamsi certum  
 Judicem a Sede Apostolica deputatum in partibus habeant: In aliis vero, si  
 ipsum Judicem non habuerint, coram Locorum Ordinariis, tamquam ab ipsa  
 Sede delegatis, conveniri in prima instantia, & Jure medio ad solvendum de-  
 bitum cogi possint.

Quo vero ad Personas non exemptas inhærendo similiter dispositioni ejusdem  
 sacri Concilii *sess. 13. de Reformat. c. 1. & sess. 22. c. 7. & sess. 24. c. 20.* nec  
 non supradictis Decretis generalibus Congregationibus Episcoporum editis anno  
 MDC. cum novissimis additionibus, seu declarationibus piæ mem. Benedicti XIII.  
 in Appendice Concilii Romani: Volumus, statuimus, & mandamus, quod  
 Causæ omnes tam Civiles, quam Criminales ad Forum Ecclesiasticum perti-  
 nentes, exceptis Privilegiatis, quæ ex eodem Concilio, vel alias juxta Cano-  
 nicas Sanctiones apud Nos, & Sedem Apostolicam tractari possunt, aut de-  
 bent, coram Ordinariis Locorum dumtaxat, in prima instantia cognoscantur,  
 neque a Metropolitanis, Patriarchis, aut Primatibus, aliisque Judicibus Eccle-  
 siasticis, etiam Nostris, & Sedis Apostolicæ Nunciis, vel de Latere Legatis,  
 aut Camerae nostræ generali Auditore, & cæteris quibuslibet Curiae nostræ  
 Judicibus ad se avocari, vel aliis committi possint, nisi per viam legitimæ  
 appellationis, & in casibus ut supra non prohibitis ad ipsorum Tribunalia de-  
 ferantur. Appellationes autem non recipiantur, neque inhibitiones vigore il-  
 larum concedantur, nisi prius consliterit, quod nedum per legitimam Perso-  
 nam, & intra legitima tempora vere appellatum fuerit; sed etiam quod ap-  
 pellatum fuerit a Sententiâ definitiva vel habente vim definitivæ, aut a gra-  
 vamine, quod per definitivam Sententiam reparari non possit: Idque per pu-  
 blica Documenta, quæ realiter in Actis exhibeantur: Tunc enim, & non an-  
 tea Judici, ad quem appellatum fuerit, in Causa se intromittere, citaciones,  
 & inhibitiones concedere liceat, dummodo tamen concedantur cum inscriptio-  
 ne tenoris Sententiæ, aut Decreti definitivi, seu vim definitivæ habentis, vel  
 damnum per definitivam irreparabile inferentis; Alias citaciones, inhibitiones,  
 Processus, & inde sequuta quæcumque sint, ipso Jure, nulla, atque impune  
 sperni possint.

Quod si appellans asserat Sententiæ, aut Decreti exemplum authenticum  
 culpa Judicis a quo, vel Notarii, sive Actuarii habere non posse, tunc sal-  
 tem copiam simplicem Sententiæ, seu Decreti in Actis producere teneatur,  
 ejusque tenori in litteris Inhibitorialibus incerto adjicienda erit, prout adjici  
 volumus, & mandamus in earum corpore expressa conditio = *Quatenus tamen  
 tenor insertus vere & in substantialibus cum Originali concordet, eodemque Origin-*

PONT. nali præsentis literæ sint in tempore posteriores, alioquin nullæ, & irritæ cen- ANNO  
 A. II. seantur: Etsi secus factum fuerit, inhibitiones aliter concessæ nullatenus affi-  
 ciant, & Notarii, sive Actuarii, qui illas expediverint, incidant in pœnas 1742  
 superius expressas. Cum vero a gravamine, quod per definitivam reparari ne-  
 quit, appellatum fuerit; siquidem res sit de carceratione jam sequuta cum  
 Mandato verbali, non aliter expediri poterunt Inhibitiones vigore Appellatio-  
 nis, quam constituto prius de ipsa carceratione per depositionem saltem duo-  
 rum Testium. Interim tamen Appellans in eodem, quo reperitur, carcere  
 permanebit, donec aliter ser. ser. judicatum fuerit; Ubi vero agatur de cen-  
 suris jam prolatis, vel de comminatione Carcerationis, Torturæ, aut Censu-  
 rarum, observetur omnino dispositio dictorum Decretorum Congregationis  
 Episcoporum sub. rec. mem. Clemente VIII., juxta additiones, & declaratio-  
 nes piæ mem. Benedicti XIII.

Uterius in prædictis Causis in prima Instantia pendentibus, vel aliis supe-  
 rius expressis, in quibus non admittitur appellatio in suspensivo, citationes,  
 quæ expediri solent coram Cardinali Signaturæ Jusstitiæ Præfecto, vel ad effe-  
 ctum comparendi, vel pro adeundo eandem Signaturam, tametsi ab ejus Au-  
 ditore subscriptas, vim inhibendi nullatenus fortiri posse volumus, easque ad  
 prædictos alios dumtaxat effectus, comparendi scilicet, vel adeundi Signaturam  
 expeditas censerî, non autem ad retardandam executionem, vel suspenden-  
 dum Processum ad ulteriora.

Denique quoad Causas privilegatas, quæ, ut præfertur, in prima etiam  
 Instantia apud Nos, & Sedem Apostolicam tractari possunt, nihil ex antiquo  
 mutandum esse volumus, sed Monitoria in illis coram Camera nostræ generali  
 Auditore, vel ejus Locumtenentibus, prout hætenus laudabiliter observatum  
 est, expedienda esse juxta præscriptum Apostolicarum Constitutionum, & præ-  
 fertim sel. rec. Paoli V. Prædecessoris Nostri in Constit. quæ incipit = *Uni-  
 versis* = nec non prædictorum additionum, & declarationum Benedicti XIII.,  
 exceptis tamen Monitoriis intimandis ultra Montes, in quibus ad evitanda  
 scandala, & litigantium incommoda, volumus omnino renovari, & observari  
 stylum, qui olim in eo Tribunali vigeat, idest quod ad ejusmodi Monito-  
 riorum expeditionem non aliter procedatur, quam oblato prius ipsi Auditori,  
 vel alteri ex ejus Locumtenentibus, coram quo Monitorium expediendum erit,  
 supplici libello universam Facti speciem clare, & dilucide continente, & præ-  
 vio etiam ejusdem Judicis rescripto, quod Monitorium expediri possit penes Causæ  
 Notarium, vel Actuarium, diligenter custodiendo. Etsi aliter quam præfertur,  
 & absque dicto supplici libello, ac speciali Judicis rescripto dicta Monitoria  
 ultra Montes intimanda expedita fuerint, Notarius, sive Actuarius, & Sub-  
 stitutus, qui illa expediverint, ipso facto incidat in pœnas superius expressas.

Omnia, & singula hætenus a Nobis disposita ad rectam Judiciorum metho-  
 dum restituendam eo impensius ab omnibus exacte custodiri, & observari man-  
 damus, quo clarius constat, hac nostra Constitutione non novas ferri, sed an-  
 tiquas instaurari leges provide, sapienterque institutas, & temporum injuria,  
 ac hominum fraude obsoletas, & novo Pontificiæ auctoritatis præsidio commu-  
 niri ordinem procedendi in Causis jamdiu præscriptum superioribus, & infe-  
 rioribus Tribunalibus a sacra Tridentina Synodo, Congregationum Decretis,  
 & Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, aliisque  
 Ordinationibus Apostolicis; ideoque si ipsi Judices omni semoto, ut par est,  
 humanæ cupiditatis affectu, præ oculis solum habuerint, quæ tam maturo,  
 tamque saluberrimo sunt constituta, & ordinata consilio, facile eorum quilibet  
 agnoscat, quæ sui, & quæ alieni Ministerii partes esse debeant in admit-  
 tendis, ac respective rejiciendis Causarum Appellationibus, & inhibitionibus:  
 Atque ita fiet, ut non solum unicuique in suo ordine debita Jurisdictionis, &  
 auctoritatis prærogativa servetur; sed etiam ut, extinctis prorsus, ac radici-  
 tus



PONT. tus avulsis omnium contentionum, & discordiarum feminibus, mutuo charitatis vinculo Tribunalia socientur, & inter illa recte agendi disciplina Christiano Populo utilis, & necessaria restituatur.

A. II.

1742

Demum ut exemplo Nostro, omnes præmissorum executioni caute, & pro viribus incumbant, & ut præsertim Notariis, Tabellionibus, & eorum Actuariis, & Substitutis omnis contraveniendi ansa præcedatur, volumus, & expresse mandamus, Processus, & Acta Causarum in Nostra Romana Curia coram quovis Judice pendentium, ac Inhibitiones, Appellationes, Monitoria, aliasque Citatoriales, & Inhibitionales literas, quas ab iisdem Notariis, eorumque Substitutis, scientibus, vel insciis Judicibus, vel alias quomodolibet in posterum expediri contigerit, sedulo recognosci, & examinari per fides dignas Personas a Nobis opportune deputandas, quæ si deprehenderint, eisdem Inhibitionum contra hujus Constitutionis formam, & ad subterfugienda Ordinariorum, & Episcoporum judicia, quæsito gravaminis colore fuisse perperam concessas, & expeditas, in eosdem Notarios, & Substitutos Canonicis pœnis, aliisque a Nobis supra expressis, severe pro modo culpæ animadvertant.

Decernentes has præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & ejusdem Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter conigerit, attentari.

Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, ac usibus, & stylis, etiam immemorabilibus, & privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis præfatis, aliisque quibuslibet Judicibus, Curis, Tribunalibus, & Personis, etiam quantumvis sublimibus, & specialissima mentione dignis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac Consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus, approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio; seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omissis, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & infererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris, ac præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem eadem præsentis literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari, sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare ac affice-

PONT. re, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent: ipsa- ANNO  
 A. II. rum autem literarum transcriptis, seu exemplis etiam impressis, manu tamen 1742.  
 alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate  
 constitutæ munitis, eadem prorsus fidem tam in iudicio, quam extra illud ubi-  
 que locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel  
 ostensæ.

Non ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri Decretis, Constitu-  
 tionis, & declarationis, annulationis, admonitionis, & voluntatis infringere,  
 vel ei ausu temerario contrahere; Si quis autem hoc attentare præsumpserit,  
 indignationem Omnipotentis, Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se  
 noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem tertio Kal.  
 Aprilis Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo  
 secundo Pontificatus Nostri anno secundo.

D. Cardinalis Passioneus.

X. Sub-Datarius.

VISA DE CURIA

N. Antonellus.

I. B. Eugenius.

Loco ꝯ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die XVIII. Aprilis ejusdem Anni.

PONT.

N U M. XXI.

ANNO

A. II.

I N D U L G E N T I Æ .

1742

Pro recitantibus Orationem Angelus Domini confirmantur.

NOTIFICAZIONE .

Fr. Gio: Antonio del Titolo de' SS. Silvestro, e Martino a' Monti, della  
 S. R. C. Prete Card. Guadagni della Santità di Nostro  
 Signore Vicario Generale ec.

**L**A Santità di Nostro Signore sempre intenta a dar eccitamento, e simo-  
 lo a' Fedeli di ricorrere al Signore per ottenerne le sue Celesti Benedi-  
 zioni, volendo togliere la diformità, che s' incontra fra questi nelle pu-  
 bliche preghiere, quali si fanno al suono della Campana, la mattina, al mez-  
 zo giorno, e alla sera, allor quando si recita la solita Orazione dell' *Angelus*  
*Domini*, &c. e con essa tre volte l' *Ave Maria* &c., conferma in primo luo-  
 go le Indulgenze già concedute dalla San. Mem. di Benedetto XIII., cioè l' In-  
 dulgenza plenaria, e remissione di tutti li Peccati universalmente, ed in per-  
 petuo a quelli, che veramente pentiti, confessati, e comunicati in un gior-  
 no di ciaschedun mese a loro elezione reciteranno, come sopra, la mentovata  
 Orazione, e negli altri giorni dell' anno l' Indulgenza di cento giorni per cias-  
 cheduna


PONT. cheduna recita, parimente in perpetuo; ed inerendo alla disposizione della Rubrica, comanda, che detta Orazione dal Vespro di ciaschedun Sabato, a tutta la Domenica seguente si reciti in piedi. ANNO 1742

A. II. Comanda in oltre, che durante il tempo Pasquale, quale termina alli primi Vesperi della Domenica della Santissima Trinità, in vece della medesima Orazione, si reciti in piedi l' Antifona *Regina Celi*, &c. col suo Versetto, ed Orazione corrispondente *Deus qui per Resurrectionem*, &c., per la recita della quale Antifona concede anche benignamente la Santità Sua l' istesse Indulgenze, come sopra, esortando premurosamente tutti i Fedeli a non trascurarne l' acquisto.

Quelli poi, che non sapranno a mente la suddetta Antifona, acquisteranno le medesime Indulgenze, recitando, come sopra l' Orazione dell' *Angelus Domini*, &c. Dato in Roma dalla Nostra solita Residenza li 20. Aprile 1742.

Fr. G. A. Card. Vicario.

Gasparo. Arciprete Orti Segretario.



PONT.

NUM. XXII.

ANNO

A. II.

DECLARATUR.

1742

*Quæ fuerit mens Pontificis in constitutionibus super Jejunio editis.*

*Venerabili Fratri Andreae Archiepiscopo Valentia.*

BENEDICTUS PP. XIV.

*Venerabilis Frater, Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

**C**OGNOVIMUS in fraternitatis tuæ literis inveteratum Hispanæ pietatis morem, cui semper solemne, & proprium fuit, & explicandum proponere Apostolicæ Sedis, quidquid obsecuritatis ejus decreta habere videantur. Laudavimus autem Pastoralem sollicitudinem, qua sedare voluisti obortam inter aliquos tuæ Diocesis disputationem de sensu Literarum Nostrarum, quibus quo pacto Ecclesiastici Jejunii lex observanda, aut solvenda sit, constituimus. Respondemus igitur Postulato tuo, Nos in iisdem literis definiendum non suscepisse, an qui Ecclesiastica auctoritate ab Jejunio excusantur, non solum vetitis cibus uti, sed justæ pariter vespertinæ abstinentiæ fines egredi queant. Præcipimus autem Episcopis eorumque Delegatis, ut nemini vescenti carnibus aliisque cibus vetitis veniam tribuant, nisi sub gravi, impetrata simul unicæ comestionis norma. Ita universale istud præceptum præ tua spectantissima vigilantia Gregi tuo indicendum jubeto. Interea Fraternitati tuæ haud ignari, qua ipse excellas religione, virtute, atque in Nos, Romanamque Sedem eximia observantia, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Maji MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

E. Vincentius Lucchesinius.

*Post absolutam Messem, pauperibus permittenda.*

*Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis Ditionis  
Ecclesiasticæ.*

## BENEDICTUS PP. XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**A**CERBI plane doloris argumentum paterno cordi nostro præbuerunt clamores Pauperum, quos mense Junio superioris anni moleste accepimus, cum ad Arcem nostram Gandulphi secedentes, quæsitæ ad valetudinem saluberrimi aeris amœnitate, ad proxima eidem Arci loca divertemus. Multorum siquidem vocibus, ac lacrymis proposita Nobis est querela contra Agrorum Dominos, qui oculos suos in terram declinantes, pio, & antiquo immutato more Pauperes, Messe jam absoluta, Spicas colligere non patiuntur: sed illas, vel Agrorum Conductoribus aucto censu colligendas, vel gregibus animalium rorandas relinquunt, in proprium traduentes compendium pie, sancteque instituta misericordiæ præsidia. Hujusmodi querelas nostris quotidie obstrepentes auribus confirmarunt supplices Egenorum libelli, eum in finem Nobis exhibiti, ut antiqua colligendarum spicarum libertas, non sine injuria sublata, auctoritate nostra in commune solatium restitueretur.

§. 1. Verum etsi hujusmodi licentia, ultra domini jura fortasse prosecta, plurimum Nos commoveret nulloque pacto ferendam esse intelligeremus, aperiis Sacrarum Literarum testimoniis; Nihilominus magni momenti negotium in aliud tempus duximus rejiciendum, ut in eo absolvendo Sacræ Scripturæ Interpretes, qui tunc Nobis deerant, facem præferrent, totaque lege, ut ajunt, perspecta consultius aliquid deliberare possemus. Id vero longe fuit opportunum, tum quia tantum Nobis ocii, ac quietis in summa temporum difficultate postea datum est, quantum ad rem sedulo investigandam necesse fuit: Tum quia interea perpeximus, hujusmodi abusum irreplisse in alia Ecclesiasticæ Ditionis loca magno detrimento Pauperum, qui causam suam prece, & lacrymis apud Nos tuentur.

§. 2. Tacti igitur intimo charitatis sensu, eo alacriores calamo manus admovemus, quo clarius, & luculentius constat Agrorum Dominos ad exercendam hanc in Pauperes liberalitatem Dei ipsius oraculo edoceri. Probe enim nostris, Venerab. Fratres, scriptum Levit. Cap. 19. *Cum messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solum superficiem terræ, nec remanentes Spicas colliges: Neque in Vinca tuâ racemos, & grana decidentia congregabis, sed Pauperibus, & Peregrinis carpenda dimites; Ego Dominus Deus vester: Et rursus Deuteronomii Cap. 24. Quando messueris segetem in Agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reverteris, ut tollas illum, sed Advenam, & Pupillum, & Viduam auferre poteris, ut benedicat Tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. Si fruges collegeris olivarum, quidquid remanserit in arboribus, non reverteris, ut colligas, sed relinques Advenæ, Pupillo, ac Viduæ. Si vindemiaris Vincam tuam, non colligas remanentes racemos, sed cedent in usus Advenæ, Pupilli, ac Viduæ.*

§. 3. Illud etiam accedit, quod in Lib. Ruth. cap. 2. legimus, eam Socru suæ Noemi dixisse: *Vadam in Agrum, & colligam Spicas, quæ sugerint manus meæ, ubiunque clementis in me Patrisfamilias reperero gratiam.* Et paulo post

PONT. post in Agrum Booz ingressam Spicas collegisse, ut sacræ testantur Litteræ: ANNO

A. II. Booz, quænam illa esset Mulier, Moabitidem esse responderetur; nec desissent 1742

qui testarentur, illam a primo mane ad eam usque horam spicas collegisse: *Audi* (inquit) *Filia, ne vadat in alterum Agrum ad colligendum, nec recede ab hoc loco; sed jungere Puellis meis, & ubi messuerint, sequere: Mandavi enim Pueris meis, nemo molestus sit tibi: Præterea tantum pii Viri animus ac contumeliis absuit, ut eam non colligere tantum relictas, sed & integras spicas metere passus sit, jubens ea de causa Messoribus: etiamsi vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam: Quare cum sese domum Ruth recepisset, tantamque frumenti copiam Socru suæ ostendisset acceptam; illam memori, ac grato animo, collectas fruges Datori censuit referendas, inquit: Sit benedictus qui misertus est tui.*

§. 4. Longa Nobis oratione uti necesse esset, si Sacrorum Interpretum, si Juris quoque Consultorum sententias ea de re afferre vellemus; ipsis diu, multumque perquirentibus, an veteri lege cessante, permittendarum spicarum præceptum obsoleverit: An charitatis officiosæ monitum, vel potius justitiæ exigentis imperium fuerit. Si enim ex præcepto Divinæ legis profluere hæc pietas in pauperes exercenda: quæsito veluti ex præcepto jure Mulier in Agro Booz decedentes spicas sibi vindicasset, nec ad eas obtinendas caute inita fuissent prudentiæ, & artis ingeniosa consilia.

§. 5. His consulto omisis, in id potissimum collimant nostræ Apostolicæ sollicitudinis partes, ut Agrorum Domini tanto commoti exemplo, nostrisque vocibus incensi, Pauperes exigua hac ope fraudari non patiantur. Meminerint, non humano labore, sed singulari Dei beneficia, qui dat escam in tempore, uberes terræ fructus comparari, & copioso veluti fœnore augeri quidquid in pauperes pie erogatur. Quod quidem, cum sæpe in sacris paginis cautum sit, tum maxime pollicetur Deus in Deuteronomio spicas Pauperibus ultro largiendus in iis verbis: *Ut benedicat tili Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum.*

§. 6. Injuncto tamen Apostolico muneri deesse videremus; nisi nostra etiam studia, & officia ad Vos converteremus, Venerabiles Fratres, quibus solemne semper fuit, causam Pauperum, quæ causa Dei est, omni ope, & conatu tueri. Ideoque majori, quo possumus paternæ charitatis sensu hortamur, ut in vestram veluti clientelam suscipientes Pauperes, dignum pietate vestra zelum exhibeatis. Vestris primum vocibus, & exhortationibus, ac mandatis etiam in singulis Diœcesum vestrarum Parochiis inter Missarum solemniam evulgandis, commendetur Egenorum causa, agnoscatque Populus quam turpe, ac Christiano nomini indecorum sit, messe jam absoluta, Pauperes ab Agri finibus amoveri. Potissimum vero intelligant Agrorum Domini, colligendarum spicarum morem immaturo consilio sublatum fuisse in iis locis, in quibus diuturno usu jam invaluerat, ibique restitui omnino oportere: Ubi vero pia hæc consuetudo recepta adhuc non sit, pro viribus inducatur, in solatium Egenorum, qui gravi saltem, si non extrema laborant inopia, quique in difficultium temporum angustiis magis magisque conficiuntur.

§. 7. Demum Curatores Animarum in Populi aures, animosque ingerant, certa non satis ratione constare, an quod veteri lege cautum est, nova abrogatum sit: & an pauperes quæsito ex præcepto jure, vel impetrato a misericordiæ beneficio colligendarum spicarum libertate fruantur. Plura de hoc argumento subicere non sinit evidens æquitas causæ: sed afflictis Pauperum rebus solatium a perspecto zelo, & pietate vestra polliciti, Apostolicam Vobis benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XXII. Maji MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Inverecunda, Festis potissimum diebus frequentari solita,  
prohibentur.

*Venerabilibus Fratribus, Episcopis Provinciarum Maritimæ, & Campaniæ,  
aliorumque locorum &c.*

BENEDICTUS PP. XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**N**ihil profecto Nobis ad vigiliis Dominici gregis assidue excubantibus accidere potuit acerbius, nihilque quod minus hac tempestate opinaremur, quam ut deformes, & inverecundi Ethnicorum mores, a quibus Christiani hominis pudor, & modestia semper abhorruit, denuo isthic invecti essent, ac veluti postliminio restituti. Quamvis enim minime Nos lateret, scelestos olim Lupercalium Administratos, sacra Fauno, vel Pani per ludum, atque lasciviam persolventes, nudos huc illuc per Urbem discursisse; Sanctumque Pontificem Gelasium Prædecessorem nostrum tanta commotum impudentia, ac obscenum morem execrantem, Literas dedisse Andronico Senatori, Populoque Romano acri nefarii ritus assertori: Nihilo tamen minus memoriæ proditum est, quinto post Christum sæculo exeunte, Theodorico Italiæ Rege, & Anastasio Orientis Imperatore pestem illam penitus fuisse sublatam, & extinctam. Nunc vero multorum relatu (quod dolentes dicimus), certisque indicibus admonemur, profanum morem perpetua involvendum caligine, e tenebris iniquitatis rursus emergere, ac in vestris Diœcesibus fœde revocari, eum ad Sanctorum Patronorum Festa solemniter recolenda, Pueri, ac interdum etiam Adolescentes, cursu in spem Bravii nudi contendere jubeantur, maximæ utriusque sexus, ac omnium ætatum spectante frequentia. Quæ quidem spectacula eo nequitix magis, ac improbitatis præferunt, quo magis non impuro alicui, ut antea, Numini, sed piæ, castæque Sanctorum memoriæ nuncupantur.

§. 1. Qua igitur corporis nuditate impudentissime habita sunt apud veteres Lupercalia, eadem Festis Christianorum Dies isthic celebrantur; nec minus injuriæ in illis verecundia passa est, quam in his hodie morum honestas habeat detrimenti. Dies Festi non ad id instituti sunt, ut Christianus Populus, epulis, ebrietatibus, ludis, spectaculis, aliæque id genus licentiæ liberius vacet; sed ut Fideles in precibus, divinisque laudibus frequentes, & assidui sint, ut Ecclesiis intersint, Sacramenta ad animæ vulnerum curationem instituta adhibeant, seduloque se exerceant in his operibus, quæ veram pietatem continent, & ut demum Sanctos una cum Christo regnantes, tamquam Patronos, congruis officiis, & honoribus prosequantur.

§. 2. Dedecet præterea membrorum nuditas, atque ita dedecet, ut veterit Ecclesiastica disciplina Salvatoris Imagines nudo penitus corpore in tabulis, vel simulacris expressas; Et quamvis nudo corpore Christum Cruci suæ affixum, & illorum temporum mores, & gravium Scriptorum auctoritas suadeant; adhuc Christianorum pietas a tali spectaculo semper abhorruit. Athletarum pugnx (ut litteris consignatum est) in stadio apud Græcos, in Circo apud Romanos usui fuere, atque in illis Disco, Lucta, & Cœstu strenue certatum est; utque veterum testantur monumenta, interdum nudi, interdum etiam fascia tecti homines dimicantur. In vestris igitur Diœcesibus, Venerabiles, Fratres, nonni-

PONT. hil prisæ licentiæ adhuc remanet: Et cum in Plateis seminudi his luctationibus vacent homines; cumque ex industria sæpius, sæpius vero ex violento ANNO  
A. II. motu nudi penitus circumagantur, facile quisque conicere potest, quom ab- 1742  
sonum, & indecorum sit his ludis aditum non intercludere.

§. 3. Quapropter ne inuncto Nobis Apostolicæ servitutis officio deesse videamur, directe per hæc scripta mandamus, ut turpes, & obscenæ huiusmodi exercitationes Puerorum, Adolescentium nudorum curius, luctæque, quocumque nomine, vel occasione exhibendæ, a vestris Diocæsisbus eliminentur. Et quia inobedienciæ delictum, mixti, ut ajunt, Fori videri potest; curabimus diligenter, ut si qui legum vestrarum rationi fuerint refragati, in eos, etiam qui nostro nomine Civitatibus temporaliter præsumunt, rigida, & condigne animadvertant; sique fore speramus, ut fœda hæc corruptela, utroque percussa gladio radicitus evellatur.

§. 4. Verum quia impioribus etiam causis vindices non desunt, & propugnaces Assesores, si qui forte sint, qui impudenter exprobrent, huiusmodi indos Pontificum Antecessorum tollerantia, ac diuturno usu invaluisse: hæc probe sciant, nullum ex temporis lapsu deploratæ causæ comparari præsidium. Et ne longe a vestris Diocæsisbus petantur exempla, in memoriam revocent, choreas etiam quasdam mulierum, & virorum publice eo die haberi solitas, quo S. Sixti Pontificis, & Martyris Alatrinx Civitatis Patroni recolebatur, jussu Episcopi provide vetitas fuisse; & Edictum Episcopi, licet acri calamo Romanæ Curie Advocatum impetitum, die 2. Aprilis 1694. a Congregatione Negotiis Episcoporum, & Regularium præposita, strenue fuisse propugnatum. Cæterum cum Sancto etiam Gelasio objiceretur, antiqui moris fuisse Lupercalia, Sanctissimus Pontifex consuetudinem pudori inimicam, & honestati detrahentem reprobavit, ratus Prædecessorum suorum leges saluberrime institutas non desuisse, sed hominum fraude, & malitia leges ipsas fuisse contemptas.

§. 5. Quemadmodum itaque Nos de perspecta Prædecessorum nostrorum vigilantia egregie, ut par est, sentimus, & abusum non illorum incuriæ, sed subditorum inobedienciæ ducimus referendum; sic a Vobis spectabiles Ecclesiarum vestrarum Antistites a quavis negligentia nota vindicentur: Quanti Dei honorem, Sanctorum cultum, & animarum salutem facitis, Venerabiles Fratres vos hortamur, & obtestamur, ut corrupti huiusmodi mores, specie quadam lætitiæ investiti, reformentur; utque creditæ Vobis oves ab impuro, profanoque ritu declinantes, ad piam, & fructuosam Festos dies celebrandi rationem traducantur. Nos interea, in optati eventus auspiciis, Apostolicam Bened. ex animo Vobis impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XII. Augusti MDCCXLII. Pontif. Nostri Anno secundo.

## SACERDOTES

*Missam celebrantes non teneri Sacram Eucharistiam omnibus petentibus infra ipsam actionem ministrare.*

*Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis,  
& Episcopis Italiæ.*

## BENEDICTUS PP. XIV.

*Venerabiles Fratres salutem, & Apostolicam Benedictionem:*

**C**ERTIORES effecti, pullulare in nonnullis Italiæ Diocæsi-  
bus controversiam de obligatione, qua Sacerdotes Missas celebrantes adstringuntur  
Eucharist. ministrare intra easdem fidelibus iis, qui ad ipsam accipiendam  
paratos se exhibent, ac petunt Sacrificii, cui adstant, participes fieri; Nostro  
proinde animo reputavimus, gliscenti malo Apostolicæ hujus paginæ document-  
to obviam ire, ne ulterius, haud absque fidelidum eorumdem scandalo, pro-  
grediatur. Itaque, Venerabiles Fratres, sermonem Nostrum ad Vos converti-  
mus, ut ipsi quoque Pastoralis, hac in re Officii partes minime negligatis.  
Ac primo quidem dicendum Nobis occurrit, nemini ex fidelibus in mentem venire  
posse Missas privatas, in quibus Sacerdos solus sacram sumit Eucharistiam, propte-  
rea veri, perfecti, & integri Sacrificii incruenti a Christo Domino instituti  
rationem amittere, ideoque illicitas esse existimandas. Nec enim ignorant fi-  
deles, aut saltem facile edoceri possunt, Sacrosanctum Tridentinum Concilium  
innixum doctrinæ, quam perpetua Ecclesiæ Traditio servavit, huic adversan-  
tem novam, falsamque Lutheri sententiam damnasse *sess. 22. c. 6. & can. 8.*  
*... Si quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communi-  
cat, illicitas esse, ideoque abrogandas: anathema sit.*

Nihilominus, quandoquidem vetus Ecclesiæ praxis & disciplina, juxta quam  
fideles Missis adstantes participare passim, atque in publicis conventibus sole-  
bant Sacrosanctum Sacrificium, institutioni & exemplo Christi Domini omni-  
mode convenit, verba ejusdem Concilii eo ipso spiritu, quo ab eodem prola-  
ta sunt, iteramus: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fide-  
les adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ per-  
ceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior pro-  
veniret.*

Utinam autem eo ipso Christianæ pietatis fervore, quo primorum sæculorum  
fideles exardebant, nostrorum quoque temporum homines inflammati, avide ad  
publicam sacram Mensam advolare, sanctorumque Mysteriorum solemnitati non  
adesse tantum, sed religiose eorumdem participationem exoptare conspiceren-  
tur. Nulla certe res est, qua utilius Episcopi, Parochi, Confessarii studium  
suum omne impendere valeant, quam in excitandis fidelibus ad eam mentis  
puritatem sectandam, unde digni reddantur frequenti ad sacram Mensam acces-  
su, & non spirituali tantum, sed Sacramentali etiam participatione illa Sacri-  
ficii, quod a Sacerdote, tamquam publico Ecclesiæ Ministro, non pro se tan-  
tum, sed pro ipsis, & ipsorum nomine offertur. Et quamvis de eodem Sacri-  
ficio participent, præter eos quibus a Sacerdote celebrante tribuitur in ipsa  
Missâ portio Victimæ a se oblata, ii etiam, quibus Sacerdos Eucharistiam re-  
servari solitam ministrat; non tamen idcirco aut vetuit umquam Ecclesia, aut  
modo



PONT. modo vetat, satisfieri ab ipso Sacerdote pietati, & iustæ eorum petitioni, qui ANNO  
Missæ adstantes ad consortium admitti possulant ejusdem Sacrificii, quod & ipsi  
A. II. pariter offerunt ea ratione, quæ ipsos decere potest; immo probat atque cu- 1742  
pic, ne id omittatur, eosque Sacerdotes increparent, quorum culpa & negli-  
gentia fidelibus participatio illa denegaretur.

At quoniam in Ecclesia Christiana opus est cuncta ordinate, & congruenter  
disponi, Pastores vigilantiam & curam suam conferent, ut ex una parte Fide-  
lium pietas minime fraudetur eo accellu, eaque participatione; ex alia vero  
ita utrumque fortiatur, quin ulla in laudabilibus aliis institutis oriatur pertur-  
batio, unde facile confusio etiam & scandalum oriretur. Quare Pastores mone-  
re debent eosdem fideles, ut participes esse cupientes sacræ Mensæ (quod ma-  
ximopere probandum duximus) studeant tempus, locum, & circumstantias nan-  
cisci, quibus, & ipsi iustorum votorum suorum compotes evadant, nec insti-  
tuta illa pietatis impediunt. Hisque Pastorum suorum monitis fideles sese do-  
ciles præbentes, cavebunt, ne sibi injuriam factam querantur, si quandoque  
pro tempore, loco, & personis, Episcopus minime opportunum censuerit, a  
Sacerdote celebrante Eucharistiam distribui iis, qui adstant, quibus scilicet eo  
ipso tempore facilis, & obvia suppetit ratio ad eandem Mensam accedendi plu-  
ribus aliis locis cuiusvis instructam.

Hand ægre Episcopi, & Parochi id Fidelibus persuadebunt quoties ipsis si-  
gnificent, ex Ecclesiæ disciplina, quæ modo viget, non quidem difficiliorem,  
sed faciliorem evasisse iisdem participationem, quam optant. Siquidem veteri  
more in singulis Ecclesiis passim unica Missa celebrabatur, cui Fideles adstant,  
indeque participabant; quin a solis propriis Pastoribus, quemadmodum reliqua  
Sacramenta ita etiam Eucharistiam licite accipere valebant: hisce vero tempo-  
ribus ex Sacerdotum celebrantium, ex locorum, Altariumque, quibus ea cele-  
bratio publice peragitur, multiplicitate patet cuilibet facile parabilis sacræ Men-  
sæ, & ad sacrum Convivium admissio. Sin autem iisdem Fideles ita moniti,  
importune insisterent pro recipienda Eucharistia in iis, temporis, loci, & per-  
sonarum circumstantiis, quas excipiendas censuisset Episcopus, Ritualis Romani  
auctoritate etiam fretus; hæc illorum petitio, utpote nec iusta, nec rationa-  
bilis, contumacem, ac refractarium animum demonstraret, cupidumque per-  
turbationis, ac proinde minime compositum Eucharistiæ qua par est pietate per-  
cipiendæ.

Dum Pastores erga fideles ita se gerent, dumque fideles Pastorum dictis pro-  
nas ita aures accomodabunt, orietur absque ulla dubietate pax illa perfecta,  
atque concordia, qua capita invicem & membra magnopere colligari decet;  
desinentque importunæ illæ controversiæ, quæ eo tandem tendunt, ut turbas-  
cignant, ac scandalum, verique animarum fructus, quo nihil Pastori carius esse  
debet, perniciem. Verbis itaque Apostoli Pauli ad Corinthios utimur: *Ob-  
secro vos, Fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis om-  
nes, & non sint in Vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in  
eadem sententia.* Quæ quidem dum Vobis, Venerabiles Fratres, per hæc Apo-  
stolica scripta nota esse volumus, in felicitatis auspiciis, & Paternæ dilectio-  
nis pignus Apostolicam benedictionem impertimur. Datum Romæ apud San-  
ctam Mariam Majorem die XIII. Novemb. MDCCXLII. Pontificatus Nostri  
anno tertio.

*Es examine habendo pro Parochialium Ecclesiarum collatione: De appellationibus ab irrationabili Ordinarii judicio admittendis, vel rejiciendis.*

*Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis,  
& Episcopis.*

### B E N E D I C T U S P P . X I V .

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**C**UM illud semper plurimum formidaverit Ecclesia Catholica, ne indignis quibusque, & extra sacerdotale moritum constitutis Cura animarum, & Dominici Gregis custodia crederetur; quia totius Familiæ status, & ordinat, si quod requiritur in corpore, non invenitur in capite: Hinc Canonicis Sanctæ Tridentinæ Synodi Decretis provide consultum est, regimen Ecclesiarum Parochialium iis esse committendum, quorum omnis ætas a puerilibus exordiis ad perfectiores annos per disciplinæ Ecclesiasticæ stipendia ita concurrisset, ut de illorum supra alios provocatione, ac potiori doctrinæ, morum, ac diuturni laboris suffragio nefas esset dubitare. Quia vero perniciofa apud plurimos opinio sensim invaluit, Tridentini Decretis non præscriptam esse Dignioris electionem; sed caveri tantummodo, ne indignis Ecclesiæ Parochiales, aliaque Beneficia, quibus cura imminet animarum, conferruntur: San. mem. Innocentius XI. Prædecessor Noster erroneam doctrinam a vera & sincera Patrum mente longius deflecentem damnavit, & edocuit, quam prudens, ac dignum esse debeat Pastoralis Officii dispensatio.

Ad tramites idcirco ejusdem Sanctæ Synodi usu receptum est, occurrente Parochialis Ecclesiæ vacatione, quæ libere ab Ordinario conferenda sit, concursus institui, ut habita in eo de cujuslibet ætate, moribus, doctrina, & sufficientia, solerti inquisitione, Episcopus eligat quem cæteris magis idoneum judicaverit.

At quia contingere quandoque potest, quod favore, vel gratia, vel minus æquo judicio minus Digni Dignioribus præponantur: San. mem. Pius V. Noster Prædecessor, ne quid in hujusmodi electione esset inordinatum, atque præposterum, edita saluberrima Constitutione licere voluit injulte in Concursu rejectis, interposita ad Metropolitanum, vel Episcopum viciniorem, vel Sedem quandoque Apostolicam appellatione, Præelectum ad novum examen provocare, & Ecclesiam alteri non rixè collatam, novo facto meritorum periculo, si ita jus esset, vindicare. Et ne frivolæ appellationis diffugio locus esset, provide ibidem cautum est, dictæ appellationi in devolutivo tantum deferri oportere, non suspensa, aut quoque modo retardata Præelecto ab Ordinario Parochialis Ecclesiæ possessione.

Consultissimæ hujusmodi leges eum in finem institutæ; ne in tanti momenti re imperiti magistris, novi antiquis, rudes præferantur emeritis, violatæ sunt hominum fraude, & malitia, ipsa medela vulnus exasperantium. Sæpissime enim rejecti ab Ordinario dictæ Constitutionis obtentu invicem Appellationis facile prorumpere, & minus legitima concurrente causa Electos ab Episcopo ad novum Examen provocare consueverant; illosque præterea relicta Gregis, & Ecclesiæ custodia longum iter arripere, & diuturni laboris, temporis, & pecuniæ impensa exhaustos, litem in secunda, tertia, & ulteriori quandoque instantia sustinere cogebant.

PONT. Quin etiam experientia compertum est, magno justitiæ detrimento litem ANNO  
 ipsam absolvi. Quandoquidem ii, qui Examini, se subjecerant, atque in pri-  
 A. III. mævo Concursu utpote legitimarum Institutionum nescii rejecti fuerant, lon- 1742  
 ga postmodum decurrente lite, sedulam literis ex industria navantes operam,  
 præferi aliis merebantur, & acerbe succentebant Episcopo, judici quidem ade-  
 ptæ, non autem adipiscendæ peritiæ, per injuriam se fuisse rejectos.

Hinc apud pene moratos homines, & justitiæ vindices, frequens quærelarum  
 occasio; quibus sedandis cum Congregatio Concilii Tridentini Interpres omne  
 studium, diligentiamque conferret: Nobis, qui Secretarii munere fungebamur,  
 mandatum est, ut sermone, typis postea vulgato, rem sedulo expendere, in-  
 gruentis mali originem, & apta eidem avertendo remedia investigare pro vi-  
 ribus niteremur. Sensus hac de re Nostros explicantes, vitio potissimum labo-  
 rare comperuimus Praxim examinis oretenus habiti, nec scriptis consignati: E-  
 lecti siquidem ad Curam animarum ab Ordinario Collatore, & ad iteratum Exa-  
 men coram alio Judice provocati, jus legitimæ Collationis tueri non poterant,  
 certo, ac permanenti testimonio jam probatæ idoneitatis; sed a novi Examinis  
 alea, subeundam coram Judicem Appellationis gestarum rerum prorsus ignaro,  
 tota res pendere videbatur. Quocirca gravi Justitiæ detrimento recepta in Foro  
 erat opinio, provocari posse ad alium Judicem, nullo exhibito indebitæ rejectio-  
 nis documento. Quod quidem cum a Sacrorum Canonum censura longius ab-  
 erraret, facile huic corruptelæ occurri posse censuimus, si certa primum, &  
 apte disposita habendi examinis forma præscriberetur; si quæstiones Examinatis  
 propositæ, & consentaneæ illorum responsiones, totaque rei gestæ series in  
 scriptis redigeretur; & si Acta demum totius Concursus ad Judicem Appella-  
 tionis integra asportarentur.

Inica a Nobis consilii ratio non solum arrisit Congregationi, illam die 16.  
 Novembris 1720. ratam habenti; sed etiam Pontificii judicii accessione roborata  
 fuit a Clemente XI. Ecclesiasticæ Disciplinæ vindice, & assertore eximio.  
 Utque locorum Ordinarii ea omnia filiali, quo par erat, obsequio, & diligen-  
 tia exequerentur; iis datæ sunt die 10. Januarii 172. opportunæ Literæ no-  
 stro calamo exaratæ, ejusdemque Pontificis sensu, & oraculo comprobatæ,  
 quarum tenorem etsi alias prælo commissum, & insertum in Bullario dicti Cle-  
 mentis Prædecessoris Nostri, congrue hic duximus referendum.

*Reverendissime Domine uti Frater.*

*Quo Parochiales Ecclesiæ dignioribus Personis gubernandæ traderentur, statuit,  
 ut notum est, sacrosancta Tridentina Synodus sess. 24. cap. 18., ut, vacante Ec-  
 clesia Parochiali, indiceretur, & fieret Concursus; ac, postquam Concurrentes ab  
 Episcopo, vel ejus Vicario Generali, atque ab Examinatoribus synodalibus saltem  
 tribus, examinati, & approbati essent, Episcopus eum eligeret, quem ætate, mo-  
 ribus, doctrina, prudentia, aliisque rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam  
 necessariis, & opportunis digniorem cæteris, magisque idoneum judicaret. Adje-  
 citque ad hanc Concilii Sanctionem validius confirmandam, re, & nomine San-  
 ctissimus Pontifex Pius V. quod, si unquam Episcopus minus habilem, postpositis  
 magis idoneis, elegisset, possent ii, qui rejecti essent, a mala ejusmodi electione  
 ad Metropolitanum, vel, si ipse eligens Metropolitanus, aut exemptus foret, ad  
 viciniorum Ordinarium, ut Sedis Apostolicæ Delegatum, vel alias ad ipsam Se-  
 dem Apostolicam appellare, ac Prælectum ad novum examen coram ipso appel-  
 lationis Judice, & ejus Examinatoribus provocare; ea tamen cautione, ut appel-  
 latio non in suspensivo, sed in devolutivo esse deberet: quemadmodum in ejus  
 Constitutione, quæ trigesima tertia est, latius cavetur; concludendo, quod, consti-  
 to de prioris Eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis Ecclesia  
 magis idoneo conferatur.*

*Cum autem neque Concilii Decreto, neque Pontificis Bullæ examini in Concur-  
 su*

PONT. su peragendi forma, seu methodus ulla certa, ac peculiaris servanda proponatur; ANNO  
 difficile dictu est, quanta Examinum, aliorum alibi, diversitas extiterit, atque  
 A. III. hinc occasio querelarum. Nam alicubi, cum non eadem omnibus quæstiones, non 1742  
 iidem casus propositi fuissent: erant identidem, qui, vel in iudicio, vel extra  
 conquirerentur, sibi quidem postpositis difficiliore, Prælecto autem faciliores ad  
 solvendum Quæstiones obtigisse. Alibi vero eadem quidem omnibus Quæstiones propo-  
 sitæ fuerunt, sed neque hæc, neque data a Concurrentibus responsiones scripto, seu li-  
 teris consignabantur. Cumque postmodum, nec raro contigeret, ut e postpositis quis-  
 piam jure Bullæ supradictæ, novum ad Examen coram Judice appellationis, ejus-  
 que Examinatoribus Electum provocaret: Sacra Congregatio usque ab anno 1603.  
 considerans gravamen non alia ratione, quam novo examine probari posse; provo-  
 cationem ad novum examen censuit admittendam, gravamine nec dum probato;  
 & requisitis tantummodo probationibus in subsequenti iudicio, in quo, probato per  
 novum examen Appellantis gravamine quoad doctrinam, probanda superet ejusdem  
 præ jam electo in reliquis ad regendam Ecclesiam requisitis præstantia, ut de ma-  
 jori alterutrius ad Parochialis Ecclesiæ gubernium idoneitate Sententia ferri possit;  
 cum non continuo, si quis est doctior, is etiam aptior, seu magis idoneus ad id  
 regimen habeatur, vel etiam habendus sit. Quam Sacræ Congregationis Sententiam  
 Scriptores, & Tribunalia laudant. Aliis demum in Diocæsis laudabilis in-  
 valuit consuetudo, ut eadem omnibus Quæstiones, iidemque casus proponantur; ac  
 (ne qua detur ansa Cancellario quidquam suo Marte addendi, minuendi, mutan-  
 di) ut ipsimet Concurrentes, quæ interrogati fuerint, quæque responderint, sua  
 manu præscribant. Atque Ordinarii, qui morem hunc longe optimum in exami-  
 nando tenere, Sacræ deinde Congregationi etiam, atque etiam considerandum,  
 reliquerunt, his, qui sic examinati essent, atque postpositi, in posterum ut solent,  
 Appellantibus, indulgenda nec statim Electi novum ad examen provocatio, nulla  
 gravaminis prærequisita probatione, videretur, cum isti ex actis primi examinis  
 gravamen Doctrinæ facile alioquin probare, nisi secundo, seu novo examine non  
 poterant: Nec desuere alii probatis, ac peritia in administrandis diu Ecclesiis lau-  
 de præstantes, qui monerent, frenum aliquod hujusmodi Appellantium licentiæ  
 tandem injiciendum, eorumque jam nimis crebras novum ad examen provocaciones  
 esse reprimendas; quippe quæ vix unquam sine magno Ecclesiarum damno contin-  
 gunt. Nam cum novum examen coram Judice Appellationis longe procul a Pato-  
 chia peragendum sit; Electus ab Episcopo, qui provocatus, Parochiam, quam pos-  
 sidet, cogitur interea temporis deserere, eamque Economo, vel Vicario cuiusdam,  
 veluti Sponsam ignotis Custodibus, relinquere, Sponso non parumper, sed diu sane  
 absuturo; dum nempe, implicita, ut fit, lite, terna etiam, vel quaterna, alia  
 ex aliis, examina super præstantia primum doctrinæ, tum deinde aliorum, quæ  
 ad integrandam idoneitatem opportuna sunt, contentiose multiplicentur, & com-  
 mode, ne dicam otiose, transigantur, antequam deliberari possit utri Concurrer-  
 tium Parochia sit adjudicanda.

Ad tollendam ejusmodi non minus querelarum, quam incommodorum occasio-  
 nem, Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres, postquam rem omnem a ca-  
 pite repetitam in gemina sessione 1. Octobris, & 16. Novembris 1720. summo stu-  
 dio recognovit, (quod per præsentis literas encyclicas exequitur) omnes, & sin-  
 gulos Episcopos, aliosque Prælatos, penes quos sit jus, & auctoritas faciendi Con-  
 cursus, hortari, ut examen ejusmodi instituere non graventur, quale jam &  
 multa Diocæses, & Urbs ipsa observat, atque Apostolica etiam Dataria postulat,  
 sive, cum, Sede vacante, vacat Ecclesia aliqua Parochialis, cujus collatio ad  
 Sedem Apostolicam pertineat; sive cum vacat Parochialis aliqua, ut dicitur, jux-  
 ta Decretum, sive demum, cum, vacante in Collegiatis, aut Cathedralibus Ec-  
 clesiis Dignitate aliqua majori, annexam habente Curam animarum faciendus est  
 Concursus, atque ad Apostolicam Datariam transmittendus, ut notum est; atque in  
 literis, quæ de ordine Sanctissimi, tunc e Dataria procedunt, clare præscribitur.

Vicari-

PONT. Vacante itaque Ecclesia Parochiali, quæ conferenda sit per Concursum, atque hoc solitis formulis indicto, hæc, quæ sequuntur, ex Sacræ Congregationis Sententia, consilio, suâsione, servanda proponuntur. Primum nempe, ut assignentur eadem omnibus concurrentibus Quæstiones, iidem Casus, idemque Textus Evangelii, super quos sermonis aliquid præscribant, ad probandam dicendi pro concione facultatem.

Alterum, ut Casus, & Quæstiones resolvendæ dicerentur omnibus eodem tempore, atque omnibus pariter eodem tempore Textus Evangelii tradatur.

Tertium, ut certum, idemque omnibus spatium temporis constituatur, intra quod Casus resolvant, Quæstionibus respondeant, Conciunculam componant.

Quantum, ut eodem Concurrentes omnes in Conclavi claudantur, unde, quando scribent (dabitur enim omnibus scribendi copia) nemo eorum egredi, unde, quando quisquam eo ingredi possit, nisi postquam scripta confecerint, & exhibuerint.

Quintum, ut omnes sua quisque manu tum responsa, tum sermonem scribant, subscribantque.

Sextum, ut responsa quidem latine, sermo autem ea, quæ ad populum haberi solet, lingua scribatur.

Postremum, unumquodque responsum, & unusquisque sermo, cum ab unoquoque Concurrentium exhibebitur, non solum ab eo, qui scripsit, atque a Cancellario Concursum, verum etiam ab Examinatoribus, & ab Ordinario, vel ejus Vicario, qui Concursum interfuerint, subscribatur.

Peracto secundum hanc formulam Concursum, collataque ei, qui magis idoneus, ac dignior judicatus fuerit, Ecclesia Parochiali, non admittatur Appellatio aut a mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili judicio Episcopi, nisi intra decem dies a die Collationis interponatur.

Si quis autem hoc intra spatium appellaverit, Actaque Concursum petat ad Judicem Appellationis transferenda; mittantur vel Acta ipsa originalia Concursum clausa, & obfignata, vel certe unum aliquod authenticum eorum exemplum, a Cancellario Concursum, atque altero Notario collatum, & auscultatum coram Vicario, vel alio in Ecclesiastica dignitate constituto, quem eligat Ordinarius, ad quem etiam Notarii Cancellario adjungendi electio pertinebit, nec non ab Examinatoribus Sinodalibus, qui Concursum interfuerint, subscriptum.

Ex quibus Actis, vel authentico eorum exemplo nisi, gravamen quoad doctrinam probet is, qui sic, ut præmittitur, examinatus, aut a mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili judicio Episcopi appellaverit, novum ad examen provocandi facultatem a Sacra Congregatione frustra postulabit.

Quemadmodum & in judicio Appellationis persequi jus suum frustra tentabit is, qui forte se gravatum doleat quoad reliqua, nisi interposita mature, ut dictum est, Appellatione ab irrationabili judicio Episcopi, gravamen quoad illa ostenderit vel ex actis primi Concursum, vel saltem ex attestacionibus, & documentis extrajudicialibus etiam, sed non levibus.

Atque ita quidem sensit Sacra Congregatio, & Sanctissimus assensit. At si quis tamen Ordinariorum aliter, ac supra descriptum est, Concurrentium examina instituire perrexerint, perget & Sacra ipsa Congregatio more pristino Appellantibus, qui se gravatos dixerint, provocationem ad novum examen, nulla gravaminis prævia probatione, indulgere. Interim tamen, ne harum literarum memoria dilabatur, vult eadem Sacra Congregatio, eas in uniuscujusque Ordinarii Cancellaria perpetuo conservari. Cujus interea consilium, tum voluntatem dum ego omnibus significo, Amplitudin. Tua fausta omnia e Cælo precor. Romæ hoc die 10. Januarii 1721.

Amplitudinis Tue

Ubi frater

P. M. Card. Corradinus Præfectus.

P. Lambertinus Secretarius.

Quam-

PONT. Quantum recte dispensandis Ecclesiasticis muneribus, administrandæ justitiæ, Anno  
 componendis diffidiis, continendisque in officio Clericis proficeret saluberrima  
 A. III. præmissarum legum institutio, satis superque experientia comperuimus, cum 1742  
 Anconitanam primum Ecclesiam, ac deinde Bononiensem Sponsam nostram pa-  
 terna charitate cominus amplecteremur; Freti siquidem distarum legum præsidio  
 Digniores Parochiis, & Curæ animarum præfecimus: Tantaque, benedicente  
 Domino, id accidit animorum consensione, ut nemo questus sit, traditum  
 minus Digno celsioris loci præmium, vel minus juste alteri credita vacantis  
 Ecclesiæ gubernacula. At quia certis admonemur indiciis, non ita id aliis Epi-  
 scopis contigisse, imo non deesse, qui privatis abrepti studiis, sæpe declinare,  
 ac redarguere Judicium Episcopale præsumant: Nos propterea solliciti de im-  
 plendis, prout decet, muneris Nostri partibus, nonnulla præfatis literis ad-  
 denda, nonnulla vero tacite, breviterque ibidem tradita, clarius explicanda  
 censuimus, ut recte omnia, atque ex ordine peragantur.

Mœrentes igitur, audivimus, quod in plerisque Diœcesibus etsi recepta sit  
 laudabilis, firmiterque custodienda consuetudo in scriptis redigendi examen Con-  
 currentium: Nihilominus Examinatorum Suffragia in sola literarum peritia ver-  
 santur, nec illorum exquiritur sententia de Clericorum ætate, institutione,  
 gravitate, & honestate morum, prudentia, muniis antea exercitis, & an tales  
 demum sint, qui Oves suas verbo, & exemplo juvare possint. Quam devia sit  
 hujusmodi praxis a Tridentini semita, is plane intelliget, qui expendet verba  
 relata cap. 8. sess. 24. de Reform. = *Peracto deinde examine renuntientur quot-*  
*umque ab iis idonei judicati fuerint moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus*  
*ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis.* Idque probe noscens Congrega-  
 tio ejusdem Concilii Interpres pluries edixit: Examinatores suo deesse muneri,  
 si doctrinæ tantum Judices essent, nec inquirerent qui præ aliis probitate  
 morum, laboribus, præstito antea Ecclesiæ obsequio, cæterisque dotibus ad of-  
 ficiam Parochi cumulate obeundam necessariis, essent idonei, & commen-  
 dabiles.

Absoluto Examine, ut cuique satis compertum est sit tantummodo potestas  
 Examinatoribus renunciandi quotquot regendæ Ecclesiæ idoneos judicaverint,  
 reservata uni Episcopo electione Dignioris, quemadmodum sancitum est a  
 Tridentino illis verbis = *Ex hisque Episcopus eligat, quem cæteris idoneum ju-*  
*dicaverit* = At si quem Clericorum forte contigerit appellare a mala relatio-  
 ne Examinatorum, quorum cura unice versata fuerit in exquirenda doctrina,  
 non facta uno eodemque tempore solerti etiam investigatione aliarum quali-  
 tatum, quæ Pastoris congruant officio: Ordo judicii secumferet, ut etiam  
 Judex, ad quem provocatum fuit, in sola doctrinæ indagine immoretur; Nec  
 sine gravi animarum detrimento, & disciplinæ injuria præficiatur Ecclesiæ qui  
 litteris magis pollet, licet cætera minus, & quandoque indignus; Contra ve-  
 ro arceatur ille, qui licet impar doctrinæ merito, attamen moribus, gravita-  
 te, prudentia, probato nomine, diuturno Ecclesiæ famulatu, ac multiplici  
 virtutum laude præcellit.

Factum præterea satis extirpandis abusibus non videtur, si tam Episcopus,  
 quam Examinatores conjunctis studiis, industriæ nervos omnes intenderint in  
 conferenda concordia judicio Ecclesiæ Personæ, quæ licet scientia, & literis al-  
 teri concedat, majori tamen cæterarum qualitatum eminenti ornamento: Siqui-  
 dem postpositus, suæ nimium fidens doctrinæ, ab irrationabili Judicio Episcopi  
 non raro appellat; Causaque ad Judicem Appellationis delata, idem totus est  
 in perquirenda Majori doctrina, ac reparando gravamine literato homini irro-  
 gato, nusquam librato aliarum virtutum pondere, quæ in Appellante deside-  
 rantur: Lugentque ut plurimum vigilantes Ecclesiarum Antistites exitum hujus-  
 modi Appellationis, intimeque dolent, Parochias doctis, non aptis Pastoribus,  
 ut dictum est, regendas committi.

PONT. At si Judex etiam Appellationis ( quod raro evenit ) tantum tribuens sci- ANNO  
 entia, quantum satis, majori, & accuratori examine inquirant, qui mores  
 A. III. hominum sint, quæ gravitas, prudentia, quia suscepti antea labores, quæ vir- 1742  
 tutum specimina, quæ demum totius antea vitæ ratio, pascendo Gregi  
 consentanea: Tot Judici exhibentur attestaciones ab Appellante ex industria  
 collectæ, ut, revocato Episcopali judicio tamquam irrationabili, non vereatur  
 Judex succurere eidem Appellanti, quem tam copiosa, tamque conspicua pro-  
 bitatis adjuvant documenta.

Demum cum præcipue Episcopis, tamquam in specula constitutis, pateant  
 Subditorum excessus, contingere solet, ut in Concurſu tam inspecta scientia,  
 quam moribus ille idoneus ab Examinatoribus renunciatur; cui scæda aliqua  
 vitii labe, ac criminis macula injusta sit, omnibus præterquam Episcopo,  
 occulta. Si Episcopus justa suadente causa crimine non revelato, eundem cri-  
 minosum tacitus præterierit, aliumque immunem a sorde prælegerit: Illico  
 postpositus simulato gravamine provocat ad Superiorem Judicem criminis igna-  
 rum, & consueto diffugio Appellationis evehitur ad Pastorale fastigium qui  
 non potest consulere Populo, sed nocere, nec præstare regimen, sed angere  
 discrimen.

Ne igitur improbi ingenii homines remedium Appellationis ad justitiæ præ-  
 sidium inlittutum, calide traducant ad iniquitatis defensionem: Optimum factu  
 aliquibus fortasse videretur, si Appellatione quavis sublata, cura præficiendi  
 Rectores Animarum prorsus relinqueretur Episcopis, rationem villica-  
 tionis suæ Christo Judici tantum reddituris. Verum nullo pacto probare id  
 possumus, quod adversaretur menti Concilii Tridentini, tacite permittentis Ap-  
 pellationem in devolutivo a mala relatione Examinatorum, quemadmodam  
 innuere videntur verba illa = *Nec prædictorum Examinatorum relationem, quo-  
 minus executionem habeat, ulla devolutio, & Appellatio, etiam ad Sedem Apo-  
 stolicam, sive ejusdem Sedis Legatos, aut Vice-Legatos, aut Nuncios, seu Epi-  
 scopos, aut Metropolitanos, Primates, vel Patriarchas interposita impediatur, aut  
 suspendatur = Cui Sanctioni respondet etiam Constitutio Piana, admittens Ap-  
 pellationem in devolutivo ab irrationabili Judicio Episcopi.*

Qua de re, ut in hujusmodi negotio apte omnia, atque compositè peragantur,  
 Officii Nostri esse duximus, eum vobis, Ven. Fratres, gerendarum rerum or-  
 dinem præscribere, quem longo usu utilem agnovimus instituendis animarum  
 Rectoribus, qui credito sibi Gregi præesse, & prodesse possint.

I. Episcopus, habita notitia vacationis Ecclesiæ, statim, ad præscriptum  
 Tridentini, idoneum in ea deputet Vicarium, cum congrua ejus arbitrio fru-  
 ctuum portionis assignatione, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de  
 Rectore provideatur.

II. Publico evulgetur Ediçto notitia Concurſus, congruo, & ab Episcopo  
 præfinito tempore celebrandi: eodemque ediçto omnes clare, & aperte mone-  
 antur, ut interim decurrente termino assignato, coram Cancellario Episcopa-  
 li, vel altero ab Episcopo deputando, suarum qualitaturn, meritorum, & mu-  
 nerum probationes, attestaciones tam judiciales, quam extrajudiciales, aliaque  
 id genus documenta, quæ fraude vacent, exhibeant: Alioquin dicto termino  
 elapſo Documenta hujusmodi quæcumque, & qualiacumque ea sint, nullatenus  
 recipientur.

III. Eveniente die Concurſus, a Cancellario Episcopali singulorum merita,  
 qualitates, & requisita ( ut vocant ), incorrupta fide deprompta a Juribus  
 tempore habili exhibitis, non in scriptis summam redigantur: Porro copia  
 Epitomes tradetur non solum Episcopo, vel Vicario generali vices illius obe-  
 unt, sed singillatim omnibus Examinatoribus ad Concurſum adſcitis, ut cum  
 de scientia, tum de vita, moribus, aliisque regendæ Ecclesiæ necessariis doti-  
 bus ferant judicium.

PONT. IV. De præstituta ab Episcopo habeatur concursus, servata accurate in omnibus forma tradita in supra relatis literis anno 1721. editis, totaque rerum  
 A. III. in eo gestarum series scriptis diligenter enucleetur. Porro Examinatores ad assequendam certam, & indubiam conjecturam scientiæ, postquam diligenter expenderit singulorum peritiam in evolvendo, explicandoque oretenus aliquo Ecclesiasticæ Doctrinæ capite, vel a SS. Patribus, vel a Sacro Concilio Tridentino, vel a Catechismo Romano excerpto, ac pari diligentia libaverint a quolibet scripto datas responsiones quæstionibus propositis; Et postquam demum deprehenderint qua quisque polleat gravitate sententiarum, & elegantia sermonis in Conciunculo scripto pariter exarata, & Textui Evangelico, vel altero dato Themati accomodata: Parem, ni forte majorem soleant Examinatores adhibere in perscrutandis aliis qualitatibus, regimini animarum contentaneis; morum honestatem inquirent, gravitatem, prudentiam, præstita hætenus Ecclesiæ obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta, Doctrinæ arcto fœdere consocianda; hisque omnibus conjunctim expensis, inhabiles per sua suffragia rejiciant, & idoneos Episcopo renuncient.

V. Absoluto Concursu ab Episcopo, vel, eo impedito, a Vicario generali una cum Examinatoribus Synodalibus non paucioribus quam tribus, Notula compendiaria Requisite antea distributa tradatur Cancellario, qui illam comburat, vel penes Acta secreto custodiat, & nemini ostendat, nisi de mandato Episcopi, vel ejus Vicarii generalis. Subinde vero Ordinarius, cum primum ei libuerit, eligat ex approbatis Digniores, nec illi Possessio ullo Appellationis, vel Inhibitionis obtentu retardetur.

VI. Si quem Clericorum appellare contigerit a mala ratione Examinatorum, vel ab irrationabili Judicio Episcopi, coram Judice Appellationis Acta Concursus integra omnino producat; Et Judex nisi illis visis, & gravamine comperito, Sententiam non pronunciet. Præterea in ferenda Sententia, ac reparando gravamine idem Judex innitatur solummodo probationibus ab Actis elicitis tam respectu doctrinæ, quam aliorum meritorum. Quia vero a publica indictione usque ad diem habiti Concursus tantum temporis intercessit, quantum satisfuit commode exhibendis necessariis juribus, attestacionibus, requisitis, aliisque meritorum documentis; Idcirco, ut quævis via fraudibus præcidatur, volumus, ac districte mandamus, ne dd. Attestationes, Fides tam judiciales, quam extra judiciales, & documenta quæcumque studiose conquistata, & post Concursum, ut ajunt, expiscata ullo modo recipiantur: Non obstantibus supra memoratis literis, a Congregatione Concilii Tridentini Interprete, anno 1721. editis quibus ad præmissorum effectum in hac parte derogamus, illis tamen in reliquis, una cum omnibus in eis contentis, firmiter in suo robore permansuris.

VII. Ubi vero Episcopus, posthabito uno, vel altero ex approbatis, Ecclesiam contulerit magis idoneo ob aliquam sibi ipsi tantum notam causam, quam censetur significari oportere Judici Appellationis, ad detergendam injulle fortasse præelectionis notam: Familiaribus literis Judicem certiores efficiat, in violabilis secreti lege adjecta: Nemo sit, qui hanc praxim Nostræ tribuat solertiae, cum illa profluat a Tridentini Decretis. *Sessione etenim 24. c. 20. de Refrom.* ita disponitur = *Præterea si quis in casibus a Jure permissis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit, seu alias ob lapsum biennii, de quo supra, ad alium Judicem recurrerit, teneatur acta omnia coram Episcopo gesta ad Judicem Appellationis expensis suis transferre, EODEM TAMEN EPISCOPO PRIUS ADMONITO, UT SI QUID EI PRO CAUSÆ INSTRUCTIONE VIDEBITUR, POSSIT JUDICI APPELLATIONIS SIGNIFICARE.*

Et quamvis jure Nobis timendum sit, ne dicta praxis monendi Judicem, a quo appellatum est, in more olim posita, hac tempestate absoleverit, & a Foro recesserit; Attamen Episcopus (ut dictum est) si ex causa sibi tantum,  
 & non



PONT. & non aliis nota, quæ tamen approbari dignam sit, Ecclesiam contulerit, Anno illam Judici Appellationis, datis secreto litteris, denunciât, & aperiat.

A. III. Sciant porro Judices, delatas ab Episcopo causas, & rationes inviolabilis secreti fide esse custodiendas; nec parvi pendendum esse testimonium illius Pastoris, cui Divino mandatur eloquio, Oves suas agnoscere. Facile enim credi non potest, Episcopos suæ non minus, quam alienæ salutis adeo immemores, ut non deterriti Divini interminatione Judicii, odio, vel favore moveantur; & in Sacrorum Canonum singularem injuriam, dicant malum bonum, bonum malum, & ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.

Si vero Episcopo fuerit suspecta fides Judicis, ad quem appellatum est, nec eidem revelanda censuerit hujusmodi occulta rationum momenta: Illa significet secretis literis S. R. E. Cardinali Præfecto pro tempore Congregationis Concilii, qui nec consilio, nec auctoritate deerit, quominus a Judice Appellationis debitus justitiæ locus tribuatur.

Præterea quia æquitati etiam convenit, Causas Appellationum, quæ magno Litigantium dispendio, & Ecclesiæ perniciæ immortales quandoque existunt, quanta fieri potest brevitate terminari: Idcirco ubi a Judice Appellationis lata sit Sententia, quæ prælectioni factæ ab Episcopo omnino sit conformis, nullus pateat novæ Appellationi aditus, sed auctoritate Rei Judicatæ controversiæ finis imponatur. Sin vero Judex Appellationis aliter, quam Ordinarius pronunciaverit; liceat prælecto ab Episcopo, qui Causa cecidit, ad alium Judicem appellare, firmiter interim retenta Parochialis Ecclesiæ possessione. Tandem postquam tertius quoque Judex Sententiam dixerit, ne Partes ultra modum graventur laboribus, & expensis, præsertim, quia agitur de Cura animarum, cui dan. nosum est, certi Pastoris destitui solatio; Is legitimum regendæ Ecclesiæ jus obtineat, cui duæ conformes assunt Sententiæ, nec ullum novæ Appellationis remedium succumbenti suffragetur.

His sane regulis, quamvis Appellatio sublata non sit, satis tamen præsidii comparatum esse arbitramur Ecclesiasticæ disciplinæ, ac recto gerendarum rerum ordini. Unum superest, ut proposita hætenus media debitæ executioni mandentur; Eumque in scopum Locorum Ordinarii vigilantiam suam desiderari non patiantur. Ferendum quippe non esset, ad nostri Apostolatus auditum novas in diem deferri querelas, ac summovendis abusibus novas implorari leges ab iis, qui jam præstitutas negligant, & contemnunt.

Demum cum non raro contingat, Ecclesias Parochiales, Dignitates, Canonicatus, aliaque Beneficia, Curam animarum habentia, a Sede Apostolica esse conferenda; vel quia vacaverint in mensibus reservatis, vel quia ex alio capite dictæ Sedi reservata sint. Nos Prædecessorum Nostrorum vestigiis inherentes præcipimus, & mandamus, ut uno vel altero eveniente casu, Concursus ab Episcopo sine ullo discrimine indicatur, nulla ad hunc actum petita venia, vel licentia, quam Nostri huc literis sibi tributam Episcopi intelligant. Absoluto Concursu, si res sit de Beneficiis Curatis, quæ tantum ratione Mensum reservata sint, Episcopus inter approbatos eligat magis Idoneum, & Datarix significet, nec Acta Concursus transmittat, nisi a Dataria, cum id opportunum duxerit, requirantur. Sin vero dicta Beneficia quibus Cura imminet animarum, ex alio quovis capite, quam mensum Apostolicorum, S. Sedi reservata sint; Eo sane casu, veteri non immutato more, abstineat Episcopus a ferendo Dignioris judicio, & Acta concursus ultro Datarix exhibeat.

Licebit tamen Ordinariis, pro suo arbitrio, familiaribus literis Datario scriptis eidem denunciare Personam, quam censent regendæ Ecclesiæ magis idoneam, eundemque commonere, an occulta aliqua, & in Actis justè reticita subsit causa, quæ cupiam obstat ad Beneficium Curatum obtinendum. Nos ipsi postmodum ab hac Sede omnium Principe, & Magistra, luculento edocemus exemplo quanti faciendum sit Episcopale judicium, quantoque vos ho-

PONT. nore prosequamur, Ven. Fratres, in partem Nostræ sollicitudinis evocatos, ANNO  
 quibus interim Apolliticam Benedictionem peramanter impertimus. Datum  
 A. III. Romæ apud S. Mariam Majorem die XIV. Decembris 1742. Pontificatus No- 1743  
 stri Anno Tertio.



PONT.

N U M . XXVII.

ANNO

A. III

V O T A S I M P L I C I A

1743

*In Congregatione Missionis emissa, a nemine, quacumque ex causa, præterquam  
 a Romano Pontifice, aut a Superiore Generali Congregationis  
 in actu dimissionis tantum, dissolvi posse statuitur.*

## B E N E D I C T U S P P . X I V .

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**Q**UO magis uberes, ac salutare in Catholica Ecclesia fructus in dies, benedicente Domino, Congregationis Missionis a S. Vincentio de Paulo Fundatore olim institutam, & æterna cum animarum Christianissimorum salute latissime propagatam, proferre dignoscimus; eo magis luculentis Apostolicæ auctoritatis, providentiæque nostræ studiis eundem complecti volumus, ut majora semper accipiat incrementa.

§. 1. Alias sane fel. record. Alexander PP. VII. Prædecessor noster, de tunc existentium S. R. E. Cardinalium Concil. Tridentini Interpretum consilio, ad ejusdem S. Vincentii Fundatoris in humanis agentis supplicationem per quasdam suas in simili forma Brevis literas die XXII. Mensis Septembris anno MDCLV. expeditas, in perpetuum eandem Congregationem Missionis inceptam, & approbatam, Apostolica auctoritate sua approbavit, & confirmavit, cum emissionem Votorum simplicium Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, nec non stabilitatis in dicta Congregatione, ad effectum se toto vitæ tempore saluti pauperum rusticorum applicandi, post biennium probationis faciendam, in quorum tamen Votorum emissionem nemo intersit, qui ea acceptet, sive nomine Congregationis, sive nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis nomine, & vota sic, ut supra, emissa dissolvere possit solus Romanus Pontifex, necnon & Superior Generalis dictæ Congregationis in actu dimissionis e Congregatione: nemor autem alius, etiam vigore cujuscumque Jubilei, Bullæ Cruciatæ, seu alterius privilegii, & indulti, aut cujuscumque Constitutionis, seu Confessionis, nisi in eis facta fuerit specialis mentio horum votorum sic, ut supra, in dicta Congregatione emissorum, dissolvere, aut commutare, vel dispensare possit, & valeat; & alias prout in dictis literis Alexandri Prædecessoris præfati, quarum tenorem præsentibus pro expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

§. 2. Deinde fel. pariter rec. Clemente PP. IX. itidem Prædecessore, nostro, qui quasdam Constitutiones in Comitibus Generalibus dictæ Congregationis pro ejusdem meliori regimine conditas, recognoscendas, examinandasque ab quot Romanæ Curie Prælati commiserat, viam universæ carnis ingresso, eadem Constitutiones jam recognitas, & examinatas rec. mem. Clem. PP. X. similiter Prædecessor noster per alias suas in pari forma Brevis literas die 11. Mensis Junii anno MDCLXX. datas, quarum tenorem pariter præsentibus pro expresso, & inserto haberi volumus, Apostolicæ Auctoritatis patrocinio communiavit: inter quas quidem Constitutiones nona in Ordine præscribit: *Dignitates*

PONT. *tates Ecclesiasticas absque consensu conventus generalis acceptari non poterit (scilicet Superior Generalis), nisi Summus Pontifex id in virtute Sanctæ obedientiæ* ANNO

A. III. *præcipiat. Quod sane etiam cautum videtur in regulis, seu prioribus Constitutionibus Congregationis præfatæ cap. 3, §. 10. in quo sic habetur: Quoniam virtus paupertatis solo etiam appetitu inordinato ad bona temporalia potest violari, unusquisque diligenter cavebit, ne hoc malum, etiam quo ad beneficia sub specie boni spiritualis ambienda, eorum suum invadat; ideoque, ne quidem ad ullum beneficium, aut dignitatem Ecclesiasticam, sub quocumque prætextu aspirabit.* 1742

§. 3. Præterea cum aliqui, qui post antedicta vota in eadem Congregatione emissa, ipsam Congregationem deseruerint, asserentes se dictorum Votorum dispensationem, seu commutationem obtinuisse a quibusdam Confessariis, vigore Literarum Apostolicarum super Jubileo emanatarum, ac prædictos Confessarios potuisse dispensare, seu commutare hujusmodi vota, quia in dictis Literis conceditur facultas commutandi vota quæcumque, Castitatis, & Religionis exceptis, ac deinde in fine derogatur contrariis quibuscumque Ordinibus, ac Congregationum, seu Institutorum Regularium, etiam confirmatione Apostolica roboratis, nec non privilegiis, Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, & Congregationibus concessis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua mentio habenda foret: memoratus Clemens X. Prædecessor per alias pariter suas in simili itidem forma Brevis Literas die 23. mensis Junii anno MDCLXX. datas, de consilio tunc existentium S. R. E. præfatæ Cardinalium Conc. Trid. Interpretum, declaravit, vota prædicta in dicta Congregatione Missionis post illius Confirmationem Apostolicam præfaram emissa, vel emittenda, ab aliis, quam a pro tempore existente Romano Pontifice, & Superiore Generali ejusdem Congregationis, in actu dimissionis, ab ipsa Congregatione, licite, & valide non potuerint, nec possint dispensari, commutari, aut alias quomodolibet dissolvi vigore cujuslibet Jubilei, Bullæ Cruciatæ, seu alterius Privilegii, Indulti Constitutionis, seu Concessionis non facientium expressam dictorum votorum mentionem.

§. 4. Quoniam autem, sicut accepimus, ex Presbyteris, qui in eadem Congregationem admissi, ac approbati, antedicta vota emiserunt, & in doctrinarum, bonarumque artium studiis, non sine magno ejusdem Congregationis dispendio instituti, per non breve temporis spatium commorati fuerunt, regularis observantiæ pertesis, ut ex ipsa Congregatione egrediantur, alii quidem varias causas obtendunt, alii vero Beneficia Ecclesiastica in Cathedralibus, Collegiatis, aliisque Ecclesiis personalem residentiam requirentia omnimodis artibus sibi conferenda procurant, alii etiam ad Ecclesias, quibus pastoralis animarum cura adnexa est, obtinendas concurrunt, ac deinde votorum emissorum dispensationem, præmissorum obtentu, extorquent. Quæ certe in hujusmodi votis, ac præsertim stabilitatis dispensandi facilitas, alias fere inaudita, in causa est, ut, quamplurimis in Galliis, Italia, & Polonia ex eadem Congregatione nuper egressis, incitamento sit, & exemplo aliis, quo omnem aditum egrediendi sibi aperire studiose meditentur, & interea Congregationis præfatæ munera negligenter obeantur, ac propterea incrementum, quod eidem Congregationi Deus dare cæpit, sensim dispendatur: Hinc est, quod Nos, qui Congregationem præfatam semper plurimi fecimus, & quanto Clericis in fortæ Domini vocatis advocacionis suæ munera rite, sancteque adimplendis adjuvamento sit, novimus, salutare aliquod remedium hæc in parte adhibere cupientes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ auctoritatis plenitudine, tenore præsentium, non solum omnia, & singula in Constitutionibus, & Regulis ejusdem Congregationis, ut præmittitur, contenta, & de novo statuta, ac ab Apostolica hac S. Sede iterum approbata, & confirmata iterum, quatenus opus sit, de novo approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis perpetuæ Apostolicæ firmitatis ro-  
bur

PONT. bur adjicimus; verum etiam quacumque in dispensando pro votis hujusmodi, ANNO  
ac præsertim voto stabilitatis facultatem, tum Ordinariis Nostriis, & Aposto-  
licæ Sedis præfatæ pro tempore ubicumque existentibus, Nuntiis, & Legatis, 1742  
A. III. tur omnibus, & singulis Congregationibus Venerabilium Fratrum Nostrorum  
S. R. E. Card. quavis auctoritate, privilegiis, & indultis, quibus omnibus,  
quod motu, scientia, potestate, hanc partem ac tenore paribus derogamus, quo-  
modolibet competentem, & respectively attributam, omnino inhibemus, & in-  
hibitam esse volumus, ac declaramus: ita ut quælibet dispensatio pro votis su-  
pradictis, ac præsertim stabilitatis, cuilibet Presbytero, seu Clerico, vel Lai-  
co dictæ Congregationis, ob quamcumque causam, a quibusvis, etiam speciali  
mentionem dignis ( dummodo non fuerit concessa per Nos, & pro tempore exi-  
stentem Roman. Pontificem Successorem Nostrium, sive per modernum pariter,  
& pro tempore existentem Superiorem Generalem ejusdem Congregationis in  
actu dimissionis tantum, juxta præfatas Constitutiones ), quomodolibet con-  
cessa, & quælibet cujuscumque Beneficii Ecclesiastici personalem residentiam re-  
quirentis, vel animarum curam extra dictam dumtaxat Congregationem uni-  
tam habentis, collatio, cuilibet ex Presbyteris, & Clericis præfatis quomo-  
dolibet facta, & capta etiam possessio, irrita, & nullæ sint, ac nullius robo-  
ris, & momenti habeantur, perinde ac si minime concessa, facta, & capta  
fuisset, ac propterea nemini, ad quem spectat, & pro tempore quodcumque  
in futurum spectabit, suffragentur.

5. Decernentes easdem præsentem literas, & in eis contenta quæcumque fem-  
per firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & inte-  
gros effectus sortiri, & obtinere ac illis, ad quos spectat, & pro tempore  
quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, &  
ab eis respectively, inviolabiliter observari; sicque, & non aliter in præmissis  
per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Caesarum Palatii Apo-  
stolica Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos,  
ac Apostolicæ S. dis prædictæ Nuncios, ac quosvis alios quacumque præminen-  
tia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet qua-  
vis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & de-  
finiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis au-  
thoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

6. Non obstantibus præmissis, nec nostris, & Cancellariæ Apostolicæ  
Regula de jure quæsito non tollendo, ac Constitutionibus, & Ordinationibus  
Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, &  
innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro ple-  
ne, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias  
in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specia-  
liter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

7. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu  
exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii Ge-  
neralis dictæ Congregationis subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Eccle-  
siastica constitutæ, vel Superioris Generalis Congregationis præfatæ munitis,  
eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent  
exhibita, vel ostensa.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die  
xviii. Decembris MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

D. Card. Passioneus ..

*Auctoritas in designandis publicarum precationum formulis, & in eisdem indicandis asseritur.*

*Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis,  
& Episcopis.*

## B E N E D I C T U S P P . X I V .

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**Q**UEMADMODUM preces ad Deum pro Principibus effundere valde consentaneum est, ita convenit, ut precum ipsarum formulæ sint ex illis, quas Ecclesia usu recepit; maxime vero si ejusmodi preces in celebratione Missarum adhibendæ sint. Præterea ad Ecclesiasticam auctoritatem unice spectat preces illas statuere atque indicare; cum nulli sæculari Potestatis fas sit decernere, præceptoque mandare, ut publicæ preces fiant sive ad persolvendas Deo gratias pro beneficio aliquo accepto, sive ad illius opem in gravi aliqua necessitate implorandam.

Divus Paulus in prima ad Timothæum cap. 2. ut Vos bene nostis, ita loquitur: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt. Quod si expediat hoc loco praxim ostendere, qua primæva Ecclesia utebatur in orationibus & precibus ad Deum pro Principibus offerendis, eam satis patefacere poterunt S. Dionysii Episcopi Alexandrini ad Præsidem Æmilianum epistola, Tertullianus in lib. ad Scapulam, & in Apologético, Sanctus Ciprianus in epistola ad Demetrianum, Origenes in respons. ad Celsum, & Athanagoras in sua Legatione ad Imperatores pro Christianis.*

Multum quidem inter se conveniunt credendi, & orandi ratio. Proinde in celebratissimis epistolæ S. Cælestini ad Galliæ Episcopos additionibus cap. 11. legitur: *Obsecrationum quoque Sacerdotalium Sacramenta respiciamus... ut legem credendi lex statuat supplicandi.* Atque hinc oritur, in publicis supplicationibus formulas ab Ecclesia præscriptas esse adhibendas; præsertim si res agatur de orationibus, quæ recitari debeant in Missa, ut dictum est. Idcirco etiam a Sacro Concilio Tridentino cavetur, ne preces in Missarum celebratione adhibeantur, præter eas quæ ab Ecclesia probatæ, & frequenti ac laudabili usu receptæ fuerint. Quamobrem in Missali Romano pro omni fere necessitate existant piæ quidem ac religiosæ orationes, e vetustis ac venerabilibus Sacramentariis opportune depromptæ.

Neque vero putamus nimium progredi; inter æquos auctoritatis nostræ limites Nos certe consistere credimus, cum asserimus ad Ecclesiasticam quidem, non autem ad sæcularem Potestatem pertinere de Ecclesiasticis ac spiritalibus rebus disponere. Magnus ille Osius Episcopus Cordubensis apud S. Athanasium in epistola ad solitariam vitam agentes, Ecclesiastica sane libertate ad Constantium Imperatorem hæc scripsit: *Ne te misceas Ecclesiasticis rebus, neque nobis in hoc genere præcipe; sed potius ea a nobis discas. Tibi Deus Imperium commisit: nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit. Cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Scriptum est = Quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* Ad viciniore autem tempora, & ad rem, quæ epistolæ huic nostræ occasionem dedit, propius accedentes, dici-

TENT. dicimus, a laicorum ipsorum tribunali abrogata fuisse atque rescissa sæcularis ANNUS  
 alicujus Magistratus decreta, quibus publica pro Principibus preces indictæ  
 A. III. fuerant, quod ejusmodi decreta nullius auctoritatis, aut roboris esse per se 1743  
 innotesceret. Et non multi ab hinc annis Sacra Concilii Congregatio, Præ-  
 decessoribus nostris annuentibus, publice abrogavit, irritumque fecit sæcula-  
 ris Potestatis edictum, quo illa, ob paratam a Principe victoriam, indixerat  
 pro gratiarum actione *Te Deum laudamus*, etiamsi protestationem inferuisset  
 de præjudicio Ecclesiastico juri non inferendo, quod nimirum facta protesta-  
 tio ipsa adversaretur.

Ut igitur æquitatis jure, rectoque ordine omnino procedatur, monemus  
 Vos atque hortamur, ut tum Vos, tum alii opera vestra Deum sedulo ro-  
 gent pro incolumitate ac felicitate vestrorum Principum, quemadmodum &  
 Nos pro Principibus Catholicis quotidie facimus. Æquo libentique animo ac-  
 cipite, quod Potestates sæculares a Vobis petant, ut pro se publice preces  
 fiant; atque operam date, ut Ecclesiæ formulæ in illis usurpentur, neque  
 novæ; aut inusitatæ orationes in Missa recitentur. Sin autem, quod No-  
 bis persuadere non possumus, laicalis aliqua Potestas usu, vel consuetudi-  
 ne aliqua (quæ abusus revera dici debet) præsumat auctoritatem vestram in  
 hoc minime agnoscere, sed jure suo directe velit publicas preces indicere, im-  
 mo & pœnam parere renuentibus statuere audeat; loquimur, & Vos, quem-  
 admodum Osus ad Imperatorem locutus est. Rationes adducite, quas, qui  
 errant, fortasse ignorant. Palam ipsis facite, hanc nullatenus esse rationem  
 exorandi Deum, atque id, quod cupiunt, consequendi: ad Vos confugere  
 eos debere, cum Vos ii sitis, qui licet *ex hominibus assumpti*, tamen estis *pro*  
*hominibus constituti in iis, quæ sunt ad Deum*, ut ad Hebræos Apostolus loqui-  
 tur: nec, præter Vos, posse aliquem opus hujusmodi suscipere, & hunc su-  
 mme sibi honorem, *sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*.

Quod si dictis non acquiescant, neque a Vobis oportunum judicetur in eos  
 ita procedere, ut Ecclesiasticæ disciplinæ jura exigent; Vobis stricte manda-  
 mus, ut Nos quamprimum certiores de iis faciatis, opportunis quoque tran-  
 smissis ad manus nostras documentis: cum Nos parati simus ea omnia facere,  
 quæ clarissimi Prædecessores nostri in ejusmodi occasionibus facere consueve-  
 runt. Nolumus enim ad supremum Dei tribunal vocati de neglectis Sanctuarii  
 juribus fontes judicari. Interea Vos Paterno amore complectimur, Vobisque  
 Apostolicam Benedictionem impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam  
 Majorem die XXI. Martii MDCCXLIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

*Firmitati consulendo, damnantur, & annullantur pacta inter Conjuges inita de non appellando a sententia lata pro matrimonii nullitate; confirmatur Constitutio edita super hujusmodi judiciorum forma; Ecclesiastica disciplina observantia in Matrimonii celebratione commendatur.*

*Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, & Episcopis Regni Poloniae.*

## B E N E D I C T U S P P. XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

**N**IMIAM licentiam, ac libertatem, abufumque, in perpetuis indissolubilibusque vinculis Matrimoniorum canonice celebratorum, diuturna etiam animorum concordia stabilium, nulla legitima causa intercedente, nec, si qua esset, juxta canonicas praescriptiones expensa, ac tanta cum facilitate, non sine gravi bonorum offensione, dissolvendis, in Ecclesiasticis istius Poloniae Regni Curiae inductum vigentemque, per alias nostras in simili forma Brevis literas die undecima mensis Aprilis anno millesimo septingentesimo quadragésimo primo ad Vos datas, deplorantes nos, & detestantes atque in simul Fraternitates Vestras rogantes, & in Domino exhortantes ad custodiendas vigilias super tribus vestrae curae commissis, admonueramus Nos, hac in re salu- rares leges modumque opportunum serio meditari.

§. 1. Interea certiores facti, in quamplurimis Christiani Orbis regionibus in- vectam esse pravam consuetudinem Matrimoniorum occultorum, vulgo Consci- entiae dictorum, a quibus illa quoque inter caeteras inde provenientes inordi- nationes, confusionesque, emanabat, qua occulta hujusmodi Matrimonia aliis Matrimoniis cum aliis Conjugibus publice celebratis, re ipsa solvebantur; per Encyclicas nostras alias literas ad Venerabiles Fratres, Patriarchas, Primate, Archiepiscopos, & Episcopos universos die vigesima sexta mensis Augusti ejus- dem anni scriptas, ea, ad antedictam pravam consuetudinem penitus abrogan- dam, praescripsimus, quae sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis consona, si accurate servantur, injectam nobis sollicitudinem, imminuerent.

§. 2. Hisce insuper alias pariter nostras sub Plumbo literas tertio Nonas Novembris anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragésimo primo expeditas addidimus, in quibus typorum arte editis, ac palam propo- sitis, & vulgatis statuimus, & in causis Matrimonialibus super validitate, & nullitate Matrimoniorum servandas mandavimus Leges, ac Regulas quantum ab omnibus prospici posset, opportunas, ac necessarias, secundum quas Eccle- siastici Judices, neque culpa, & improbitate, neque inscitia ac ignorantia ab- repti cum disceptatione de validitate, & nullitate Matrimoniorum hujusmodi apud ipsos haberi contigisset, non pro ingenio, sed pro justitia tuto sententia sua ferre possent.

§. 3. Praeterea cum relatum objectumque esset, malum hujusmodi inde eve- nire, quod Commissiones, quae quoad secunda in Causis Matrimonialibus edita postulata, & instantias dabantur, ad Viros ad Jus dicendum neque aptos, neque idoneos, sed judicandi prorsus incapaces dirigerentur: Nos non solum per Encyclicas alias literas universis Antistitibus inscriptas, singulis injunximus, & mandavi- mus, ut unusquisque cum Capitulis Cathedralis Ecclesiae suae consilio, eorum Virorum quos ad grave Judicii hujusmodi ministerium probe, & sapienter ob-

PONT. cundum aptos, & idoneos, rebus omnibus consideratis, exacteque expensis in ANNO  
 Domino reputassent, indicem confectum ad Apostolicam hanc Sanctam Sedem  
 A. III. mitterent; verum etiam in memoratis nostris sub Plumbo expeditis literis ad 1743  
 dendum curavimus, ne antedictæ Commissiones in secundis instantiis super cau-  
 sis Matrimonialibus deinceps ad alios dirigerentur, quam ad viciniore Anti-  
 stites, atque ut tunc dumtaxat, si forte contigeret ita fieri non posse, ad  
 quempiam ex indicatis Viris aptis, & idoneis Commissiones hujusmodi diri-  
 gantur.

§. 4. Ex præscriptis Apostolicæ providentiæ auctoritatisque nostræ Sanctio-  
 nibus conceptam fiduciam sustentantes, fore nimirum, ut abusus antedictus,  
 & omnis inordinatio isthinc potissimum quemadmodum alibi, benedicente Do-  
 mino, evenire gratulabamur, penitus auferretur; ingenti cum Pontificii cor-  
 dis nostri dolore accepimus, isthic novas fraudes adinventas, novaque effugia  
 quæsitæ, quibus Apostolicæ Salutare Ordinationes eluderentur. Horret animus  
 referre non solum pacta inter Conjuges, Matrimonii dissolutionem contenden-  
 tes, vicissim conventa, ut alter eorum, post latam ab Ecclesiastico Judice su-  
 per Matrimonii nullitate Sententiam; ab eadem appellare audens, ad quadam  
 certam pecuniæ summam alteri de ipsa Sententia acquiescenti solvendam te-  
 neatur, verum etiam ab Ecclesiastico Judice, apud quem appellatio insti-  
 tuta fuerit, Appellantem ad omnimodam summæ hujusmodi solutionem da-  
 mnari.

§. 5. De hisce autem rebus accuratissime exquisitis plenissime docti, Nos in  
 ea sumus sententia, inordinationem, confusionemque antedictam in Regno Po-  
 loniæ vigentem, majorem in partem, ex more modoque, quo Matrimonia per  
 Poloniam contrahuntur, ac celebrantur, omnino exoriri. Sæpe numero enim,  
 ac passim præsentia proprii Parochi, dum Matrimonium per verba de præsentia  
 contrahitur, desideratur, & cuilibet Sacerdoti interessendi commissio, interdum  
 in scio etiam proprio Parocho, demandatur: Frequentissime etiam super denun-  
 ciationibus per tres festos dies inter Missarum solemnias in Parochiali Ecclesia  
 tam Viri, quam Mulieris de Matrimonio contrahendo seri solitis, ac tanto-  
 pere præscriptis, dispensatur, itaut, nulla intercedente legitima, & urgenti  
 causa, ne una quidem denunciatio fiat.

§. 6. Quamobrem obstructa omni via, qua ad agnitionem perveniri posset,  
 an quodlibet Matrimonium cum debita utriusque Contrahentis libertate, & con-  
 sensu celebretur; intercedat ne inter utrumque Contrahentem impedimentum  
 aliquod, cujus causa deinceps idem Matrimonium jam contractum dissolvi, &  
 irritari debeat; Hinc opportunus datur locus frequentissimus super nullitate Ma-  
 trimoniorum in facie Ecclesiæ etiam initorum disputationibus, interdum qui-  
 dem contenditur Matrimonium sive per vim, sive per metum, & sine alterius  
 Conjugis libero consensu contractum fuisse; interdum vero impedimentum ob-  
 tenditur, quod, cæteroque legitimum, ac canonicum, ante resciri potuisset,  
 quam Matrimonium contraheretur, nisi de industria, deditaque opera occultum  
 esse voluissent; interdum etiam, quod frequentius accidit, inde Matrimonii  
 nullitas arcessitur, quod coram alio Sacerdote, licet de commissione sive Paro-  
 chi, sive Antistitis Ordinarii, sine tamen debitis consuetisque formis attributa  
 celebratum fuerit Matrimonium. Nemo sane est, qui non intelligat, præmissa  
 omnia tamquam perpetuum Diabolicæ nequitæ fomitem, apertumque sceleri  
 aditum in causa esse, & ut canonicum appellationis beneficium a Nobis in ul-  
 timis nostris literis tantopere commendatum, quo alter Conjugum, post  
 adjudicatam alteri super Matrimonii nullitate causam, frui potest, hæc frau-  
 des, & effugia impediatur, & ut frequentiores sint non sine gravissima bo-  
 norum offensione, & scandalo, in Polonia hujusmodi Connubiorum dissolu-  
 tiones.

§. 7. Itaque, ut injustis imbecillitati nostræ Apostolici muneris partibus quan-



PONT. quantum cum Domino possumus, satisfacere, & opportunum perniciosissimo ANNO  
 huic malo remedium adhibere adnitamur, motu proprio, & ex certa scientia,  
 A. III. ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, te- 1743  
 nore præsentium, non solum omnia, & singula ejusmodi pacta inter Conju-  
 ges, pro dissolutione Matrimonii quomodocumque facienda, quomodolibet inita,  
 verum etiam ea, quibus sive directe, sive indirecte, appellatio ab Judicis sen-  
 tentia jam lata super Matrimonii nullitate impediatur, etiamsi utraque pacta  
 interposito jurejurando approbata, & confirmata, atque etiam ante editas  
 nostras memoratas ultimas literas quomodolibet conventa, & facta fuissent,  
 nulla, invalida, irrita, nullius roboris, & momenti esse, ac fore, & impo-  
 sterum futura, & habenda esse declaramus, & nunc pro tunc annullamus, in-  
 validamus, irritamusque; itaut nullo unquam pacto, tam in foro interno,  
 quam externo, obligatoria sint, & habeantur, sub excommunicationis pœna  
 ipso facto incurrenda, a quo nemo, quicumque pacta hujusmodi celebraverit,  
 præterquam a Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente Successore  
 nostro, nisi in mortis articulo absolutionem obtinere possit. Præterea eidem  
 excommunicationis pœnæ ipso facto obnoxium esse, & fore, eamque incurre-  
 re, & incursum esse pariter declaramus, & nunc pro tunc pronunciamus quem-  
 cumque Judicem, qui pacta antedicta executioni demandando, & servanda cu-  
 rare, & pronuntiare ausus fuerit, ac propterea præfatas ultimas litteras, seu  
 constitutionem nostram, & quæcumque in iis, sive in ea, contenta, ac præ-  
 fertim omne id, quod quoad Ordinem seriemque Appellationis a deputato Ma-  
 trimonii Defensore, semper ac ab Judice contra ejusdem Matrimonii nullitate  
 sententia pronuntiata fuerit, interponendæ, continetur, statuitur, ac præci-  
 pitur, quatenus opus sit, iterum innovamus, & confirmamus, denuntiamus-  
 que; & Fraternitatibus Vestris easdem nostras literas iterum proponendas,  
 evulgandasque, in virtute Sanctæ Obedientiæ jubemus, perinde, ac si de ver-  
 bo ad verbum iisdem præsentibus expressæ, & insertæ fuissent, quemadmo-  
 dum earundem tenorem ipsis præsentibus pro expresso, & inserto haberi vo-  
 lumus.

§. 8. Quamquam vero quæcumque hætenus gessimus, retulimus, præscripsi-  
 mus, satis esse intelligimus, ut Fideles isthic præsertim Matrimonii sanctitatem  
 cognitam habentes ad Sacramentum hoc magnum, ea, qua decet, animi re-  
 verentia, ac pietate, ineundum accedant, eandemque sanctitatem, mutquamque  
 animorum concordiam perpetuo inviolatam indissolubilemque servant, tamen  
 nostræ hac in re gravissima Apostolicæ sollicitudini haud satis esse dicimus,  
 nisi Fraternitatibus vestris proponamus præclaras salutareque leges, ac Regu-  
 las illarum bene constitutarum Diocesum, in quibus fere numquam, aut raro  
 lites super contractis Matrimonii agitantur, & sententiæ super eorundem Ma-  
 trimoniorum nullitate pronuntiantur.

§. 9. Ac primum omnium, munus, quoad proprium Parochum jure spectat  
 interessendi Matrimoniis Celebrandis, per se ipse Parochus nisi legitima gravis-  
 simaque de causa impeditus, obire tenetur.

§. 10. Onus pariter proprio Parocho injunctum est, ut antequam Denun-  
 ciationes de ineundo Matrimonio publice in Ecclesia inter Missarum solemnias  
 fiant, ipse tum Sponsum, tum Sponsam seorsim caute, & ut dicitur, ad au-  
 rem explorare studeat, an ex voluntate, sponte, ac libenter, & vero cum  
 animi consensu, in Matrimonium vicissim jungantur; nec non ut, quantum  
 fieri potest, inquirere nitatur, ullum ne, & cujus generis impedimentum in-  
 ter contrahentes intercedat; aliis ne fidem sponsonemque alter ex Contrahen-  
 tibus dederit; de consensu ne Parentum Filii, Filiaque familias contrahant:  
 Hæc aliaque hujusmodi momenta postquam Parochi accuratissime explorave-  
 rint, si aliquod eorundem momentorum sive deficere, aut nocere posse depre-  
 henderunt, suspensis interea denunciationibus, illud, quod ob stare possit defer-

PONT. re tenentur ad proprium Antistitem, qui pro ut res postulaverit, pro aucto- ANNO  
ritate, munerisque sui debito, opportune provideat.

A. III. §. 11. Quod si Parochi nihil. quod denunciationibus publice & de more fa- 1743  
ciendis obstat, tuto animadverterint, tunc illas per tres fellos dies continuos  
in Ecclesia inter Missarum solemnias, juxta tam Concilii Lateranensis sub fel-  
record. Innocentio PP. III. Prædecessore nostro, quam Concilii Tridentini  
præscriptum proponant, ut impedimentum, si quod prius resciri non potue-  
rat, ab interessentibus Auditoribus indicetur.

§. 12. Et si autem Antistites super Ovibus sibi commissis vigilias, ea, quan-  
ante diximus, salutari ratione, custodientes, non ignorant, Matrimonium,  
coram quolibet Sacerdote non Parocho, facta illi copia, dataque licentia, sive  
a proprio Parocho, sive a loci ordinario Antistite, validum esse, auctoritatem-  
que super Denunciationibus dispensandi, atque ut una pro tribus, & ne una  
quidem, urgente legitima gravissimaque causa, Denuntiatio fiat, permittendi,  
se habere: tamen diligentissime caveant, ne ad libitum hæc sua auctoritate,  
tum super Denunciationibus dispensandi, tum cuilibet potius Sacerdoti, quam  
Proprio Parocho facultatem, ut in contrahendis Matrimoniis interesse possit,  
committendi, nisi ubi ineluctabilem necessitatem ita exigere animadverterint,  
utantur. Immo cum, ut præmissum est, commissionem hujusmodi necessario  
dandam esse perspexerint, eam non statim, sed postquam ex adhibitis diligen-  
tiis acceptisque certis notitiis, sibi tuto constiterit nullum inter Contrahentes  
interponi impedimentum, impertiuntur.

§. 13. Quo ad dispensationem vero super Denunciationibus, semper præ ocu-  
lis Concilii Tridentini Decretum de reformatione Matrimonii habentes aper-  
tissime intelligunt, facultatem in ejusmodi dispensationibus effrænatam, immo-  
deratamque sibi nullatenus inesse sed facultatem ad prudentiæ rationem, legi-  
timarumque causarum emergentis occasiones dirigendam, eaque caute uti, ita  
ut hæc in re super recitent hæc ejusdem Concilii Tridentini verba: *Quod si  
aliquando probabilis fuerit suspitio, Matrimonium malitiose impediri posse si tot,  
nempe tres præcesserint Denuntiationes; tunc vel una tantum Denuntiatio fiat,  
vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus Testibus præsentibus, Matrimonium  
celebretur. Deinde ante illius consummationem Denuntiationes in Ecclesia fiant,  
ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur.*

§. 14. Hæc; Venetabiles Fratres, Antistitum gravissimas Episcopalis in  
Matrimoniis præsertim celebrandis ministerii partes adimplere studentium sol-  
licitudo, diligentia, ac ratio agendi, omnes fere Connubiorum dissolutiones e  
medio tollit; hæc igitur sequamini. Per hæc semitam, non recens aper-  
tam, sed semper tuto tritam, & a laudato Concilio Tridentino tantopere  
commendatam atque sub præcepto ad suscipiendam, frequentandamque uni-  
versis Antistibus tradita, dirigite gressus vestros, ut inuncto Vobis oneri  
etiam hæc in parte satisfacere possitis. Vigiles, ac solliciti adnitamini, ut  
Parochi, Animarumque Christianidelium Rectores, in partem laborum vestro-  
rum Coadjutores vocati, in suis, ea, qua tenentur, vigilantia, sedulitate,  
& integritate, muneribus exercendis, per se ipsi omnem operam & curam  
impendant. Ne patiamini, ut facili humanitate ducti, non antem legitima  
necessitate coacti, juridicam propriorum Parochorum præsentiam in contra-  
hendis Matrimoniis necessariam, ob quodlibet leve momentum removentes,  
cuilibet Sacerdoti in illis interessendi licentiam concedatis. Canonicas Ordina-  
tiones ac leges super Denuntiationibus aut contrahendum Matrimonium fa-  
ciendis, non sine gravi animi angore, conscientiaque stimulo servandas, &  
summa cum nonnullorum offensione, scandaloque minime prætereundas, Vos  
ipsi custodite, & ab aliis, quorum interest, re ipsa servari facite.

§. 15. Nec obtentu, prætextu, aut colore cujuscumque consuetudinis, &  
usus hæcenus quomodolibet inveni, & in vestris Diocesisbus vigentis, ea,  
quæ

PONT. quæ ad hæc usque tempora , super Denuntiationibus sine legitima causa dis- ANNUS  
pensandi versa est in fastidium , & tot litium fomitem , facilitate , deinceps  
A. III. abuti , audeatis , perniciofa enim consuetudo , & auctoritatis abusus non ad 1743  
normam agendi , sed ad male astorum exprobrationem confert .

§. 16. Quam vero Vobis ad commissiones , & dispensationes hujusmodi præ-  
cipitanter , effuseque dandas , exemplo , & incitamento fuisse asseritur , nimiam  
in iisdem tribuendis indulgentiam , qua vero , nec ne Ordinarius Apostolicæ  
hujus Sanctæ Sedis in Polonia pro tempore existens Nuntius , vigore facultatis ,  
ipsi , inter cæteras tamquam a latere Legato concedi solitas , utcumque  
hac in re competentis , eadem commissiones dispensationesque impertitur ;  
ipsam moderno , & pro tempore existenti in Polonia Nuntio inhibendam man-  
damus , ut Fratritates vestræ , hoc exemplo , & incitamento etiam sublato ,  
exinde sese a Commissionibus , Dispensationibusque antedictis abstineant .

§. 17. Itaque , Venerabiles Fratres , nolumus Vos ignorare , Nos , tot no-  
stras susceptas sollicitudines , tot nostras non omittas adhortationes , tot præ-  
scriptas Apostolicæ nostræ providentiæ , auctoritatisque ordinationes , ex ani-  
mi nostri ad Majorem Dei Gloriam , Animarumque salutem intenti , sententia ,  
minime succedere , nec pristinas in Matrimonii ineundi , dissolvendisque  
lites , & controversias e medio tolli animadvertentes suprema auctoritate no-  
stra , ad efficaciora , & asperiora remedia hisce malis curandis apta atque ido-  
nea opportune adhibenda esse usuras . Vobis enim satis superque perfectum  
est , Nos justis ac rationalibus de causis , quemadmodum , si secus fortasse fiet ,  
quam præscripsimus , certe accideret , judicium causarum Matrimonialium Po-  
loniæ quoad primam etiam instantiam reservare posse , & insuper , relicta  
Episcopis locorum prima , & Metropolitanis secunda instantia , decernere  
( sicut , necessitate tamen coacti , omnino decernemus ) ut in causis Matrimonialibus  
Poloniæ , tum prima ab Episcopalibus , tum secunda a Metropolitanis  
Curiis Sententia super nullitate Matrimonii pronuntiata , executioni mi-  
nime demandetur , nisi utraque sententia , cum rationum momeatis prius in  
Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii  
Tridentini interpretum mature , exacteque fuerit expensa , ac probata , nec  
non Matrimonium quodlibet , post utramque sententiam in Curiis vestris la-  
tam , vel interea temporis , dum in eadem Congregatione Cardinalium utra-  
que sententia hujusmodi expenditur , vel nullo apud eandem Congregatio-  
nem Cardinalium habito recurfu quomodolibet : servatis etiam servandis ,  
exinde contractum nullum , irritum , nullius roboris & momenti esse , & fore  
declarare .

§. 18. Decernentes , easdem præsentis literas , & in eis contenta quæcum-  
que , etiam ex eo , quod quicumque in præmissis quomodolibet jus , vel in-  
teresse habeat , seu habere prætendentes cujusvis status , gradus , ordinis ,  
præminentie , vel dignitatis , seu alias specifica , & individua mentione , &  
expressione digni existant , iisdem præmissis non consenserint , nec ad ea vo-  
cati , seu auditi fuerint , tametsi suorum Indultorum , vel Privilegiorum vi-  
gore , consentire , seu vocari semel , vel pluries quomodolibet debuissent , aut  
ex alia quantumvis juridica , & privilegiata causa , colore , prætextu , & ca-  
pite , etiam in corpore juris clauso , ullo umquam tempore de subreptionis ,  
vel obreptionis , aut nullitatis vitio , seu intentionis nostræ , vel interesse ha-  
bentium consensus , aliove quolibet etiam quantumvis magno , & formali ,  
& substantiali defectu notari , impugnari , infringi , in controversiam vocari ,  
ad terminos juris reduci , seu adversus illas aperiitionis Oris , restitutionis in  
integrum , aliudve quodcumque juris , facti , vel gratiæ remedium intentari ,  
vel impetrari nullatenus posse , sed ipsas præsentis literas , & in eis contenta  
quæcumque firma , valida , & efficacia existere , & fore , suolque plenarios , &  
integros effectus sortiri , & obtinere debere , & ab omnibus , ad quos spectat ,  
& pro


PONT. & pro tempore quodcumque spectabit inviolabiliter observari: sicque in ANNO  
 A. III. Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, 1743  
 & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosque quoslibet quacumque præ eminentia, &  
 potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter  
 judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debe-  
 re: ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate  
 scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus iis omnibus,  
 quæ in sæpe memoratis nostris literis volumus non oblatæ, cæterisque con-  
 trariis quibuscumque.

§. 19. Volumus denique, ut earundem præsentium literarum transumptis,  
 seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, &  
 sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fi-  
 des in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus,  
 si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 20. Ceterum Fraternitates vestras in partem Pontificiæ sollicitudinis no-  
 stræ advocantes, rogamus, & quibus maximis possumus Apostolicis exhorta-  
 tionibus excitamus, ut singulis Curiarum vestrarum Ministros, & Officiales  
 pietatis, probitatis, doctrinæ, prudentiæ, aliarumque Christianarum virtutum  
 laude præstantiores, & diuturna experientia commendatos, semper ea, qua  
 opus est, diligentia exquirere, & seligere studeatis, atque iisdem districte man-  
 datis, ut ministerium suum quisque integerrime obire satagat, nec interea  
 Vos de assidua vigilantia vestra quidquam omitatis, considerantes, & gravis-  
 simam Pastorum Principi JESU CHRISTO de procuracione Gregis vobis cre-  
 diti rationem esse reddendam, & æternam mercedem in Cœlis propositum iis,  
 qui legitime certaverint, esse tribuendam. Nos interim ad prosperi successus  
 auspiciam, & ad cœlestium Charismatum copiam promerendam, Fraternitati-  
 bus Vestris Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die  
 XVII. Maji MDCCXLIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

D. Card. Passioneus.



PONT.

N U M. XXX.

ANNO

A. III.

C O N T R A

1743

*Surripientes, vel asportantes, aut apud se retinentes Sacras Hostias,  
 vel Particulas consecratas.*

B E N E D I C T U S E P I S C O P U S

S E R V U S S E R V O R U M D E I .

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**A**ugustissimo Eucharistiæ Sacramento, in quo Salvator Noster & Do-  
 minus JESUS CHRISTUS se ipsum nobis, tamquam gratiarum omnium  
 fontem uberrimum, atque pretiosum æternæ gloriæ pignus, amandum  
 atque fruendum exhibere ineffabili benignitate dignatur; cui curvari convenit  
 omne genu, omnesque gentes & populus & linguas perenne adorationis &  
 honoris tributum offerre; sceleratorum Hominum audaciam, multoque magis  
 sacrilegas impiorum manus arcendas esse, in primisque a Nobis Apostolicæ  
 auctor-

PONT. auctoritatis clypeo ac districto pœnarum gladio, quantum cum Domino possu- ANNO.  
mus, longius propulsandas, tum ipso ministerii Nostri, Officio, tum etiam  
A. III. Prædecessorum nostrorum exemplis admonemur. 1743

Et sane cum alias Ven. mem. Prædecessor Noster Innocentius Papa XI. per  
suam Constitutionem datam IV. Idus Martii anno Incarnationis Dominicæ mil-  
lesimo sexcentesimo septuagesimo sexto statuerit, ut omnes, & singuli utrius-  
que sexus, qui de execrabili furto Hostiæ consecratæ, sive unius vel plurium  
Particularum consecratarum, cum sacra pyxide, vel sine illa, legitime & ju-  
dicialiter confessi aut convicti fuerint; quive propria malitia, vel de alterius  
mandato Hostiam ejusmodi, sive unam, vel plures Particulas consecratas, ad  
malum finem, apud se retinere, vel alio transferre, seu asportare præsumpse-  
rint, condignis pœnis & animadversionibus pro facinoris atrocitate plestantur,  
& pro prima etiam vice Curiæ seculari tradantur; non obstanti minori æta-  
te, dummodo vigesimum annum attigerint; eademque pœnas constituerit et-  
iam contra Mandantes: Immediatus illius Successor sæl. pariter record. Ale-  
xander Papa VIII. æquali zelo ad tam nefarium scelus eliminandum armatus,  
prædictam Innocentii XI. Constitutionem confirmavit, per aliam in simili for-  
ma datam XI. Kal. Januarii anni millesimi sexcentissimi nonagesimi; in qua et-  
iam illud addidit, ut sub antedictæ Constitutionis dispositione intelligi debe-  
rent comprehensæ omnes & singulæ personæ tam Seculares quam Ecclesiasticæ,  
etiam Regulares, cujuscumque dignitatis, status, gradus, Ordinis, Congre-  
gationis, societatis, & Instituti, quibuscumque Privilegiis, exemptionibus, &  
Indultis munitæ; & quavis speciali nota; aut individuatione dignæ, nulla  
profus excepta; easque omnes, si quas atrocissimi hujus criminis, quocumque  
modo, etiam sine qualitate furti, per se ipsas, vel per alios quoscumque, aut  
de alterius mandato, commissi, reas esse constaret, omnibus, & singulis pœ-  
nis tum antiquis, tum in dictâ Innocentii XI. Constitutione Innovatis, et-  
iam quoad Ecclesiasticos, degradationis realis, & traditionis brachio sæculari  
omnino & irremissibiliter obnoxias fuisse & esse, atque in posterum fore de-  
claravit.

Nos igitur, quibus horrendæ hujusmodi impietatis magis magisque præca-  
vendæ non minor cura pectori insidet, supradictas Prædecessorum nostrorum  
Innocentii XI. & Alexandri VIII. Constitutiones ( quarum tenores )  
ac si de verbo ad verbum præsentibus insertæ forent, haberi volumus )  
atque omnes & singulas dispositiones, ordinationes, declarationes & extensio-  
nes in illis contentas, prout jacent, motu proprio, & ex mera scientia & de-  
liberatione Nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra per-  
petuo valitura Constitutione confirmamus, approbamus, & innovamus, easque  
inviolabiliter, & inconcusse servari volumus & mandamus.

Cum autem, sicut Nos ipsi plures agnovimus, dum adhuc in minoribus  
existentes, in Romana atque universali Inquisitione Consultoris munere fun-  
gebamur, in hujusmodi Causarum tractationibus, quæ coram Sacro prædictæ  
Inquisitionis Tribunali agitantur, hæc plerumque exceptiones a Reis, atque  
Reorum Advocatis proponi soleant, quod scilicet subreptarum Particularum  
sive Hostiarum consecratio, & surripiendum, sive asportantium, vel respecti-  
ve retinentium intentio ad malum finem directâ, minime a Fisco probentur;  
& propter hujusmodi exceptiones, & deficientes in Fisco probationes ad eas-  
dem repellendas, hujus generis Causas in longum protrahi contingat, atque  
etiam ipsi aliquando Rei delictorum suorum impunitatem, aut pœnarum mi-  
noratione pessimo exemplo obtinere tentaverint; Cumque super relevantiâ  
istarum exceptionum, quæ ex prædictarum Innocentii XI., & Alexandri VIII.  
Constitutionum contextu oriri asseruntur, & super eo, an ipsis Reis, vel Fi-  
sco potius incumbat onus conficiendi probationes pro supradictis exceptionibus  
fundandis, vel respective destruendis, novam aliquam declarationem Pontificia  
aucto-

PCNT. auctoritate suffultam memoratis Constitutionibus adjungi desideraretur; Idcirco ANNO  
 Nos, volentes omnia sacrilegis Hominibus adimere subterfugia, per quæ con-  
 A. III. dignas tantæ impietatis pœnas declinare, vel earum minorationem, & rela- 1743  
 xationem prætere, vel obtinere possent, motu, scientia, deliberatione,  
 ac potestatis plenitudine paribus, atque etiam Ven. Fratrum Nostrorum S. R.  
 E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem  
 generalium Inquisitorum a Sancta Sede specialiter deputatorum sensui & con-  
 silio Nobis alias super hac re insinuato inhærentes, ea quæ sequuntur oppor-  
 tune statuenda, & declaranda censuimus.

Quoties igitur per legitimas probationes constiterit, vel Hostiam, vel Particulas a Reo subreptas, sive alio modo asportatas, atque retentas, in Sacro prius Repositorio, seu Tabernaculo, vel in Sacra Pyxide, aut Ostensorio aservatas, indeque sacrilego ausu extractas atque asportatas fuisse, vel eidem Reo constituto, aut alteri personæ in actu Communionis a Sacerdote traditas, deindeque vel in eodem Communionis actu, vel post illum, ab ipso sumente ex proprio ore extractas fuisse; tunc satis & abunde fundatam præsumptionem Fisco suppetere declaramus, pro asserenda eadem Hostiarum, seu Particularum consecratione; ad quam excludendam nonnisi claras & concludentes in contrarium probationes admitti debere decernimus; quarum perficiendarum onus ad ipsum Reum pertinere dubitandum non est, ac ne in posterum dubitari contingat, præsentis declarationis tenore statuimus.

Inutiliter etiam a Reis vel ab eorum Defensoribus proponetur exceptio non probatæ pravæ intentionis abutendo Sacramento ad malum, vel sacrilegum finem, nisi concludentibus, & juridicis probationibus, abstruendis pariter ab ipsis Reis, in quos tale onus præsentis declarationis vigore expresse refundimus, hujusmodi exceptio constabilita fuerit, & justa, aut excusabilis ratio asportationis, aut retentionis Sacramenti, plene comprobetur. Alias etenim Fisco semper assistet valida & legitima præsumptio de intentionis pravitate, quotiescumque probaverit ipsam Sacram Hostiæ, vel Particulæ subreptionem, asportationem, aut retentionem, absque eo quod super malo, vel sacrilego fine speciales probationes debeat cumulare. Itaque neque istam, neque aliam superius memoratam exceptionem, ubi sufficienter, ut supra, probatæ non fuerint, impiis tanti Sacramenti violatoribus ullatenus suffragari volumus, quo minus omnibus, & singulis pœnis, etiam pro prima vice traditionis brachio Sæculari, & quoad Ecclesiasticos, degradationis realis, & traditionis pariter pro prima vice brachio Sæculari, in præfatis, & antiquioribus Prædecessorum Nostrorum, & juris sanctionibus, contra hujusmodi nunquam satis detestandi facinoris Reos juste, ac sapienter constitutis, subjiciantur, & cum effectu plectantur, & puniantur.

Decernentes præsentis Nostras literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quolibet in præmissis, seu eorum aliquod jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, Ordinis præminentia, vel dignitatis existant, sive alias specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi; neque causæ propter quas eadem præsentis emanaverint, adductæ, verificatæ, vel sufficienter, aut nullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vicio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, & impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperi-tionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, & de Appo-  
 stolicæ

PONT. folicæ potestatis plenitudine simili concessio, vel emanato quempiam in Judi- ANNO  
cio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentibus  
A. III. semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & 1743  
integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tem-  
pore quodcumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari.

Sicque, & non aliter in præmissis censei, atque ita per quoscumque Judi-  
ces Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac  
ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis præ-  
dictæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, ac potestate fun-  
gentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicari, & defini-  
ri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctori-  
tate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regu-  
la de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus,  
Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Con-  
stitutionibus, & Ordinationibus, nec non quibusvis, etiam juramento, confir-  
matione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetu-  
dinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, exemptionibus, & In-  
dultis, etiam in corpore juris clausis, aut literis Apostolicis quibusvis Perso-  
nis, Collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, Socie-  
tatis Jesu, & S. Joannis, Hierosolymitani, aliisque quibuslibet specifica, & in-  
dividua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & for-  
mis, ac cum quibusvis etiam clausulis & Decretis, etiam irritantibus in gene-  
re, vel in specie, etiam motu simili, & de Apostolicæ potestatis plenitudine,  
seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis,  
ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis,  
etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus  
specialis, specifica, & individua mentio, seu quævis alia expressio ad id ser-  
vanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro-  
plene, & sufficienter expressis, & exactissime servatis, & specificatis respecti-  
ve habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad  
præmissorum effectum plenissime & amplissime motu pari derogamus, & dero-  
gatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus insuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eadem præ-  
sentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducan-  
tur, nec quisquam de eis ignorantiam prætere valescat, ipsas præsentibus, seu  
earum transumpta ad Valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Prin-  
cipis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Cam-  
pi Floræ per aliquem ex Curforibus nostris, ut moris est, publicari, & affi-  
gi: Sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos concernunt, seu  
concernent in futurum perinde afficere, & arctare, ac si unicuique illorum  
personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Utque earumdem præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis,  
manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo Personæ in Ecclesiastica  
Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam ex-  
tra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent  
exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc nostrarum confirma-  
tionis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti,  
declarationis, ampliationis, & extensionis infringere, vel ei ausu temerario  
contrahere. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omni-  
potentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit  
incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Domini-  
cæ

PONT. *cæ* millesimo septingentesimo quadragesimo tertio, Nonas Martii, Pontifica- ANNO  
tus Nostri Anno quarto.

A. IV.

D Card. Passioneus.

1744

X. Sub-Datarius.

## VISA DE CURIA


N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Loço  $\oplus$  Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die XII. Martii ejusdem Anni.



PONT.

NUM. XXXI.

ANNO

A. IV.

I N N O V A T I O

1744

*Decreti Alexandri PP. VII. circa usum Pontificalium Prælati Episcopo inferioribus concessorum.*

**R**everendiss. Domine uti frater.  
Sanctissimus Dominus Noster pro diuturno, quo gubernat Ecclesiam, Zelo ac sollicitudine animo reputans, quod ea, quæ a longo tempore fuerunt statuta, quamquam, opportuniissima, & necessaria, ita tamen decursu temporis in desuetudinem abeant, & in oblivionem, ut penitus tandem negligantur: ac proinde varios abusus animadvertens inolevisse adversus Decreta a San. Mem. Alexandro VII. constituta præsertim circa usum Pontificalium in Congregatione Ordinaria Sacrorum Rituum habita coram eodem Pontifice anno 1659. Sanctissimus Dominus Noster nedum opportunum, sed plane necessarium duxit præscribere, sicut reapse præscripsit, quod non solum fieret nova prædictorum Decretorum in memorata Congregatione editorum impressio, sed etiam quo ad omnes, & singulos locorum Ordinarios eorum exemplaria transmitterentur (quorum unum etiam Amplitudo Tua hisce adnexum recipiet); ad hoc, ut pro munere quod ipsis incumbit, ac pro peculiari studio, quo in res sacras easdem affectos esse decet, exactam eorundem Decretorum observantiam urgeant, & compleant: Eoque magis quod asserentibus tunc temporis Monachis Cassinensibus, etiam pro aliena Ecclesia ex Apostolico Indulto eis licitum esse Ecclesiasticam Suppellectilem benediceret; & Sacra Congregatio mandavit usque ab anno 1660. tale Indultum authenticum ex Archivio Apostolico desumptum exhiberi, & interim abstinere, nunquam huc usque fuit offensum, & diu felix, ac incolumis vivat.

Romæ 31. Martii 1744.

Amplitudinis Tuæ.

Uti Frater.

C. Card. de Marinis Præfectus.

T. Ceruini Patriarcha Hierosolymitanus Secret.

NUM.



*Majoris Pœnitentiarum, & Officii Pœnitentiariæ.*

## BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**P**ASTOR bonus Christus Dominus ad quærendam Ovem, quæ perierat a Patre missus, quum ea reperta. atque humeris suis imposita, in Cœlum reversus fuerit, Vicarios operis sui, quibus universi gregis pretio magno sibi coempti regimen credidit, exemplis, præceptisque suis instructos reliquit, ut & commissas Oves intra moderatæ disciplinæ sœpta coercere, & continere omni studio satagerent: & si quas forte, amore pravæ libertatis abreptas, procul a via salutis licentius aberrare contingeret, eas ad bonam frugem, & ad debita justitiæ officia revocare, ostensa potissimum, ac proposita venia, misericorditer niterentur. Hæc autem Summi Pastorum Principis documenta præ oculis habentes Prædecessores Nostri Romani Pontifices, quemadmodum atrociora quædam, & graviora crimina severe notanda, ac districtè vindicanda duxerunt, latis contra eorum auctores censuris aliisque Ecclesiasticis pœnis, quarum absolutionem, seu relaxationem, pro suprema potestate in universa Ecclesia sibi concessa, suo peculiari iudicio reservarunt, ne scilicet impunitas peccandi delinquentium excitaret audaciam, ita, ne contra nimia obtinendæ veniæ difficultas pœnitentes ad desperationem pro pelleret, opportuna reversis ad cor afferre, atque admovere remedia, memores Christi caritatis, & misericordiæ, nullo umquam tempore prætermiserunt.

§. 1. Ideo, præter alia plura pro variis causarum generibus constituta Romanæ Curie Tribunalia, voluerunt imprimis jam inde a vetustissimis usque temporibus extare in ea, & nunquam defesturum perpetuo conservari, instar fontis patenti Domui David in ablutionem peccatoris, Apostolica Pœnitentiariæ Officium, ad quod universi Fideles ex omni Christiani Orbis regione pro suis quisque spiritualibus morbis quamlibet occultis, sive per se, sive per arcanas literas, propriis etiam suppressis nominibus, tuto confugere possent, & convenientem vulneribus medicinam, secreta, & gratuita curatione (qualis ab omnibus optanda foret) protinus consequerentur. Cujus tam præclari, tanque salutaris instituti ratio Romanis pro tempore Pontificibus magnopere cordi fuit, tantamque ex hujus Officii ministerio in Ecclesiæ administrationem utilitatem experti sunt; ut olim eidem Officio non modo causas ad interius pœnitentiæ forum, sed alias etiam complures ad gratiam, & justitiam externi fori pertinentes, expediendas committere non dubitaverint.

§. 2. Sed sancto, ac salubri consilio Vener. mem. Prædecessor Noster Sanctus Pius P. V. animadvertens hujusmodi negotiorum, atque curarum cumulum, aliorum Tribunalium instituto magis convenientium, Pœnitentiariæ Officium dumtaxat onerare, ac sedulum illud, atque assiduum studium aliis negotiis ad animarum salutem pertinentibus præcipue tribuendum, imminuere posse; quod jam fel. record. Pius pariter Papa IV. ex parte facere aggressus fuerat, id ulterius promoveri, ac perficere magna cum laude decrevit; ideoque Anno Pontificatus sui IV. Incarnationis Dominicæ MDLXIX. quarto Kalendas Maii, edita Constitutione, quæ incipit *In omnibus*, veterem Pœnitentiariæ formam suppressit,

PONT. atque abolevit, novamque de intergo excitavit; multique provide, ac sapi- ANNO  
enter constituit circa Majoris Pœnitentiarii, ejusque Officialium electionem,  
A. IV. qualitates, certum numerum, functiones, stipendium, & secreti custodiam; 1744  
eas dumtaxat facultates Officio Pœnitentiariæ concessit, ac deinceps competere  
voluit, quas novo ejusdem statui magis congruere judicavit.

§. 3. Has verò facultates cum a sequentibus Romanis Pontificibus ferme  
singulis ampliari, aut immutari, aut explicari, qua Literis Apostolicis, qua  
vivæ vocis oraculis, sæpe contigerit; cumque hujusmodi Literarum, atque  
oraculorum multiplicitas, & varietas pluribus in rebus non minimas dubita-  
tionis causas afferrent: placuit Innocentio XII. pariter Prædecessori Nostro u-  
num ex ipsis delectum, unamque summam, & compilationem efformare, quam  
publicavit per suam Constitutionem, quæ incipit *Romanus Pontifex*, datam anno  
Incarnationis Dominicæ MDCXCII. tertio nonas Aprilis.

§. 4. In qua tamen Constitutione quum idem Innocentius Pontifex Maxi-  
mus aliqua facultatum capita in aliud tempus ordinanda distulerit, circa quæ  
nulla in hunc usque diem emanavit provisio; & cum nonnulla de cætero in  
eadem Constitutione disposita, majori quadam luce indigere, usu, & experi-  
entia compertum fuerit; & non pauca præterea accesserint circa Apostolicæ  
Pœnitentiariæ facultates sequentium Pontificum decreta: & præsertim Consti-  
tutio fel. record. Clementis XII. immediati Prædecessoris Nostri, quæ incipit:  
*Apostolatus Officium*, Anno MDCCXXXII. quarto nonas Octobris edita; idcirco  
quod olim Nos ipsi sæpe optavimus, dum in minoribus existentes munus Do-  
ctoris Decretorum in eadem Pœnitentiaria exerceremus; ut huic scilicet operi  
denuo manus admoveretur, id ipsum a pluribus aliis sapius optatum fuisse co-  
gnovimus. Postquam ergo Divinæ Providentiæ, cujus inscrutabilia sunt con-  
silia, ita placitum fuit; ut immerentes Nos, & plane inopinantes ad Summum  
Pontificatum proveheret, statim intelleximus, præfatis justis desideriis a Nobis  
potissimum esse satisfaciendum.

§. 5. Quo circa re diu, & mature discussa, multisque desuper consultationi-  
bus habitis, & omnes Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, & Literas  
quaslibet, atque omnia vivæ vocis oracula ipsius Pœnitentiariæ Officium quo-  
modocumque concernentes, seu concernentia, præ oculis habentes, salva sem-  
per Majoris Pœnitentiarii facultate Romanum Pontificem consulendi in quibus-  
vis particularibus casibus, etiam per præsentis nostras Literas non concessis,  
immo prohibitis, seu reservatis, & exceptis; ita ut ipsi Majori Pœnitentiaro  
de Romani Pontificis speciali mandato, vivæ vocis oraculo desuper sibi facto,  
procedere aiferenti, indubia fides debeat adhiberi; motu proprio & certa sci-  
entia, ac matura deliberatione Nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudi-  
ne, infrascriptas facultates eidem Pœnitentiariæ, & Majori Pœnitentiaro de  
cætero competere, ac in illa, & ab illo in hunc, qui sequitur, modum exer-  
ceri posse, hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus, atque de-  
cernimus.

§. 6. Concedimus itaque Nostro, & pro tempore esistenti Majori Pœnitentia-  
rio, ut omnes, & singulos cujuscumque qualiratis, dignitatis, & gradus, Eccle-  
siasticos, Sæculares, & cujusque Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti  
Regulares, nec non Laicos quoscumque utriusque sexus, tam præsentis, quam  
absentes, ab omnibus, & quibuscumque culpis criminibus, & excessibus, quan-  
tumcumque gravibus, & atrocibus, tam publicis, quam occultis, quandocum-  
que, quomodocumque commissis, & perpetratis, nec non ab omnibus excom-  
municationis, suspensionis, & interdicti, aliisque censuris, & pœnis Ecclesiasti-  
cis, præmissorum criminum occasione latis, & per illos incurris, etiam in ca-  
sibus, nedum Ordinariis, & Regularibus Superioribus, sed etiam Nobis, &  
Sanctæ Sedi specialiter, ac etiam per Literas, quæ die Cœnæ Domini quo-  
tannis promulgantur, reservatis; injuncta semper iisdem pro modo culpæ pœ-  
nitentia

PONT. nitentia salutari, & aliis, quæ de jure injungendi fuerint, absolvere, & ab- ANNO  
solvi mandare possit, & valeat: Regulares nimirum a culpis, & censuris præ-

A. IV. missis in utroque Foro; Ecclesiasticos vero Sæculares, nec non Laicos, a præ- 1744  
dictis culpis, & censuris in Foro conscientiæ tantum; eosdem vero Ecclesiasti-

cos Sæculares, nec non Laicos, tunc in utroque Foro absolvere, & absolvi mandare possit, quando agitur de censuris publicis latis a jure præsertim Sedæ Apostolicæ reservatis, etiam nominatim declaratis, vel si agatur de latis nominatim ab homine, tunc quando Delegati, vel alterius Judicis, a quo latæ fuerunt, Jurisdicção expiraverit, seu quando absolutio per eosdem Judices, aut alios, ad Romanum Pontificem, & ad dictam S. Sedem remissa fuerit; seu quando sic Censura ligati legitime impediuntur, quo minus præsentiam Judicem, vel illorum qui eos sic ligarunt, aut alium, seu alios, quos de jure deberent, adire possint.

§. 7. Ita tamen, ut ab ejusmodi Censuris ab homine latis, vel declaratis in utroque Foro, ut præfertur, absoluti, vel qui absolvendi remittentur Judici coram quo Censurarum causa pendet, in suis congruis casibus respective judicato paruerint, & Parti satisfecerint, vel quamprimum potuerint, pareant, & satisfaciant, alioquin in easdem Censuras reincidant. Renuente vero altera Parte satisfactionem Reo oblatam, & in sententiis, seu Decretis minime expressam accipere; possit Major Pœnitentiarius pro sua prudentia convenientem satisfactionem arbitrari, & respective supradicti Judicis conscientiæ remittere, & ejusmodi pariter arbitretur; illaque per reum oblata, ac per aliam partem, irrationabiliter recusata, valeat, adhuc firma remanente hujusmodi oblatione, ad absolutionem procedere, & ab alio procedi mandare.

§. 8. Romam quoque advenientes, ibique Sacra loca visitaturos, ab omnibus per quemcumque Judicem, vel alias quomodocumque, non tamen in Romana Curia nominatim promulgatis, vel, si alibi promulgatæ fuerint, in eadem Curia notoriis, Censuris, ad effectum dumtaxat, ut Indulgentias, Sacra eadem Urbis loca pie, ac religiose invisitentibus concessas, libere, & licite consequi valeant, absolvere, vel absolvi mandare possit: itaut elapso congruo tempore ab ipsa Pœnitentiaria ad effectum prædictæ visitationis præstiniendo, iisdem, quibus antea, Censuris teneantur. Eos vero, qui Censuris ab homine nominatim ligati, pro absolutione Romam advenerint, sed pro illa obtinenda fuerint ad proprios Judices remissi, & probabile mortis periculum in itinere pertimescant, poterit Major Pœnitentiarius, ad congruum tempus, ab ipso pro hujusmodi itineris confectioe arbitrandum, in Foro conscientiæ tantum absolvere, & absolvi mandare; cum reincidentia, statim ac itineris terminum attingerint.

§. 9. Hæreticos occultos, qui nemini, & cum nemine suas hæreses communicaverint, possit idem Major Pœnitentiarius in Foro conscientiæ tantum, absque illa abjuracione coram Ordinario, vel Inquisitore facienda, absolvere, vel absolvi mandare: quod pariter ipsi liceat, quando prædicti Hæretici occulti aliquos actus extrinsecos fecerint, ex quibus dignosci potuissent pro hæreticis; dummodo eosdem actus, quamvis de sua natura noscibiles, seu ad notitiam deducibiles, nullus, quem ipsi sciant, aut credant, notaverint, vel adverterit.

§. 10. Publicos vero Hæreticos, seu Apostatas a Fide Catholica, in Foro conscientiæ tantum, absolvere, seu absolvi, mandare possit, in iis dumtaxat casibus, in quibus necesse non est complices denuntiare; quando nimirum hujusmodi complices, aut mortui sunt, aut in regionibus palam infectis existunt, & in illis degunt; non tamen quando complices in illis Regionibus viverent, in quibus Inquisitionis Sancti Officii auctoritas viget.

§. 11. Principes porro, & alios jus Imperii, etiam Vicario nomine habentes, ac dominia, & Respublicas, seu Personas illorum, & illarum administra-

PONT. tionem habentes, vel habere solitas, necnon Episcopos, & alios Superiores ANNO  
Prælatos, in casibus publicis, qui in præfatis Literis, die Cœnæ Domini legi  
A. IV. consuetis, continentur, etiamsi Romanus Pontifex propter infirmitatem, vel 1744  
aliam causam ita fuisset impeditus, ut celeriter consuli non posset, absolvere,  
& absolvi mandare nullatenus valeat.

§. 12. Minusque possit, etiam in occultis, etiam in Foro conscientiae tantum absolvere, vel absolvi mandare S. R. E. Cardinales aut alios cujuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis, dignitatis, & præminentiae fuerint, qui, vivente Rom. Pontifice, de alio quopiam in ejus locum post ipsius mortem eligendo, vel excludendo tractaverint, suffragia inierint, ambitusve, aut pactiones fecerint; vel Sede Apostol. vacante, in censuras, seu pœnas in Literis sel. record. Gregorii pp. XV., & Urbani VIII. Prædecessorum Nostrorum super electione Romani Pontificis pro tempore facienda, xvii. Kal. Septembris Anno Incarnationis Domini MDCXXI., & v. Kal. Februarii Anno ejusdem Incarnationis MDCXXV. respectively emanatis, contentas, quomodolibet inciderint; præterquam si absolvi peterent Sede Apostol. adhuc vacante; tunc enim absolvi poterunt modo inferius præscribendo pro tempore vacantis ejusdem Sedis.

§. 13. Nec pariter possit, etiam in occultis, etiam in Foro conscientiae tantum, eos, cujuscumque qualitatis, status, dignitatis, præminentiae, & conditionis fuerint, absolvere, & absolvi mandare, qui Astrologia judiciaria, vel per se, vel per alios, de statu Reipublicæ Christianæ, sive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis inquirentes, ejusdem Urbani VIII. Pontif. Maxim. Literis pridie Kalendas Aprilis Anno ejusdem Incarnationis MDCXXXI. contra prædicta perpetrantes editis, contraverint.

§. 14. Nec similiter valeat in casibus publicis, etiam in judicium non deductis, violatæ Immunitatis, seu libertatis Ecclesiasticæ, ullatenus absolvere, seu absolvi mandare.

§. 15. Super quacumque Irregularitate, & inhabilitate ex quocumque delicto, etiam homicidio voluntario, & ex quocumque defecta proveniente, possit idem Major Pœnitentiarius, in casibus tamen occultis, & in Foro conscientiae tantum, & prævia in gravioribus casibus matura discussione in Signatura Pœnitentiariæ agenda, dispensare, vel dispensari mandare, tam cum Laicis, quam cum Ecclesiasticis Sæcularibus, & Regularibus, cum quibus expediens videbitur, ad hoc ut Ordinibus initiari, vel respectively in susceptis, etiam in Sacris, & Præbyteratus Ordinibus ministrare, & ad Superiores ascendere, ac Dignitates, etiam Cathedralis, & Metropolitanas, & quæcumque Beneficia Ecclesiastica, quandocumque ante dispensationem alioquin canonice obtentas, vel obtenta, retinere, nec non ut hujusmodi Beneficia, & Dignitates (exceptis quando agitur de homicidio voluntario, vel alio gravissimo excessu, Ecclesiis Cathedralibus, & Metropolitanis) etiam post delictum assequi valeant.

§. 16. Item cum Hereticis, & Apostatis a Fide Catholica, quando hæresis, & Apostasia hujusmodi, si de Sæcularibus agitur, nullatenus est propalata, & quando casus gravitas non suadet, Pœnitentes ad Sacram Inquisitionem remittendos esse, super quacumque Irregularitate, Inhabilitate, & Infamia exinde contracta, ad Ordines sive susceptos, sive suscipiendos, quam ad Beneficia, dispensare, vel dispensari mandare possit, & valeat.

§. 17. Cum Homicidis, Bannitis, aliisque criminosis, ut in Religionem recipi, & in ea Professionem emittere licite possint, atque ut etiam qui homicidia voluntaria commiserint, aliquam ex approbatis Religionibus, tamquam Clerici ingredi, in eaque profiteri valeant, in utroque Foro dispensare, seu dispensari mandare possit; ea tamen lege, quando sic oportere videbitur, ut Ficum, & Partem prius concordaverint; & insuper cavendo, ne tempore Novitiatus Sacros Ordines suscipiant, aut ad superiores ascendant; sed id eis  
mini

PONT. minime liceat, nisi post Professionem emissam. Ut autem in iis Ordinibus, quos antea suscepissent, etiam tempore Novitiatus ministrare possit, quoties  
 A. IV. aliqua rationabilis causa id postulaverit, dispensare, & dispensari mandare  
 ANNO 1744  
 possit; adjecta tunc clausula: *Ut si forte in Religione non perseveraverint, seu ad seculum redierint, ipso facto suspensi, etiam ab huiusmodi Ordinum antea susceptorum exercitio, remaneant.*

§. 18. Cum male promotis quibuscumque ad Ordines, in casibus tamen occultis, dispensare, vel dispensari mandare valeat; & signanter, accedente legitima causa dispense, vel dispensari mandet cum Promotus per saltum, in casibus similiter occultis, ad effectum scilicet, ut omissos Ordines secreta recipiant a quolibet Catholico Antistite Gratiam, & communionem cum Sede Apostolica habente, extra tempore, & non servatis Interstitiis, & absque Dimissoriis; non tamen, ut plures Ordines Sacros eodem die recipiant.

§. 19. Cum promotis ad Sacros Ordines, qui Simoniam cum Episcopis promouentibus commiserint, dispensare, & dispensari mandare possit, in occultis dumtaxat, & in Foro conscientie tantum, cum clausula *monitis monendis*, & injuncta gravi poenitentia, ac re præsertim in Signatura discussa.

§. 20. Titulus Beneficiorum cum occultis inhabilitate, vel alio occulto vicio, etiam in concursu male obtentorum, convalidare, & convalidari mandare valeat.

§. 21. Verum a convalidatione Titulorum, & condonatione fructuum abstineat quoad illos, qui de Ecclesiis Cathedralibus provisi, munus Consecrationis infra præfinitum tempus non susceperint.

§. 22. Cum vero agitur de Simonia reali scienter contracta, & de Beneficiis, super quibus eadem contracta fuit, abstineat a dispensationibus, seu convalidationibus Titulorum, etiam in Foro conscientie tantum, etiam in casibus occultis, nisi forte prædicta Simonia contracta fuerit ignoranter ignorantia facti, vel juris, & Orator de illa certior factus, quam primum commode potuerit, dispensationem petierit. Idemque intelligatur de Pensionibus, super quibus Simonia realis scienter contracta, & commissa fuerit.

§. 23. Abstineat a condonatione pretii simoniaci, quando in Ecclesiam læsam, vel pauperes erogari debet; præterquam si delinquentium paupertas, & qualitas suadeant, aliquam ejus partem ipsis remitti, aut condonari posse; residua semper in Ecclesiam; vel alios pauperes erogando.

§. 24. A compositione pariter, & condonatione fructuum Beneficialium, & Episcopaliū Ecclesiarum, ac etiam distributionum quarumcumque quovis modo male perceptorum, in casibus non occultis, abstineat. In occultis vero, possit cum Gallis, Belgis, Germanis, Polonis, & ulterioribus, componere, vel etiam condonare; injuncta eisdem Poenitentibus erogatione elemosynæ, ipsius Majoris Poenitentarii, vel Confessarii ab ipso deputandi arbitrio limitandæ. Cum reliquis autem videlicet Italis, Hispanis, Lusitanis, & adjacentium Insularum Personis, discrete compositionem concedere, & ea mediante fructus condonare valeat; pecuniis exinde redactis Arbitrio Nostro, & Successorum Nostrorum pro tempore erogandis. Pauperibus autem, quorum inopia compositionem non admittit, possit condonare, injuncta però eorum viribus elemosyna modo supradicto. Porro quæ hic ordinantur, sine præjudicio illorum, quibus distributiones accrescere, vel non decrescere debent; sint, & censeantur ordinata.

§. 25. Quoad male ablata, vel retenta, quando domini incerti sunt, & casus occulti, partem aliquam delinquentibus pauperibus, si eorum qualitate, & necessitate pensatis, ita videbitur, remittere, seu condonare, vel remitti, seu condonari mandare possit; residuum vero pauperibus distribui, vel in pia opera erogari, & quidem, si fieri potest, in locis, ubi illa ablata, extorta, vel usurpata sunt, mandare debet.

PONT. §. 26. Accipientes munera a Regularibus , exceptis rerum medicinalium , ANNŌ seu devotionis muneribus , ultra valorem decem scutorum monetæ , contra A. IV. præscriptum a Prædecessoribus Nostriſ Clemente VIII. , & Urbano pariter 1744 VIII. in ſuis Constitutionibus , XIII. Kalendas Julii Anno MDCXL. reſpective editis non abſolvat , niſi facta reſtitutione ; vel , ſi eam de præſenti nequeant adimplere , cum obligatione eandem , quamprimum poterunt , faciendi . Qui vero infra prædictum valorem ejuſmodi munera acceperint , eos , inſuncta arbitrio ipſius Majori Pœnitentiarii , ſeu Confefſarii per eum eligendi , eleemoſyna , quæ in beneficium Religionis , ſeu Conventus , cui de jure facienda eſſet reſtitutio , ſi caute fieri poſſit , erogetur , abſolvere , ſeu abſolvi mandare poſſit .

§. 27. Cum Puellis , quæ Virgines non ſunt , & ſubſidia Dotalia petunt , ſeu jam obtinuerunt a Conſraternitatibus , aut aliis Locis , vel Diſpenſatoribus piis , quibus inſunctum eſt , ut illas Virginibus tantum dent , ſeu diſtribuant ; in occultis , & in foro Conſcientiæ tantum , quatenus illæ imposterum honeſte vivant facultatem habent diſpenſandi . Nec non diſpenſare poſſit in occultis pariter , & in foro Conſcientiæ tantum , cum Virginibus , quæ petunt , vel obtinuerunt ingredi , vel jam ingreſſæ ſunt in Conventus , ſeu Monasteria deſtinata pro Mulieribus ad bonam frugem traductis , ad effectum ea licite ingrediendi , ſeu in eis remanendi , ac profitendi , & officia quecumque ſuſcipiendi , & exercendi .

§. 28. Juramenta quæcumque , in quibus exploratum ſit nullum cujuſquam agi præjudicium , facultatem habeat in foro Conſcientiæ dumtaxat relaxandi .

§. 29. Vota ſimplicia quæcumque quomodolibet emiſſa , tametſi privato juramento confirmata , etiam Religionis , Caſtitaſis , Viſitationis Sepulcri Domini , aut Sacrorum Liminum Beatorum Apoſtolorum Petri , & Pauli de Urbe , aut Sepulcri S. Jacobi de Compoſtella , poſſit idem Major Pœnitentiarius in alia pietatis opera diſpenſando commutare etiam ad effectum contrahendi matrimonium , cum agitur de voto caſtitaſis , aliſve ex ſe matrimonium illicitum reddentibus ; item Votorum implemmentum differre , & ab illorum tranſgreſſionibus abſolvere ; & reſpective diſpenſando commutari , differri , & abſolvi mandare ; conſideratis cauſis talium commutationum ; dilationum , aut abſolutionum , & adjectis clauſulis , quas apponere , iſque inſunctis , quæ injungere haſtenus in hujusmodi caſibus Pœnitentiaria laudabiliter conſuevit .

§. 30. Super recitatione Divini Officii , ſeu Horarum Canonicarum , propter aliquam impoſſibilitatem , ſeu moralem difficultatem , diſpenſandi , cum commutationem in alias preces , vel orationes , vel alia pia opera , earumque , ſeu eorum inſunctione , habeat facultatem .

§. 31. Cum Regularibus autem ſuper Irregularitatem , tam ex defectu , quam ex quocumque delicto quancumque perpetrato , quomodolibet contractu , ut eadem Irregularitate , aut quavis inhabilitate , aliſque defectibus , quibuſcumque non obſtantibus , ſuſceptis Ordinibus , & eorum Privilegiis uti , ac in illis , etiam in Altaris miniſterio miniſtrare , & Ordines non ſuſceptos ſuſcipere ac in iſdem pariter miniſtrare , necnon quæcumque , quocumque , & qualiacumque ſuorum Ordinum , & Congregationum , alioquin Canonice obtenta , Officia , Beneficia regularia , munia , præminentias , dignitates , & Prælaturas , etiam majores , & principales , retinere , & exercere , nec non eadem , ſeu eadem , ad quæ , ſeu quas in futurum canonice , & juxta eorundem Ordinum , & Congregationum regularia Inſtituta , eligentur , vel aliter aſſumentur , recipere , aſſequi , gerere , ac libere , & licite , exercere valeant , diſpenſare , eoque in priſtinum , & ad eum , in quo ante præmiſſa quomodolibet erant , ſtatutum , & ad vocem activam , & paſſivam reſtituere , reponere , & plenarie reintegrare , & pœnas illis gratioſe remittere , & condonare ; ( & non tamen habilitate ad Generalatum , quando agitur de pulico natalium defectu ) ; nec non

PONT. pro majori absolutionum, & dispensationum prædictarum firmitate, quibusvis ANNO  
 Constitutionibus, Ordinationibus, Statibus, & Privilegiis quomodolibet obstantibus

A. IV. §. 32. Volumus tamen, ut in hujusmodi casibus, qui occulti fuerint, in Foro conscientiarum tantum; in publicis vero casibus in utroque Foro, auditis Regularibus, ut præfertur, dispense, vel dispensari mandet. 1744

§. 33. Quo ad Apostatas, vel fugitivos Regulares, ad Apostolicam Pœnitentiariam recurrentes, servetur laudabilis ejusdem praxis, ut scilicet Major Pœnitentiarius, audito prius, si in Urbe adsit, Ordinis superiore, seu Procuratore Generali, injungat Apostatæ, seu fugitivo, intra tempus arbitrio ipsius Majoris Pœnitentiarum taxandum, reditum ad proprium Ordinem: Interim vero, si expediat, a censuris eundem absolvere, vel absolvi mandare possit, cum reincidentia si intra dictum tempus minime redierit (dilata tamen usque ad actualem reditum dispensatione super Irregularitate; si forte eam insuper contraxisset): & alias præterea pœnas, sive de jure communi, sive ex Statutis Ordinum, propter Apostasiam, seu fugam inflictas, discrete moderari, commutare, vel etiam, juxta peculiare circumstantias, condonare possit. Si vero casu ejusmodi sit, ut re præsertim in Signatura discussa, censeatur expedire, quod absque reditu ad proprium, transitus eidem ad alium ordinem concedatur; possit Major Pœnitentiarius istud etiam concedere, adhibitis tamen iis cautionibus, quas ad refrenandam vagandi licentiam necessarias, seu opportunas judicaverit; nec non illa præ oculis habendo, quæ infra circa transitum disponuntur. Nemini autem Regulari quacumque de causa permittere valeat, ut in habitu sæculari, seu Clerici Sæcularis, in perpetuum extra Claustra vivere possit.

§. 34. Quoad transitum vero de una ad aliam Religionem, non solum valeat illum concedere a laxiori ad arctiorem, juxta *Cap. Licet de Regular.*, verum etiam ad æqualem, & ab arctiori ad laxiorem, ob justas tamen, & graves respectivè causas ab eodem Majori Pœnitentiarum probandas; audito prius Superiore Ordinis, a quo, & cum consensu Superioris Ordinis, ad quem faciendus est transitus. Pro majori autem transitu firmitate, in his omnibus casibus possit idem Major Pœnitentiarius Statutis, & Privilegiis Apostolicis quomodolibet obstantibus opportune derogare.

§. 35. Verum ablineat ab hujusmodi transitu concedendo ad alias Religiones, seu Ordines, præterquam ad illas, seu illos, in quibus claustralis, & regularis observantia vigere dignoscatur, quod si de tali claustrali, & regulari observantia ullatenus dubitetur, exquirenda erit authentica Ordinarii attestatio. Ablineat pariter a transitu prædicto concedendo ad Ordines Hospitalares, & Militares, quamvis in istis claustralis, & regularis observantia vigeret, nisi forte ad Ordinem S. Joannis de Deo. Neque item eundem transitum concedat ad Ordinem Sancti Benedicti antiquioris observantiæ, aut ad alias consimiles Congregationes cujuscumque Ordinis fuerint.

§. 36. Concedere itidem possit transitum ab uno Monasterio ad aliud, Monialibus tantum ultra montes existentibus, legitima concurrente causa, in Signatura discutienda, & approbanda; committendo tamen facultatem hujusmodi transitus admittendi, & exequendi, arbitrio Ordinarii, cum clausulis opportunis pro casuum varietate.

§. 37. Quo vero ad censuras, seu ad pœnas, in quas Moniales incurrere, & peccata reservata, quæ ab eisdem committi contigerit, etiam in casibus violatæ Claustræ, qui tamen casus occulti fuerint, vel ubi agatur de aliquo occulto defectu dispensando, possit idem Major Pœnitentiarius præfatis Monialibus Confessarium cum opportunis facultatibus concedere.

§. 38. In casibus vero publicis Claustræ a Monialibus prædictis, vel ab aliis quibuscumque personis, ad malum finem violatæ, delinquentes non absolvat,

TONT. nec absolvi mandet, nisi pro ipsis Episcopi, seu Ordinarii supplicaverint, & ANNO  
casus ad Congregationem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus

A. IV. Episcoporum & Regularium propositam deducti non fuerint.

1744

§. 39. In Matrimoniis contrahendis possit idem Major Pœnitentiarius, in foro Conscientiæ tantum, super impedimentis occultis, quæ Matrimonium non dirimunt, dispensare, vel dispensari mandare, itemque super omissione denunciationum, etiam ad effectum contrahendi secreto; in quo ferventur, quando agitur de Matrimoniis *Conscientiæ* nuncupatis, Literæ a Nobis datæ ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos sub die 17. Novembris anni 1741. per ea verba incipientes: *Satis vobis compertum*. At a dispensationibus concedendis super quocumque impedimento ex quovis gradu sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copula licita, seu ex cognatione spiritali proveniente, etiam in foro Conscientiæ tantum, tametsi impedimentum sit occultum, & periculum scandalorum imminet, in iisdem Matrimoniis contrahendis ablineat.

§. 40. In contractis vero Matrimoniis, a dispensatione, seu Matrimonii revalidatione in gradibus primo, & secundo, seu secundo tantum, consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita, etiam in occultis, pariter ablineat; præterquam si in secundo tantum gradu prædicto impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, & Oratores simul publice contraxerint, & uti conjuges legitimi reputati fuerint, in tertio autem, & quarto gradibus occultis, in contractis possit dispensare; atque etiam in iisdem tertio, & quarto gradibus publicis, possit revalidare Matrimonia, ex causa subreptionis, & obreptionis occultæ Literarum Apostolicarum nulliter contracta; præterquam si falsitas consistat in narratione præcedentis copulæ, quæ antea revera non intercesserit.

§. 41. Quod si aliqui Oratores obtinuerint a Nostra Dataria dispensationem super gradu prohibito in primo, & secundo, vel in secundo tantum, ac etiam in tertio, vel quarto, cum reticentia copulæ inter eos sequutæ, quam sine honoris detrimento detegere non valeant, & ratione hujusmodi reticentiæ petant dispensationem pro Matrimonio contrahendo, seu revalidationem Matrimonii contracti; possit idem Major Pœnitentiarius, si copula sit adhuc secreta, hujusmodi dispensationem, seu respective revalidationem in foro Conscientiæ tantum concedere; facta, quando agitur de primo, & secundo, vel secundo tantum gradu, compositione quinquaginta ducatorum auri de Camera ad Datariam transmittendorum, ad effectum (ut incussi moris est) erogandi in eleemosynas; nisi prior gratia expedita fuisset in forma pauperum; quo casu etiam hæc gratia similiter absque ulla compositione expediatur.

§. 42. Si qui vero Oratores, obtenta dispensatione a Dataria super impedimento primi, & secundi, sive secundi dumtaxat gradus Consanguinitatis, seu Affinitatis, cum expressione quidem carnalis copulæ, sed tacita, occulta, & malitiosa intentione in ipsa copula habita ad facilius obtinendam dispensationem, pro revalidatione hujusmodi dispensationis ad dictam Pœnitentiariam recurrant, possit idem Major Pœnitentiarius desuper absolute dispensare cum miserabilibus personis explicite affirmantibus se, uti tales, & sub illa expressa qualitate & forma miserabilium, dispensationes a Dataria obtinuisse: Cum iis vero, qui non tamquam pauperes, sed uti ex honestis familiis, sive uti nobiles, sive uti illustres, ab eadem Dataria similiter dispensati fuerint, non dispenset, nisi soluta prius in Dataria, ad effectum pariter erogandi in eleemosynas, taxa definienda arbitrio ejusdem Majoris Pœnitentiarum, pensatis circumstantiis cujuscumque Casus, & respectu habito ad præjudicium Componendæ, & ad vires supplicantium. Si tamen isti pauperes essent, itaut vere, & realiter integram summam taxatam, vel aliquam ejus partem solvere non possent, præfatus Major Pœnitentiarius opportune in hoc casu provideat, facto verbo, si peculiaris difficultas id postulet, cum Sanctissimo.

§. 43.



PONT. §. 43. Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita seu ex actu for- ANN  
 nicario proveniente, quotiescumque adsit rationalis causa licet periculum  
 A. IV. revelationis, seu scandalorum non immineret, vel non adesset, in matrimoniis  
 tam contractis, quam contrahendis, in foro Conscientiæ dispensare, & dispen- 1744  
 sari mandare possit, & valeat.

§. 44. Super occulto impedimento criminis adulterii, si fuerit cum fide data  
 dumtaxat, neutro machinante, commissum, possit tam in contrahendis quam  
 in contractis Matrimoniiis dispensare. Si vero crimen huiusmodi fuisset, utro-  
 que, vel altero Machinante, patratum, possit in occultis pariter dispensatio-  
 nem concedere: raro tamen, & quando necessitas postulaverit, ratione alicu-  
 jus gravis imminens periculi, quod prudentia Majoris Pœnitentiarum, re præ-  
 fertim discussa in Congregatione, vel Signatura, arbitrandum erit.

§. 45. Declaramus præterea, quod facultates præfatæ a Nobis Majori Pœ-  
 nitentiarum, & ejusdem Pœnitentiarum Officio concessæ circa dispensationes Ma-  
 trimoniales, locum habeant, etiamsi gradus, & impedimenta Literis huiusmodi  
 multiplicia sint, quacumque & quantocumque multiplicata; Volentes in huius-  
 modi dispensationum Matrimonialium, posse Prolem, ubi, opus erit, sive susci-  
 piendam, non tamen in adulterio conceptam, in Foro conscientiæ tantum,  
 legitimam decernere; nec non apponi clausulam: *Nullis &c.*; prout in huius-  
 modi materiis hætenus ipsa Pœnitentiarum servare consuevit.

§. 46. Ulterius super casibus quibusvis occultis impedimenti ad petendum li-  
 cite debitum dispensare, aut dispensari mandare possit, & valeat.

§. 47. Facultates Pœnitentiarum minoribus ordinariis trium Basilicarum Ur-  
 bis, aliisque extraordinariis, quorum deputatio pertinet ad prædictum Major-  
 rem Pœnitentiarum, possit idem ad libitum concedere, & restringere. Fra-  
 tres vero Minores Cappuccinos in Confessarios nullatenus deputet in illis Regio-  
 nibus, in quibus iidem Confessionibus audiendis operam dare non solent.

§. 48. Dubia omnia in materia peccatorum, seu Forum pœnitentiale alias  
 quomodolibet concernentia, cum consilio Doctorum, & Theologorum suorum,  
 valeat declarare.

§. 49. Commissiones vero Majoris Pœnitentiarum non expirent, etiamsi com-  
 mittens, illis nondum præsentatis, & re integra, desinat quomodocumque Pœ-  
 nitentiarum existere. Idemque intelligi volumus de illis commissionibus, quas  
 majori Pœnitentiarum absente, vel ex aliqua iusta causa impedito, alterius  
 Pro -- Pœnitentiarum ad tempus subrogati nomine expeditas, elapso huiusmodi  
 subrogationis termino, præsentari contigerit.

§. 50. Omnibus denique Christianis fidelibus, qui ex veteri, & laudabili institu-  
 to Pœnitentiarum Majorem, munere suo statutis diebus Hebdomadæ Majoris  
 in tribus Urbis Basilicis solemniter ritu fungentem, pie, reverenterque adierint,  
 seseque pœnitentia virga tangendos submiserint, centum dies de injunctis eis,  
 seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxan-  
 di perpetuam facultatem eidem Majori Pœnitentiarum confirmamus, &, quate-  
 nus opus sit, de novo concedimus.

§. 51. Sede Apostolica vacante, quoniam Animarum saluti, quæ omni tem-  
 pore periclitatur, nunquam non est subveniendum, unde merito Prædecessores  
 Nostri Officium Pœnitentiarum etiam post obitum Pontificis continuare juss-  
 erunt; Volumus, & decernimus, ut Major Pœnitentiarum (cujus facultas di-  
 cto tempore non expirat, sed tantummodo non habet exercitium extra Con-  
 clave), seu ejus Officiales, facere, & expedire valeant quæcumque ad forum  
 Conscientiæ pertinent. Ideo absolvere, seu absolvi mandare in dicto conscientia  
 foro valeant ab iis quoque censuris, a quibus alias vivente Pontifice ad-  
 emptæ etiam Majori Pœnitentiarum, & Pœnitentiarum Officio absolventi facultas  
 reperitur. Hac tamen lege (quemadmodum fel. record. Prædecessor Noster  
 Clemens P. XII., lata constitutione, quæ incipit: *Apostolatus officium*, ad con-  
 sulen-

PONT. fulendum simul animarum Fidelium saluti, & disciplinæ Ecclesiasticæ confer- ANNO  
 A. IV. vationi provide cavit) quod nempe in hujusmodi censuris, ad tempus dum- 1744  
 taxat, & cum reincidentia in eisdem, servatis alias servandis; absolutio con-  
 cedatur; itaut qui fuerint absoluti, ad novum Pontificem intra terminum pro  
 Locorum distantia definiendum, recurrere pro eadem causa teneantur, neque  
 liceat Pœnitentiario Majori, ejusque Officialibus, præfixum terminum post  
 Pontificis electionem ampliare, vel prorogare.

§. 52. Præterea concedimus, ut, si quando aliquod gravius Animæ pericu-  
 lum immineat, cui celeriter occurrendum videatur, re in Signatura diligen-  
 ter examinata, & Majori quoque Pœnitentiario, si in Conclavi degat, pro  
 materiæ gravitate consulto, & approbante, dispensare, aut dispensari manda-  
 re pro eodem foro Conscientiæ, valeant, super illis etiam, super quibus alias  
 vivente Pontifice inhibita sit Majori Pœnitentiario, & Pœnitentiariæ dispen-  
 sandi facultas; ita tamen, ut Oratores, sicuti superius dictum est, ad novum  
 Pontificem post ejus electionem similiter debeant recurrere, aliisque appolitis  
 clausulis pro casus natura necessariis, & opportunitis.

§. 53. Pro foro vero externo, eadem Sede Apostolica vacante, eorum Offi-  
 cium penitus conquiescat, ita ut a quibuscumque Matrimonialibus, & aliis  
 dispensationibus, & absolutionibus, ac declarationibus, nec non quibusvis  
 aliis expeditionibus forum fori mixtum, vel separatim quomodolibet respicien-  
 tibus, omnino oblineant.

§. 54. Attamen concedimus, ut dicta Sede vacante, pro foro externo face-  
 re, & expedire valeant, quæ ad Regularium, & præsertim Apostatarum, &  
 fugitivorum remedium, in superioribus facultatibus concessa sunt. Necnon ut  
 Monialibus Confessarios extra Ordinem valeant deputare, si eos ex aliqua ra-  
 tionabili causa petierint, pro earum libitu inter approbatos ab Ordinario ad  
 audiendas Monialium Confessiones, eligendos.

§. 55. Et demum, ut illos, qui in aliquam Censuram Sedi Apost. reservata-  
 tam, etiam ob violatam Ecclesiasticam Libertatem, vel Immunitatem publice  
 incurrerint, vel incurrisse declarati fuerint, & vere, ac sincere pœnitentes,  
 & novis Pontificis, ad quem post electionem recurrere debebunt, mandatis ob-  
 temperare parati, beneficium absolutionis sibi ulterius non differri enixe de-  
 precentur, absolvere, cum reincidentia, quemadmodum in superioribus dictum  
 est, vel absolvi mandare possint.

§. 56. Decernentes præsentis Literas, etiam ex eo, quod Major Pœniten-  
 tiarius, ac præfatæ Pœnitentiariæ Regens, & Officiales prædicti, ac alii qui-  
 cumque in præmissis quomodolibet interesse habentes, seu habere prætenden-  
 tes, eisdem præmissis non consenserint, aut vocati, seu auditi non fuerint,  
 aliæque quavis de causa, quantumvis legitima, & juridica, de ullo subreptio-  
 nis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel alio  
 quocumque defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in jus, vel con-  
 troversiam revocari nullatenus posse; sed semper, & perpetuo validas, firmas,  
 & efficaces existere, & a Majori Pœnitentiario, Regente, cæterisque Pœni-  
 tentiaria Officialibus prædictis, aliisque, ad quos spectat, & pro tempore spe-  
 ctabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque Judices Ordinarios, &  
 Delegatos, quavis auctoritate fugientes, etiam Causarum Palatii Apostolici  
 Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Aposto-  
 licæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & inter-  
 pretandi facultate, ubique judicari, & definiri debere: irritum quoque, & ina-  
 ne quidquid secus super omnibus, & singulis præmissis, vel circa ea, a quo-  
 quam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 57. Non obstantibus præmissis, & aliis quibuscumque Constitutionibus,  
 & Ordinationibus Apostolicis, & dictæ Pœnitentiariæ, etiam juramento,  
 confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roborati, statuti, & con-  
 suetudini-

PONT. suetudinibus quibuscumque, ac quibusvis vivæ vocis oraculis, privilegiis, in- ANNO  
 A. IV. dultis, & literis Apostolicis, ejusdem Pœnitentiariæ Officio, illiusque Majori 1744  
 Pœnitentiario, ac officialibus, & Ministris, & quibusvis aliis, sub quibuscum-  
 que tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogato-  
 riis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis in genere, vel in  
 specie, etiam motu proprio, & alias quomodolibet per Prædecessores Nostros  
 Romanos Pontifices, ac etiam per Nos ipsos concessis, innovatis, confirmatis,  
 & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti de-  
 rogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, &  
 expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem  
 importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia ex-  
 quisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad  
 verbum nihil penitus omissis, & forma in illis tradita observata, iisdem præ-  
 sentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, ad effectum  
 præsentium, illis alias in suo robore permanentibus, harum serie derogamus,  
 cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 58. Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc nostrarum com-  
 pilationis, concessionum, prohibitionum, decretorum, statutarum, voluntatis,  
 declarationis, confirmationis, derogationis, aliorumque præmissorum infringere,  
 seu ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpse-  
 rit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum  
 ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Domini-  
 cæ millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, idibus Aprilis, Pontifica-  
 tus Nostri anno quarto.

D. Card. Passioneus.

F. Datarius.


Visa de Curia.

J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 27. ejusdem mensis, 5<sup>o</sup> anni.



PONT.

DECRETUM.

ANNO

A. IV. Circa usum Pontificalium Prælati Episcopo inferioribus concessorum a Sac. Rit. 1744  
 Congregatione Ordinaria habita coram SS. D. N. Alexandro Papa VII.  
 emanatam die 27. Septembris 1659.

S Ac. Rit. Congregatio, tollendis, ac eliminandis circa Ecclesiasticos Ritus,  
 qui irrepserunt, abusibus sedulo intenta post Episcoporum Cæremoniale  
 vulgatum (quo quidquid ad ipsos in Sacris cæremoniis pertinet abunde  
 præscriptis) idem quoad inferiores Prælatos, qui Pontificalium usu fruuntur,  
 præstandum curare necessarium existimavit, ut excessus aboleantur, uniformis-  
 que inducatur Sacrorum Ritus in omnibus, eo præsertim tempore, quo pri-  
 vilegia ipsi perperam interpretantes, obtinentesque parum obsequii student.

Decre-

PONT. Decretis pluries ab eadem Sacr. Congregatione hac in re met evulgatis, aut ANNO ipsa ignorare prætexunt. Quamobrem omnia simul, ut uno conspiciantur ob-  
A. IV. tutu, cogere, perque capita dirigere constituit, quo facilius observentur. 1744

I. Super Altari, in quo Sacra erunt facturi septimum nequaquam apponant candelabrum.

II. Cathedram, seu Sedem fixam, & permanentem in eorum Ecclesiis ne detineant, sed tribus ipsis diebus, quibus eo antiquis Decretis tantummodo pontificaliter celebrare est iis permissum mobili Sede, seu Cathedra utantur, qua nihilominus simplici serices panno coloris festivitati congruentis obducere poterunt, non auro contexto, aut phrygiæ, sive basilico opere exornato.

III. Baldachinum adhibere super Sedem poterunt non pretiosum, aut aureum, sed simplex, & eo quod Altari super imponitur materia, & opere inferius. Ad ipsam autem per duos tantum gradus in Presbyterii superficie Stratos ascendatur.

IV. Non Abacum alium præter parvam mensam, & in cornu Epistolæ parare faciant, in qua duo Candelabra cum Candelis, necnon Mitra, Calix, Missale, Thuribulum, Navicula, & reliqua ad Celebrationem necessaria collocentur. Prope vero mensam eandem parieti hærens Baculus Pastoralis aptetur.

V. Dies vero, in quibus solemniter ipsis operari conceditur, sint de præcepto festivi, vel alii, in quibus ipsis pontificaliter celebrare festivitatis ratio exigat, nempe Patroni loci, Fundatoris Ordinis, Tituli, & dedicationis Ecclesiæ: abstineant autem ab huiusmodi Pontificalium usu in Officiis, & Missis Defunctorum quocumque die etiam festivo, & de præcepto.

VI. Ad Ecclesiam accedentes licet Pontificaliter Divina peracturi, iisdemque absolutis ab Altari recessuri a suis Canonicis, vel Monachis (ut mos est Episcoporum) ne associari se sinant.

VII. Præter duos Sacrificii Ministros, Diaconum nempe Evangelii, & Subdiaconum Epistolæ, duo alii tantum Diaconi cum Dalmaticis, & unicus Presbyter cum pluviali eis assistant. Duo insuper Cappellani, qui de Mitra, & Baculo, ac totidem Accholyti pro Candelabris interviant. Præterea sex alii Canonici, vel Monachi, duo scilicet Pluvialibus, duo Planetis, totidemque Tuniceis induti Divinis huiusmodi interesse valeant, qui tamen non in Sedibus, seu Stallis Choralibus, sed in Scamnis absque Postergalibus, panno viridi laneo coopertis, seu congruo accomodatis, moxque illinc removendis confideant.

VIII. Mitram prætiosam, nisi illis expresse a S. Sede indultam non adhibeant, sub mitra pileolum nigri tantum coloris induant, Baculum Pastoralem albo velo appenso deferant ab iisque, & aliis Pontificalibus etiam de ordinariorum licentia extra Ecclesias sibi subiunctas prorsus abstineant, & neque in Processionibus, quæ ab eorum Ecclesiis per vias extra ambitum, vel Parochiam ducuntur, insignibus prædictis utantur, vel penes se perferri faciant.

IX. Regulares Rochettum non deferant, nisi ex tali ordine fuerint, cui indumentum huiusmodi competat.

X. Invitati ad Ecclesiam exemptam, nec in illa Pontificalibus uti valeant, nec ii, qui non fuerint Abbates perpetui, vel benedicti in propriis Ecclesiis uti possunt privilegio perpetuis Abbatibus, vel alias benedictis indulto.

XI. Sacras vestes ex Altari non sumant, nisi Pontificaliter Divinis vacaturi.

XII. Indulgentias impartiri, vel publicare non audeant absque expresso S. Sedis indulto.

XIII. Pontificales benedictiones cum trina Crucis productione in Missis tantum Pontificalibus, necnon Vesperis, & Matutinis Pontificaliter itidem celebratis licere sibi tantum meminerint. Privatim vero Populis quamvis pleno  
Iure

PONT. Jure subjectis, nisi expresse ipsis permillum fuerit etiam Pontificalibus induti ANNO per Ecclesiam incedentes benedicere non præsumant.

A. IV. XIV. Præfente Episcopo sine speciali Sedis Apostolicæ permillum etiam Pon- 1744 tifficaliter celebrantes a benedictionibus cessent.

XV. Si Episcopus aderit, ipsius Sedis in cornu Evangelii, uno saltem gradu eminentior Abbatiali est erigenda; hæcque altero gradu humilior, ut dictum est, in cornu Epistolæ collocetur. A latere Episcopi Canonici Cathedralis, prope Abbatem Canonici, vel Monachi Monasterii, & Abbatialis Ecclesiæ confideant. Confessionem cum celebrante Episcopus faciat, ipsique Thus in Thuribulum imponat, Evangeliorum Textum osculetur, & Populo solemniter (quamvis Abbas ipse Pontificaliter celebret) benedicat; Episcopus præterea trino ductu, & immediate Canonici Cathedralis duplici, moxque Abbas nisi (celebret) pariter duplici, ac subinde Canonici, vel Monachi Abbatialis Ecclesiæ unico tantum ductu thurificentur.

XVI. Abstineant tamen Episcopi, ubi consuetudo contraria non viget, a frequenti hujusmodi accessu ad Ecclesias exemptas in similibus actibus, ut liberius, Abbates valeant suis uti privilegiis.

XVII. In ordinationibus Canonorum, Clericorum, Monachorum, nec non in vestitionibus Monialium, & emissionem professionis earundem etiam pleno sibi Jure subjectorum, in benedictionibus Sacræ Suppellestilis, cæterisque actibus (Missarum, Vesperarum, & Matutinarum solemnibus ter tantum in anno, ut præfertur exceptis) neque in Ecclesiis, Oratoriis, aliisque locis tam publicis, quam privatis, quantumvis exemptis, eisdemque Abbatibus pleno Jure subjectis, Mitram, Baculum, & quævis alia Pontificalia insignia, nisi de expressa Sedis Apostolicæ concessione adhibeant.

XVIII. Ecclesiasticam suppellestem pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum benedicant.

XIX. Reliqua Pontificalia extra loca ipsis Abbatibus subjecta, vel pro servitio alienæ Ecclesiæ, aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum exercere non valeant, puta Campanarum benedictiones, Calicum & similibus, in quibus Sacra adhibetur unctio, necnon minorum ordinum collationes.

XX. Concionatoribus, qui eorum subditis verbum Dei prædicandi onus acceperint, benedictionem elargiri non præsumant, sed Episcopis, quibus jus hujusmodi privative competit, omnino dimittant.

XXI. In Missis privatis quoad indumenta, cæremonias, Ministros, Altaris ornatum, & benedictionis largitionem, a simplici Sacerdote non discrepent, ac proinde Sacras vestes induant in Sacristia, neque utantur Cruce pectorali, unico sine contenti Ministro, aquam cum pelvi, & urceolo argenteis sibi ministrari non sinant, duasque tantum candelas super Altari adhibeant.

His autem Sanctissimo relatis, & in Congregatione Sac. Rit. Ordinaria habita coram Sanctitate Sua per Eminentissimum, & Reverendiss. D. Card. Brancatium accurate perlectis, mature discussis Sanctitas Sua ea approbavit, & per omnimoda eorumdem observationem mandavit Typis imprimi, ad valvas affigi, & publicari, ut elapso termino sex mensium a die publicationis eorumdem omnes, & singulos usus Pontificalium gaudentes, tum Sæculares, tum Regulares quantumvis exemptos, & speciali expressione indigentes afficiant, & ardeant, ac si omnibus, & singulis eadem adhibita, vel personaliter præsentata, intimata, seu notificata fuissent. Indulsetque præterea locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apostolicæ possint, imo debeant præfatos etiam per censuras compellere.

Cumque nonnulli ex dictis Abbatibus, & Prælatibus proprium habere possint Territorium, juraque Episcopalia, nulliusque subdantur Episcopis, qui eos coercere, si excesserint, valeant, eo casu a Sedis Apostolicæ Nunciis, si ad-


PONT. rint, sin minus ab Archiepiscopis, in quorum Provinciis, vel ab Episcopis Ro- ANNO  
 A. IV. mano etiam Pontifici subjectis intra, vel prope quorum Dioeceses limites eo- 1744  
 rum Ecclesiæ vel Monasteria sita fuerint tamquam a S. Sede delegatis ad hu-  
 jusmodi Decretorum observationem prædicti omnino cogantur. Die 27. Septem-  
 bris 1659.

J. Episcopus Sabinen. Card. Sacchetti.

Loco ☩ Sigilli.

Franciscus Maria Thæbeus Sac. Rit. Congr.

Publicat. die III. Februarii ejusdem Anni.



PONT.

N U M. XXXIII.

ANNO

A. IV.

C O N T R A

1744

*Non promotos ad Sacrum Presbyteratus Ordinem Missam celebrantes, aut Sacra-  
 mentales Confessiones excipientes.*

B E N E D I C T U S E P I S C O P U S

S E R V U S S E R V O R U M D E I .

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**S**acerdos in æternum Christus Dominus, dum ipsa nocte, in qua tradebatur, Apostolis, a se ipso delectis consecrandi Corporis sui, ejusdemque offerendi, & ministrandi Potestatem concessit: mox eisdem post resurrectionem suam, insufflato Spiritu Sancto, amplissimam peccata remittendi, ac renitendi contulit facultatem; hoc simul exemplo præceptoque suo contulit & sanxit, ut ea deinceps in universam Ecclesiam potestas atque facultas per legitimam tantummodo Sacerdotum ordinationem transfundi & propagari deberet; unde, evacuato veteri Levitarum ministerio, & Sacerdotio filiorum Aaron, qui exemplari & umbræ deserviebant Cœlestium, omnibus quidem adoptionis suæ filiis ad novum Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech aditus pateret; sed non alii reipsa ad sublimem fungendum honorem assumerentur, quam qui a Deo vocati, atque ab Apostolis, seu ab eorum Successoribus, rite instituti atque ordinati fuissent. Quod si, juxta legem Moysi accedentes Sanctuarium illud manufactum, aut Thuribulum aureum, ab hominibus effictum, manu arripientes, præter eos, qui ex designata Tribu, & Familia originem ducerent, sine ulla miseratione mortui deputabantur; quanto magis putandum est deteriora supplicia mereri eos, qui, profani cum sint, adeo præstantiori novæ Legis ministerio se ingerere, atque oblationem & dispensationem Mysteriorum Dei sibi arrogare præsumperint: quum præsertim ea nulliter & irritè celebrantes, puram ipsam Panis, & Vini substantiam publicis adorationis actibus, atque receptis Latriæ protestationibus impie prosequantur, &, quantum in ipsis est, in idem Idolatriæ crimen fideles Populos, licet ignorantes, inducant. Mendaces vero illi, qui absque legitima auctoritate, in Pœnitentiæ Tribunalibus, tamquam Judices animarum, sedere audent, eamque sibi falso asserere facultatem, emundandi conscientias hominum ab operibus mortuis, quam æterni fœderis Sponsor Dei Filius nemini se, nisi per Ecclesiasticam Ordinationem,

PONT. communicaturum promisit, severioribus profecto pœnis plestendi sunt, cum ANNO  
 Sacramentum reconciliationis humanæ conculcent, & sanguinem Testamenti,  
 A. IV. a quo virtus illius omnis promanat, pollutum ducant, confitentibus vero fide- 1744  
 liter peccata sua impiam in re gravissima fraudem faciant.

Et quidem gravissima hujusmodi scelera execrantes Romani Pontifices Præ-  
 decessores Nostri Paulus IV. & Sixtus V. decreverunt, ut qui ad Presbyteratus  
 Ordinem non promoti, Missarum celebrationem usurpare, & Sacramentum  
 Pœnitentiæ ministrare præsumperint, a Judicibus Sanctæ Inquisitionis tradi  
 deberent Curia Sæculari, debita animadversione puniendi. Eorumque vestigiis  
 per omnia inhærens fel. record. Clemens Papa VIII. etiam Prædecessor noster,  
 ne circa pœnam hujusmodi delinquentibus irrogandam ullus dubitationi locus  
 superesset, in suis literis incipientibus: *Et si alias*, datis in forma Brevis apud  
 S. Petrum sub die prima Decembris anni millesimi sexcentissimi primi distin-  
 ctius constituit, ut omnes & singuli, qui, ad Sacerdotium, ut supra, non  
 promoti, reperti fuerint Missarum celebrationem usurpasse, vel Sacramentalem  
 confessionem audisse, a prædictis Judicibus Sacræ Inquisitionis, vel locorum Or-  
 dinariis, tamquam Ecclesiæ misericordia indigni, a Foro Ecclesiastico abjiciantur,  
 & ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerint, rite degradati, statim  
 Curia Sæculari tradantur, per Judices Sæculares debitis pœnis plestendi. Et  
 successive recol. paritar mem. Prædecessor Noster Urbanus Papa VIII. per si-  
 miles literas datas die vigesimatertia Martii anno millesimo sexcentesimo vige-  
 simo octavo, quarum initium est: *Apostolatus Officium*, supradictas decessorum  
 dispositiones ita confirmavit & ampliavit, ut quicumque se prætatis sceleribus  
 obstrinxerint, mandaverit eos privilegio ætatis minoris annis vigintiquinque  
 nullatenus excusari, dummodo vigesimum annum expleverint, quominus ad  
 normam dictæ Constitutionis Clementinæ, statim Curia Sæculari, condignis  
 pœnis affiendi, tradantur. Quas quidem omnes, & singulas Constitutiones,  
 atque Ordinationes, Apostolica Nostra Auctoritate approbamus & confirmamus,  
 & quatenus opus sit, innovamus, atque in posterum ab omnibus, ad quos spe-  
 ctat, inviolabiliter observari præcipimus, earum omnium tenores, ac si præ-  
 sentibus de verbo ad verbum insertæ forent, pro plehe & sufficienter expressis  
 habentes.

Quia vero propria nonnunquam experientia cognovimus, dumadhuc in mi-  
 noribus existentes in Romana, atque Universali inquisitione Consultoris mune-  
 re fungebamur, ab hujusmodi criminum Reis, seu ab eorum Defensoribus,  
 complures alias exceptiones proponi, quarum prætextu, pœnarum ut supra  
 julle indictarum condonationem, aut saltem minorationem obtinere contendunt;  
 & signanter contra probationes a Fisco adstructas opponi solere, quod aut Te-  
 stes cumulaverit in sua quemlibet depositione singulares, dum exempli gratia,  
 unus ex ipsis Reum viderit Sacris se Sacerdotalibus Vestibus induentem, alter  
 eundem ad Altare progredientem, alius vero unam, alius aliam Missæ partem  
 recitantem audierit, aut etiam quod ab eodem Fisco non satis exclusâ fuerit  
 promotio Rei ad Ordinem Presbyteratus, juxta prætensum onus, quod ipsi Fi-  
 sco incumbere contendunt: Ad elevandam vero delicti gravitatem illud aliquan-  
 do audivimus allegari, quod Reus integram Missam non celebraverit, sed an-  
 tequam illam expleret, ab Altari discesserit; vel quod, si unam Missam inte-  
 gre celebrasse convictus fuerit, id, juxta assertum sensum prædictarum Consti-  
 tutionum, nequaquam sufficiat ad incurendas pœnas in eisdem propositas; vel  
 denique etiamsi plures hujusmodi sacrilegas Missas celebraverit, minime probari  
 posse formam Consecrationis ab eo prolata fuisse.

Idcirco Nos, frivola hujusmodi Reorum effugia de medio tollere volentes,  
 se mature a Nobis ipsis & accurate perpensa, atque etiam audito consilio Ven.  
 Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adver-  
 sus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum a S. Sede specialiter depu-  
 tatorum

**PONT.** tatorum, motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, statuimus **ANNO**  
**A. IV.** primo & declaramus, quod licet delictum celebrationis Missæ non satis plene  
 probatum dici possit ad effectum deveniendi ad realem delinquentis traditionem **1744**  
 brachio Sæculari, quando Testes inducti in suis quisque depositionibus singu-  
 lares dignoscuntur; nihilominus indicia per hujusmodi dispositiones acquisita  
 satis revelantia judicari debeant, ut Reus tormentis subjiciatur, ad eliciendam  
 veritatem.

Ad dignoscendum autem, utrum Reus in Ordine Presbyteratus revera con-  
 stitutus fuerit, necne; laudabilem quidem commendamus praxim Tribunalis S.  
 Inquisitionis, qua consuevit in hujusmodi casibus exquirere per literas ab Epi-  
 scopo illius loci, unde Reus originem ducit, vel in quo domicilium habet,  
 an ipse eundem Reum promoverit, sive ad alium Episcopum literas Dimissoria-  
 les pro ejusdem ordinatione direxerit, ut hic deinde requiratur, an ad ea-  
 rum executionem devenit. Verum ubi, hoc peracto, ex hujusmodi extraju-  
 dicialibus Episcoporum literis constet minime Reum fuisse promotum, id satis  
 superque esse volumus, ut Fisci intentio probata dicatur; Declarantes non ali-  
 ter Fisco incumbere onus probandi non promotionem Rei ad Ordinem Presby-  
 teratus, sed ad ipsum potius Reum pertinere, quatenus contrarium prætentat,  
 suam promotionem ad prædictum Ordinem concludenter ostendere.

Sub dispositione vero præsentis Nostræ, necnon præmissarum omnium Con-  
 stitutionum comprehendere decernimus omnes & singulos, qui, absque Sacerdo-  
 tali gradu, & ordine, non modo unam Missam celebrare ausi sint, sed etiam  
 unius Missæ partem celebrasse judicialiter fateantur, seu legitime convicti fue-  
 rint, dummodo elevationem Hostiæ, vel Calicis, seu utriusque, in Altari pe-  
 regerint, quamvis de prolatione formæ consecrationis non constet, cum ex  
 hujusmodi verborum prolatione tremendi quidem Sacrificii contemptus, & de-  
 linquentis audacia, & crimen augeatur, sed ex eorum reticentia nequaquam  
 imminuatur peccatum idolatriæ, quod per actus adorationis a Celebrante non  
 promotus erga puram Panis, & Vini substantiam exhibitos, admittitur, & in  
 quod populus etiam fidelis, materialiter saltem, inducitur. Quod si, non pe-  
 racta Elevatione, Reum ab Altari discessisse probetur, tunc solum concedimus,  
 ut contra ipsum ad mitiorem pœnam deveniatur, arbitrio & prudentia Judi-  
 cis Ecclesiastici præfinitam.

Omnes denique exceptiones supra expressas, quæ ab hujusmodi Reis eorum-  
 que Defensoribus, in ipsorum excusationem prætendi solent, seu conjunctim  
 consideretur, nullatenus attendi, seu eisdem Reis suffragari debere statuimus,  
 quominus ad realem eorum traditionem brachio Sæculari, vel, si de Clericis  
 in aliquo Ecclesiastico Ordine constitutis agatur, ad eorum degradationem &  
 traditionem pariter brachio Sæculari, etiam pro prima vice, procedatur, ad  
 hoc ut condignis tantæ impietatis pœnis a jure, seu alias statutis, & commi-  
 natis, cum effectu puniantur, & afficiantur.

Easdemque declarationes, & ordinationes a Nobis contra Celebrantes non  
 Promotos hucusque statutas, ad eos etiam extendimus, & pertinere decerni-  
 mus, qui, cum Sacerdotes non sint, Confessiones Sacramentales audire, &  
 absolutionem pœnitentibus impertiri præsumant; quos pariter ejusdem pœnis  
 traditionis brachio Sæculari, seu respective degradationis & traditionis pariter  
 brachio Sæculari, etiam pro prima vice, subici debere præcipimus; non obstantibus  
 præmissis exceptionibus, si quas ab hujusmodi Reis ad proprium casum aptabiles,  
 in sui defensionem seu excusationem adduci contingat; Sed unam dumtaxat  
 exceptionem, ad effectum mitigandæ pœnæ attendi debere mandamus, ubi ni-  
 mirum concludenter probetur, Absolutionem a Reo minime prolatam fuisse;  
 tunc enim concedimus, ut Judex Ecclesiasticus mitiorem pœnam, pro suo ar-  
 bitrio, & prudentia, delinquenti valeat irrogare.

Decer.



PONT. Decernentes præsentis Nostras literas, & in eis contenta quæcumque; etiam ANNO  
 ex eo, quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquos, jus, vel interesse ha-  
 bentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujuscvis status, gradus, ordi- 1744  
 nis, præminentia, vel dignitatis existant, sive alias specifica, & individua  
 mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, &  
 auditi, neque causæ propter quas eadem præsentis emanaverint, adductæ,  
 verificatæ vel sufficienter, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia qua-  
 libet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata Causa, colore, prætextu,  
 & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subre-  
 ptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut in-  
 teresse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac  
 formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in  
 controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiti-  
 onis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti vel  
 gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, & de Apo-  
 stolicæ potestatis plenitudine simili concessio, vel emanato quempiam in judi-  
 cio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentis  
 semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, &  
 integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tem-  
 pore quodcumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari.

Sicque & non aliter in præmissis censi, atque ita per quoscumque Judi-  
 ces ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac  
 contra hæreticam pravitatem generales Inquisitores, & alios ejusdem S. R. E.  
 Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuncios,  
 aliove quoslibet quacumque præminentia, ac potestate fungentes, & functu-  
 ros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi faculta-  
 te, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quo-  
 quam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Re-  
 gula *de jure quaesito non tollendo*, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Pro-  
 vincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitu-  
 tionibus, & Ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione  
 Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam  
 immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis etiam in  
 corpore juris clausis, aut Literis Apostolicis quibusvis Personis, Collegiis,  
 Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, & In-  
 stitutis, etiam Societatis Jesu, & S. Joannis Hierosolymitani, aliisque qui-  
 buslibet specifica & individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque ver-  
 borum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam clausulis & decretis, etiam  
 irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, & de Apostolicæ  
 potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium  
 præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Qui-  
 bus omnibus & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis,  
 eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua mentio, seu quæ-  
 vis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, &  
 occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & exactissimo serva-  
 tis & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permanens,  
 hac vice dumtaxat, ad præmissorum effectum plenissime & amplissime motu  
 pari derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus insuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eadem præ-  
 sentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducan-  
 tur, nec quicquam de eis ignorantiam prætere valedat, ipsas præsentis, seu  
 earum transumpta ad valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Prin-  
 cipis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiaque Gene-  
 ralis

PONT. ralis Innocentianæ in Monte Citatorio , & in Acie Campi Flore per aliquem ANNO.  
 ex Curforibus Noſtris , ut moris eſt publicari , & affigi : ſicque publicatas ,  
 A. IV. & affixas omnes & ſingulos , quos concernunt , ſeu concernent in ſuturum 1744.  
 perinde aſſicere , & arctare , ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ ,  
 & notificatæ fuiſſent .

Utque earundem præſentium tranſumptis , ſeu exemplis etiam impreſſis ,  
 manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis , ac ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica  
 dignitate conſtitutæ munitis , eadem prorsus fides tam in judicio quam extra  
 illud ubique locorum habeatur , quæ ipsis præſentibus haberetur ſi forent exhi-  
 bitæ , vel oſtenſæ .

Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc noſtrarum confirmatio-  
 nis , Approbationis , Innovationis , Voluntatis , Mandati , Statuti , Decreti ,  
 Declarationis , Ampliationis , & Extensionis infringere , vel ei auſu temerario  
 contrahere . Si quis autem hoc attentare præſumpſerit , indignationem Omni-  
 potentis Dei , & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit in-  
 curſurum .

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorom Anno Incarnationis Domi-  
 nicæ milleſimo ſeptingentefimo quadrageſimo quarto , duodecimo Kalendas  
 Maji , Pontificatus Noſtri Anno quarto .

D. Cardinalis Paſſioneus .

J. Datarius .

V I S A D E C U R I A :

J. C. Boſchi .

J. B. Eugenius .

*Regiſtrata in Secretaria Brevium .*

*Publicati die VII. Maji ejuſdem Anni .*

PONT.

N U M. XXXIV.

ANNO

A. IV.

D E C L A R A N T U R .

1744.

*Quæſiones circa Jejunii leges a Summo Pontifice inſtauratas propoſitæ .*

*Venerabili Fratri Archiepiſcopo Compoſelæ .*

B E N E D I C T U S P P. XIV.

*Venerabilis Frater , Salutem & Apoſtolicam Benedictionem .*

**S**I Fraternitas tua ſecum reputabit quot graviffimis , & maximis curis pro-  
 pmodum obruamur quantumcumque hoc præſertim difficillimo tempore ,  
 prorsus Nos teneat impoſita tenuitati noſtræ ſollicitudo omnium Eccleſiarum ,  
 non ſane mirabitur tamdiu ſibi procrastinatum fuiſſe reſponſum ad eas literas ,  
 quibus Apoſtolica auctoritate diſſolvenda rogati obortas in Hiſpania diſputatio-  
 nes aliquas , e duabus noſtris Epiftolis ad omnes Epifcopos ſuperioris anni  
 MDCCXXI. xxx. Maji , & xxii. Auguſti , quibus infra legitimos fines coer-  
 cuimus invaliſcentem Eccleſiaſtici jejunii relaxationem . Potius tibi in mentem  
 veniet

PONT. veniet cogitare de singulari nostro in religiosissimam Hispanam Ecclesiam amore, unde nos immensa licet rerum mole fatigatos ad expediendum sibi in omni ANNO  
A. IV. ni sua perplexitate salutis iter opem nostram præsto habet. 1744

§. I. Quamquam igitur, dum prænuntiatas Constitutiones edidimus, non aliud propositum Nobis fuerit, ac refrænare paucorum nimis ingenio fidentium Theologorum licentiam, qui opinionum novitate gaudent, nec otium, nec animus Nobis fuerit definire quicquid subtili indagazione deduci possit ex proposita a Nobis jejunandi regula, tamen eximie paterna charitate complectimur adeo observantissimos Romanæ Sedis Hispanos, tantique facimus obsecrationes tuas, ut occurrere anxietati vestræ libenter adiecerimus animum, & Nos ipsi quæstiones abs te propositas dirimendas constituerimus. Sic autem se habent.

I. *Utrum, quæ in antedictis nostris literis in forma Brevis de unica comestione, & de Epulis non permiscendis, præscribuntur, sub gravi etiam præcepto prohibeantur?*

Respondemus: Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aiter dare, quam geminis hæc adjectis conditionibus, videlicet unicæ in diem comestionis, & non permiscendarum epularum. Eos vero, qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.

II. *An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula, ea quantitate carnis vesci, quæ jejunantibus permittitur?*

Respondemus, non licere; sed opus habere eo cibo, eaque uti potione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticulosæ conscientiæ.

III. *An qui Jejunii tempore vesci carnibus permittuntur, & unica comestione uti debent, horam jejunantibus præscriptam servare opus habeant?*

Edicimus observandam iis esse.

IV. *Quenam sint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictis conjungi?*

Respondemus: Epulas licitas pro iis, quibus permixtum est carnes comedere, esse carnes ipsas; Epulas interdicitas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicitur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova & lacticia.

V. *An præceptum de utroque epularum genere non miscendo dies quoque Dominicos Quadragesimales complectatur?*

Afirmantur complecti.

VI. *Utrum hæc lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatæ edere possunt ova, & lacticia?*

Rescribimus: nihil in prænunciatis nostris Apostolicis literis statutum esse, quod respiciat gratiosum cruciatæ Diploma. Quare, qui eo gaudent, illius tenorem stricte, & considerate perpendant, ex ejusque scientia se gerant. Caveant autem ne inani quapiam excusatione se se solutos esse arbitrentur præscriptis ibi legibus.

VII. *Utrum memorata duo præcepta urgeant extra Quadragesimam?*

Respondetur: urgere extra Quadragesimam utrumque præceptum; illud scilicet unicæ comestionis, cum reliquis legibus in secundo, & tertio ad hæc postulata responsio expressis, & alterum non permiscendi Epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est.

§. 2. Habes Venerabilis frater penitus explicatum quicquid apud vos ex nostris sæpius nuncupatis Apostolicis literis dubitationem attulisse scribis. Quæ quidem in re laudavimus consilium tuum interrogandæ supremæ Romanæ Sedis, ut libero, ac non vacillanti gressu ad oves sana doctrina imbuendas incedere Pastores queant, in istoque tuo suscepto consilio agnovimus Hispanam religionem: nihil sibi tutum, nisi e Divi Petri Cathedra acceptum, reputantem; qua splendidissima gloria tantum nomen, & incorruptæ Eidei fructum Hispania sibi peperit.

PONT. 5. 3. Cavendum autem vobis est (idque plurimum ad te pertinet, qui illu- ANNO  
 stris Archiepiscopi, & Inquisitoris geris præcipuum munus) ne in expendendo  
 A. IV. dis Apostolicæ Sedis Constitutionibus pro nimia exhauriendi argumenti sollicitu- 1744  
 tudine, nullus fiat differendi ambigendique modus. Sedula deinde opera confe-  
 renda, ut istiusmodi dubia, quæ facile, pro ingeniorum varietate, disputan-  
 do emergunt, penitus inter vos dirimantur, ne diuturna unquam disceptatio-  
 ne fluctuent animi; præsertim cum Constitutiones ipsæ Apostolicæ scopum,  
 quo tendunt, aperte demonstrant, & illuc prompte dirigi potest quicquid du-  
 bitando interturbare videatur. Id si animadvertissent qui de præsentis negotio  
 plura dubitarunt, nodum sibi exsolvisset; patebat enim nihil aliud Nobis in  
 animo fuisse, quam cohibere vivida nonnullorum Theologorum ingenia, qui  
 nimium sacri jejunii fines prætergressi, & non parum oblitum illud ad retinen-  
 dum in Officio corpus divinitus institutum, hosti huic spiritus infensissimo  
 blandiebantur. Statim siquidem comperissent, quid in propositis quæstionibus  
 constituendum esset; nec tibi molestiam exhibuissent, nec Nobis, quos gravis-  
 sime undique circumstant curæ, non parum temporis occupasset: quod tamen  
 pro singulari nostro in vestram gentem studio, atque amore, libenter impen-  
 dimus ad rectum vobis inter monstrandum, in posterum simul præcavantes,  
 quomodo in hujusmodi quæstionibus firmare gressus vestros in promptu sit.

5. 4. Reliquum est Venerabilis Frater, ut tibi, quod facimus ex animo,  
 præcipue benevolentia nostræ pignus, Apostolicam Benedictionem peramanter  
 impertiamur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Anullo Piscatoris die VIII.  
 Julii MDCCXLIV. Pontificatus Nostri Anno quarto.

F. Vincentius Lucchesinus.

PONT.

N U M. XXXV.

ANNO

A. IV.

D E I N D U L T I S

1744

*Apostolicis eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum pro absolutione a crimi-  
 nibus, aut Censuris reservatis &c.*

B E N E D I C T U S E P I S C O P U S

S E R V U S S E R V O R U M D E I .

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**A**postolica Indulta, quamvis prudenti Romanorum Pontificum dispensatio-  
 ne concessa, ad Christiani Populi profectum, & promovendam anima-  
 rum salutem plurimum conferre non dubitemus; si tamen eorum inter-  
 pretatio ingeniorum liberius opinantium licentiæ permittatur; unde in sensus  
 a mente & voluntate concedentium alienos detorqueantur; eadem in Ecclesia  
 disciplinæ detrimentum, & ipsorum Fidelium periculum atque perniciem,  
 perverso hominum abusu, traduci posse veremur. Quapropter, pro ea, quam  
 Dei nutu suscepimus, sanctissimarum Ecclesiæ Legum custodia, & flagranti,  
 quo tenemur, studio, de universo CHRISTI grege ad æternæ beatitudinis me-  
 tam securius dirigendo, non solum recte constituta a Patribus agendi regulas  
 in dies magis magisque constabilire satagimus; nullam præmittentes occasione  
 intemperatæ disciplinæ observantiam Catholicis omnibus præscribendi & commende-  
 dandi; verum etiam Indultorum ab hac eadem Apostolica Sede benigne con-  
 cessorum

Powr. cessorum certos indicare limites, & suam ipsorum formam usumque præsinire, ANNO  
 juxta nostram & Prædecessorum nostrorum, quorum auctoritate prodierunt,  
 A. IV. mentem & voluntatem, opportunum in Domino judicamus.

Sane hæc providentiam, si quod aliud Indultum, illud in primis postulare  
 videtur, quo Sedes Apostolica vel cunctis Christianis, per universalis Ju-  
 bilæi literas, vel nonnullarum Regionum Incolis, per Bullam, ut appellant  
*Cruciata*, vel certis Universitatibus, aut Sodalium, seu Confratrum cœtibus,  
 per specialia privilegia, elargiri quandoque consuevit facultatem eligendi sibi  
 unum quempiam Confessarium ex approbatis ab Ordinario ad Confessiones au-  
 diendas, qui eos a culpis, criminibus, & censuris, alioquin reservatis, absol-  
 vere valeat: Etenim eo periculosius in usu Indultorum hujus generis erratur,  
 quo gravius in iisdem agitur negotium, Sacramenti nimirum Pœnitentiæ, la-  
 ptis post Baptismum ad salutem prorsus necessarii, valida, ac legitima admi-  
 nistratio, ejusdemque respective susceptio.

Et quidem fel. record. Prædecessor Noster Innocentius Papa XII. ex delatis  
 ad se nonnullorum Episcoporum Regni Portugalæ tunc temporis existentium,  
 & aliorum timoræ conscientia Virorum, querelis, intelligens opinionem  
 quamdam revixisse, cæteroquin per Apostolicas Pauli V., Urbani VIII., &  
 Clementis X. Romanorum Pontificum Prædecessorum suorum Constitutiones,  
 necnon per plura Congregationum S. R. E. Cardinalium, tam Concilii Tridenti-  
 ni Interpretum, quam negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Re-  
 gularium præpositorum, Decreta, dudum damnatam, ac reprobam; qua  
 opinione freti plerique illarum partium Fideles, Privilegia, & Indulta circa  
 prædictam Confessarii electionem a Sancta Sede concessa & elargita, in Lite-  
 ris Apostolicis pro *Cruciata* Sancta emanatis, quas Bullam *Cruciata* vocant,  
 ita intelligenda esse existimabant, ut facultas in Bulla hujusmodi Christianis  
 attributa, confitendi peccata sua cuilibet Confessario per quemcumque Or-  
 dinarium ad Confessiones audiendas approbato, & recipiendi ab eo absolutio-  
 nem, ut præfertur, a quibusvis peccatis atque censuris in prædicta Bulla non  
 exceptis, locum haberet & habere censeretur, etiamsi Ordinarius præfatus  
 non esset Ordinarius illius loci, in quo Confessiones prædictas excipi contin-  
 gerit; Hujusmodi opinionem, in Congregationibus S. R. E. Cardinalium, tam  
 eorum, qui tunc temporis Episcoporum, & Regularium consultationibus præ-  
 positi erant, quam aliorum adversus hæreticam pravitatem Generalium Inqui-  
 sitorum a Sede Apostolica specialiter deputatorum, de ipsius mandato ex inte-  
 gro examinatum, iterum censuit proscribendam atque damnandam; sicut re-  
 ipsa proscripsit & damnavit per Apostolicas in forma Brevis literas incipien-  
 Cum sicut, die decimanona Aprilis anni millesimi septingentesimi, Pontifica-  
 tus sui anno nono editas, decernens & declarans prædictam Bullam *Cruciata*,  
 quoad approbationem Confessariorum, nihil novi juris induxisse, nullumque  
 privilegium continere contra formam Concilii Tridentini, & prædictarum  
 Constitutionum Apostolicarum; adeo ut Confessarii tam Sæculares, quam Re-  
 gulares, quicumque illi sint, in vim dictæ Bullæ *Cruciata* a Pœnitentibus ad  
 audiendas Sacramentales eorum Confessiones electi nullatenus Confessiones hu-  
 jusmodi audire valeant sine approbatione Ordinarii, & Episcopi Diœcesani lo-  
 ci, in quo ipsi Pœnitentes degunt, & Confessarios eligunt, vel ad excipien-  
 das Confessiones requirunt; nec ad hoc suffragari approbationem semel, vel  
 pluries ab Ordinariis aliorum Locorum, & Diœcesum obtentam, etiamsi Pœ-  
 nitentes illorum Ordinariorum, qui Confessarios electos approbassent, subditi  
 forent: Subindeque statuit Confessiones aliter in posterum factas & respective  
 auditas, nullas, irritas, & invalidas fore; & Sacerdotibus, qui illas audire  
 præsumperint, suspensionis pœnam ipso facto incurrendam indixit: Opinio-  
 nem autem quamcumque contrariam, tamquam falsam, temerariam, scanda-  
 losam, & in praxi perniciosam, damnavit, & reprobavit; eamque potissi-  
 mum,

PONT. mum , de qua supra diximus , ullo modo doceri , sustineri , aut ad praxim ANNO  
 praxim deduci , prohibuit ; sub pœna excommunicationis per contrafacientes  
 A. IV. ipso facto incurrendæ ; prout latius in supradictis literis continetur . 1744

Has Literas Innocentii Prædecessoris prædictis post aliquot annos sua quoque auctoritate approbavit , confirmavit , & innovavit recol. pariter mem. Innocentius Papa XIII. die decima tertia Maji anni millesimi septingentesimi vigesimi tertii , Pontificatus sui Anno secundo , editis similibus in forma Brevis Literis incipien. *Apostolici Ministerii* , quibus plura complexus est ad Ecclesiasticam disciplinam in Hispaniarum Regnis servandam pertinentia , ac inter alia declaravit , Sacerdotes tam Sæculares , quam Regulares , qui ab Episcopis obtinuerint licentiam audiendi Confessiones , limitatam vel quoad locum , vel quoad tempus , vel quoad genus personarum , non posse Sacramentum Pœnitentiæ administrare extra tempus , vel locum , vel genus personarum ab ipsis Episcopis præscriptum ; quocumque Privilegio , etiam in vi Bullæ , quæ appellatur cruciatæ Sanctæ , competente , nullatenus suffragante : Nec non Sacerdotibus prædictis tam Sæcularibus , quam Regularibus , ad Confessiones excipiendas , vel ex vi prædictæ Bullæ Cruciatæ , vel ex quocumque alio privilegio electis , minime suffragari , quod approbati alias fuerint ab Episcopo , qui aliquando loci , in quo Confessiones audiendæ sunt , Ordinarius fuerit , sed talis non amplius existat , vel quia ad humanis excesserit , aut Episcopatu renuntiaverit , vel quia ad aliam Ecclesiam Auctoritate Apostolica translatus reperitur ; sed necessariam omnino esse illius , qui actualiter , & pro tempore ordinariam Jurisdictionem in Diœcesi exerceat , approbationem ; hanc tamen sufficere etiam tacitam , eamque tamdiu durare , quamdiu præcedens licentia sive approbatio expresse revocata non fuerit ; in quo casu nova de integro approbatio , tempore præfinito elapso , expiraverit .

Cumque san. mem. Benedictus Papa XIII. præfatas Innocentii XIII. Literas , suis aliis Apostolicis Literis incipien. *In supremo Militantis Ecclesiæ Solio* , die vigesima tertia Septembris anni millesimi septingentesimi vigesimi quarti , Pontificatus sui anno primo datis , earum tenore de verbo ad verbum inserto , pari Auctoritate Apostolica in omnibus , & per omnia perpetuo approbasset , confirmasset , atque innovasset ; ipsius quoque Auctoritate corroborata , innovataque noscuntur , quæ de facultate eligendi Confessarium tam ab Innocentio XII. quam a XIII. decreta , declarataque fuisse comemmoravimus .

Quia vero iidem Prædecessores Nostri Innocentius XII. , & XIII. in suis respectivis Literis , Indultum per Bulla Cruciatæ concessum tantummodo nominatim expresserunt , & ab Innocentio XIII. alterius cujuscumque generis privilegia generatim dumtaxat sunt indicata : Idecirco Nos animo prospicientes , quod nisi clarius , atque distinctius declaratum fuerit , quænam Privilegia seu Indulta sub præfatas regulas cadant , & cadere debeant , idem fortasse reprobatarum , ut supra , opinionum offendiculum , ut olim in prædictæ Bullæ Cruciatæ , sic etiam in aliorum ejusdem generis Indultorum interpretatione & usu , subesse facile posset ; Et vigili cura animum in id intendentes , ne inimicus homo hujusmodi zizania in agro Dominico ullatenus valeat superfeminare , atque ut Fidelium conscientiæ securius dirigantur , non modo relata superius Prædecessorum nostrorum Decreta Auctoritate quoque Nostra approbamus , confirmamus , & innovamus , verum etiam eadem auctoritate , & simili motu , scientia , & potestatis plenitudine statuimus & declaramus , quod idem omnino jus , quod vigore Decretorum hujusmodi , circa intelligentiam & usum Indulti Bullæ Cruciatæ obtinet , etiam quoad reliqua ejusdem generis Indulta pariter valere debeat , & obtinere ; Volumus etiam reprobatationem dictarum opinionum , quatenus respiciunt intelligentiam , & usum Indulti prædicti Bullæ Cruciatæ , a præfatis Prædecessoribus proscriptarum , locum similiter habere , quate-

PONT. quatenus easdem opiniones, & sententias in medium proferri contingeret cir- ANNO  
ca similia etiam Indulta, sive universis per Ecclesiam Christifidelibus, sive alicui  
A. IV. cui Regioni, aut Loco, Universitati, aut Cœtui particulari Sodalium, seu 1744  
Confratrum, quancumque & ubicumque concessa, vel concedenda.

Insuper decernimus & declaramus, id, quod generaliter de Indultis præmissis sentiendum esse jam diximus, generaliter quoque intelligendum esse de omnibus & singulis personis, quæ sub eorundem Indultorum concessione comprehensæ reperiuntur, vel quas in posterum comprehendi contingat; qua supradictis Indultis uti voluerint: Ita videlicet, ut si in aliquo Indulto tam Sæcularibus, quam regularibus tribuatur facultas eligendi Confessarium ab Ordinario Loci approbatum; tunc Confessarius vigore talis concessionis, sive a Sæculari, sive a Regulari Pœnitente ad audiendas eorum respectivè Confessiones electus, nullatenus hujusmodi Confessiones audire valeat, nisi ab Episcopo Diœcesano, & Ordinario Loci, ubi Confessio excipienda est, ad Confessiones approbatus & deputatus existat, quacumque alia approbatione, tam illius generis, quam uterque Innocentius Prædecessores prædicti declararunt non suffragari, quam ea, si de Regularibus agatur, quæ a solo proprio Regulari Prælato obtenta foret, minime suffragante. Æquam est enim & rationi contentaneum, ut quicumque speciali Indulti beneficio gaudere, eoque uti voluerit, is conditiones in eodem Indulto præscriptas omnino servet; neque licitum est cuiquam, conditionem illam approbationis Confessarii per loci Ordinarium faciendæ, alio modo intelligere, quam eo, quo ipsam intelligendam esse toties Prædecessores Nostri Romani Pontifices, ut præmissum est, decreverunt. Quorum Nos quoque vestigiis inhærentes, præfatam conditionem in eodem plane sensu, quem illi tradiderunt, ab omnibus & singulis hujusmodi Indulto sub ea conditione concessio utentibus, accipiendam & servandam esse statuimus, atque mandamus, quicumque illi fuerint, qui in vi ejusmodi Indulti Confessarium sibi eligent, sive Sæculares, sive Regulares cujuslibet Ordinis, & Instituti, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, & Ordinum Militarium, etiam Militiæ Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, necnon Societatis Jesu, atque alterius cujusvis Congregationis, vel Societatis, tametsi de illis aut illorum, vel illarum aliquo, seu aliqua, specialis, & expressa mentio quomodocumque faciendæ foret. Ideoque Confessiones & absolutiones in præmissis casibus aliter in posterum factas & respectivè auditas, seu impertitas, irritas fore & invalidas declaramus, & contrariam quamcumque opinionem, ejusquæ praxim, deinceps prohibemus, ac reprobamus, tamquam explanatæ toties ab Apostolica Sede verborum intelligentiæ, ac menti nostræ, quam ad omnem hac super re ambiguitatem tollendam per præsentem clarius exposuimus, penitus adversantem.

Postremo illud monendum existimamus, nihil hic a Nobis statui, aut pronuntiari super eo, an scilicet in uno aut altero Indulto unum aut alterum personarum genus comprehendi, & quænam Indulta specialiter Regularibus suffragari, vel non suffragari, censendum sit; hoc enim ex uniuscujusque Indulti tenore, ac verbis colligendum relinquimus; firmis tamen manentibus, & perpetuo mansuris quod ad Bullam Cruciatæ pertinet, plurium Prædecessorum Nostrorum declarationibus, eandem scilicet Bullam, quantum ad articulum eligendi Confessarium, sequæ a casibus reservatis absolvi faciendi, nequaquam Regularibus suffragari; Quod Nos etiam perpetuo tenendum atque sentiendum, eorundem Prædecessorum Nostrorum exemplo, similiter declaramus, & contrariam quamcumque opinionem, uti fallam, & perniciosam, interdicimus, & reprobamus.

Decernentes præsentem nostras Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo, jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, or-

PONT. dinis, præminentia, vel dignitatis existant, sive alia specifica, individua ANNO  
 A. IV. mentione & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati &  
 auditi, neque causæ propter quas eadem præsentem emanaverint, adductæ, 1744  
 verificatæ, vel sufficienter, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia qua-  
 libet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, &  
 capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptione,  
 vel obreptione, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse  
 habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, ac for-  
 mali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in con-  
 troversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperi-  
 tionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gra-  
 tiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, & de Aposto-  
 licæ potestatis plenitudine simili concessio, vel emanato quempiam in iudicio,  
 vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentem semper  
 firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & in-  
 tegralis effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tem-  
 pore quodcumque spectabit, inviolabiliter & inconcusse observari.

Sicque & non aliter in præmissis censerem, atque ita per quoscumque Judi-  
 ces Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, &  
 Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ  
 Sedis prædictæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præminentia ac pote-  
 state fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicari &  
 interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere: ac irritum & inane, si  
 secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter conti-  
 gerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Re-  
 gula, de Jure quæsitum non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus,  
 Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specia-  
 libus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento,  
 confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & con-  
 fuerudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, exemptionibus, &  
 Indultis, etiam in corpore Juris clausis, aut Literis Apostolicis quibusvis Per-  
 sonis, Collegiis, Locis, Ordinibus etiam Militaribus, Congregationibus, So-  
 cietatibus, & Institutis, etiam Societatis Jesu, & S. Joannis Hierosolymita-  
 ni, aliisque quibuslibet specifica, & individua mentione dignis, etiam sub qui-  
 buscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam clausulis,  
 & Decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili,  
 & de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomo-  
 dolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, appro-  
 batis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum suffi-  
 cienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & in-  
 dividua mentio, seu quævis alia expressio ad id servanda foret, illorum teno-  
 res, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plene & sufficienter ex-  
 pressis, & exactissime servatis & specificatis respective habentes, illis alias in  
 suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad præmissorum effectum plenif-  
 sime & amplissime motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, cæte-  
 risque contrariis quibuscumque.

Volumus insuper & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eadem præsen-  
 tes; & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur,  
 nec quisquam de eis ignorantiam prætereundum valeat, ipsas præsentem, seu earum  
 a. r. transumpta, ad valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Prin-  
 cipis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariæ Apostolicæ Curiaque gene-  
 ralis Innocentianæ in Monte Citorio, & in Acie Campi Floræ per aliquem  
 ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicari & affigi, sicque publicatas, &  
 affixas



PONT. affixas omnes & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, pe- ANNO  
 rinde afficere, & arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, &  
 A. IV. notificatæ fuissent.

1744

Uteque earundem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manus alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habetur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti, & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contrahere. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Domini- cæ millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, Nonis Augusti, Pontificatus Nostri Anno quarto.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.


VISA DE CURIA

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicat. die XI. Augusti ejusdem Anni.*



PONT.

N U M. XXXVI.

ANNO

A. IV.

DE APPLICATIONE

1744

*Missæ Parochialis pro populo; Conventualis vero pro Benefactoribus Ecclesiæ. Item de Divinæ Psalmodiæ cantu.*

*Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis cunctisque locorum Ordinariis per Italiam constitutis.*

BENEDICTUS PP. XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

CUM semper oblatas Nobis occasiones Apostolica scripta dirigendi ad Frat-  
 ternitates Vestras libenter amplectimur, ut sinceræ Nostræ erga Vos di-  
 lectionis argumenta frequenter eluceant; tum vero majori animi alacri-  
 tate id ipsum præstamus, quum ad excitandum Fraternitatum Vestrarum zelum  
 pro conservatione rectæ disciplinæ in Clero regimini Vestro commisso, præ-  
 sentibus rerum, aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impo-  
 situm imbecillitati Nostræ omnium Ecclesiarum sollicitudinis onus aliter susti-  
 nere Nos posse confidimus, quam si Divini cultus augmentum, atque exactam  
 Ecclesiasticarum Sanctionum in singulis Diocessibus custodiam religiosæ vigilan-  
 tium Pastorum curæ identidem inculcando, commendemus.

Q 2

Hujus

PONT. Hujus porro Epistolæ ad Vos scribendæ occasionem Nobis, atque argumen- ANNO  
tum in primis præbet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus  
A. IV. incumbit, applicandi Missæ Parochialem pro Populo ipsorum curæ commisso; 1744  
tum etiam applicatio Missæ Conventualis, quæ pro Benefactoribus in genere  
facienda est ab iis, qui Missas canunt in Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolita-  
næ, Cathedralibus, & Collegiatis; tum denique debitum psallendi, quo tenentur  
Canonici prædictarum Ecclesiarum Choro assistentes. Cujus quidem ar-  
gumenti minime nova, sed a Scriptoribus frequenter habita tractatio est;  
cumque ea res in hujus Almæ Urbis nostræ Congregationibus, & potissimum  
in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Card. Concilii Trid.  
Interpretum, cuius Secretarii munere olim in minoribus constituti multos an-  
nos defuncti sumus, multoties discussa ac definita fuerit; quamvis earundem  
Congregationum Decreta plerumque Decretorum nonnulla etiam Pontificiam  
Prædecessorum Nostrorum approbationem & confirmationem meruerint; mini-  
me tamen mirandum esset, eorum notitiam ad singulos quosque Vestrum non  
adhuc pervenisse. Quapropter non modo opportunum, verum etiam necessarium  
duximus, Encyclicam hanc Epistolam ad Vos scribere, per quam, sublata de-  
mum divertarum, in quas Scriptores abierunt, opinionum varietate, constans  
hujus Apostolicæ Sedis sententia prædictis de rebus cuilibet innotescat; & Fra-  
ternitatibus Vestris quædam veluti norma ac regula suppetat, juxta quam Syn-  
odales, aliasque Vestras circa præmissa Constitutiones, Ordinationes, seu E-  
dicta, quorum publicationem Vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum ve-  
ro executionem, dum juxta ea, quæ in præsentibus tenenda atque servanda  
præscribimus, omni, qua decet, sollicitudine ac vigilantia urgere studebitis,  
minime dubitandum Vobis erit, ne Statutorum Vestrorum implemento obicem  
aut moram afferre valeant recursus ad hujus Nostræ Curie Tribunalia forsitan  
habendi; utpote quos omnino rejiciendos esse præcipimus ac jubemus; quamo-  
breum has ipsas Literas Nostras in singulorum Tribunalium Regestis asservari  
volumus, atque ad earum præscriptum tam ipsorum Tribunalium resolutiones,  
quam de Vestris decretis, quæ ipsis præsentibus inhærentes edituri estis, judi-  
cia exigere, & conferri mandamus.

Et quidem quod nuper enunciavimus, sacrosanctum Missæ Sacrificium a  
Pastoribus animarum applicari debere pro Populo ipsorum curæ commisso, id  
veluti ex Divino præcepto descendens, a Sacra Tridentina Synodo diserte ex-  
primitur *sess. 23. cap. 1. de Reform.* per hæc notabilia verba -- *Cum præcepto  
Divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas ag-  
noscere, pro his Sacrificium offerre --* Et quamvis minime defuerint, qui per  
inanes & frivolas interpretationes hujusmodi obligationem a Sancta Synodo  
memoratum de medio tollere, vel saltem extenuare contenderint; quum ta-  
men relata Concilii verba satis clara & perspicua sint, quumque prædicta Con-  
gregatio ejusdem Concilii interpretationi privative præposita, constanter edi-  
xerit, eos quibus animarum cura demandata est, non modo Sacrificium Missæ  
celebrare, sed illius etiam fructum medium pro Populo sibi commisso applica-  
re debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione eleen-  
synam percipere posse; quodque magis interest, quum hæc intelligentia a Præ-  
decessoribus Nostris Romanis Pontificibus approbata fuerit, & confirmata, nihil  
jam amplius ulli Vestrum desiderandum superest, ut eam amplecti, eidemque  
obsequi; necnon illius promptam executionem in Vestris respective Diocæsis  
omni studio procurare debeatis.

Neque Nos tamen, qui ut superius innuimus, in minoribus adhuc degentes,  
munus Secretarii prædictæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretes plu-  
res annos obivimus, aliosque non paucos partim in Anconitanæ Cathedralis,  
partim in Metropolitanæ Bononiensis, Patriæ nostræ dilectissimæ, quam adhuc  
retinemus, gubernatione assidue transegimus, non inquam Nos latent multi-  
plicis

PONT. plicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationis implementum Anno  
declinare satagunt, quibusque proinde opportune a Nobis est occurrendum.

A. IV. Quum enim Sacrum Tridentinum Concilium, ne Animarum cura negligatur, non uno in loco Episcopis mander, ut quotiescumque opus fuerit, idoneos Vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eandem curam exercendam eligant ac deputent, uti videre est in *sess. 6. cap. 2. sess. 7. cap. 5.*, & *7. sess. 21. cap. 6. sess. 25. c. 16.*, non raro autem eveniat, ut aliqua Ecclesia Parochiali vacante, Vicarius pariter ad implenda hujusmodi Ecclesiæ onera, usque ad novi Rectoris electionem, ab Episcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id jubente *sess. 24. c. 18. de Reform.*, nonnulli ex hujusmodi Vicariis nituntur se ipsos a prædicta obligatione subtrahere, vel ex eo quod, habituali cura penes alium seu alios residente, ipsi actualem dumtaxat exercent; vel quod ipsi sint ad nutum amovibiles; vel ad breve tempus hujusmodi curæ sint addicti: ut nihil hic loquamur de Parochis Regularibus, qui a prædicta applicatione Missæ pro Populo nonnunquam alienos se ostendunt. Itaque mens Nostra & sententia est, sicuti etiam pluries a prælaudatis Congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod omnes & singuli, qui actu Animarum curam exercent, & non solum Parochi aut Vicarii Sæculares, verum etiam Parochi aut Vicarii Regulares, uno verbo, omnes & singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque etiam specifica, & individua mentione digni, æque teneantur Missam Parochialem applicare pro Populo, ut præfertur, ipsorum curæ commisso.

Nonnulli vero ad evitandum hujusmodi obligationis implementum, allegare solent, congruos sibi Parochiæ suæ redditus non suppetere; alii denique ad inveteratam consuetudinem confugiant, sustinentes id neque sibi, neque decessoribus suis, per longum tempus, quod immemorabiles affirmant, unquam in usu fuisse. Nos autem ad præcedentes prædictæ Congregationis Concilii resolutiones nostram approbationem & confirmationem extendimus; & quatenus opus sit, auctoritate Apostolica iterum tenore præsentium decernimus & declaramus, quod licet Parochi, seu alii, ut supra, animarum curam habentes, congruis præfinitis redditibus destituantur, & quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum Diocæsi, seu Parochiis obtinuerit, ut Missa pro Populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.

Dum tamen diximus, omnes animarum curam habentes, Missæ Sacrificium pro Populo sibi commisso applicare debere, non ideo statuere volumus, eisdem aut quotidie, aut quotiescumque celebraverint, ad prædictam applicationem pro Populo teneri. Et quidem sacrosancta Tridentina Synodus *sess. 23. cap. 14.* præcipit Episcopis curare, ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus Missarum sacra faciant, *si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent*; in pluribus autem Synodalibus Episcoporum Constitutionibus novimus provide constitutos ac designatos esse dies, quibus animarum Pastores Missas celebrare debeant. At vero Nos id unum in præsentem suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro Populo celebrare, & applicare teneantur, & quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congregatione Concilii responsum fuit, Parochum nempe pinguius redditibus dotatum quotidie pro Populo celebrare & applicare debere; eum vero qui uberioribus hujusmodi redditibus, non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum præstare teneri; quum tamen pariter Nobis perspectæ sint tum controversiæ super hoc ipso exortæ, nimirum ad quam summam pertinere debeant Ecclesiæ Parochialis proventus, ut pingues, & uberes appellari possint; quoniam pingues minime habendi sunt redditus, etiam copiosi, quibus tamen multiplicia, & gravia sint onera adnexa; tum etiam multorum querelæ adversus hujusmodi decretum, tamquam plus æquo rigidum, excita-

PONT. re, Nobis innotescant: Idcirco opportunum censuimus Fraternitatibus Vestris ANNO  
 declarare, Nobis abunde satisfactum fore, Vobisque proinde satis esse posse,  
 A. IV. dum si, qui animarum curam exercent, Sacrificium Missæ pro Populo cele- 1744  
 brent atque applicent in Dominicis, aliisque per annum diebus Festis de præ-  
 cepto; quum prædicti Dominici, aliique Festi dies ii sint, in quibus juxta  
 præceptum Concilii Tridentini *sess. 5. cap., & sess. 24. cap. 4.* quilibet ani-  
 marum curæ præpositus Populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet,  
 docendo ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; iidemque sint  
 dies, de quibus eadem Sancta Synodus statuit, ut *moneat Episcopus Populum  
 diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri po-  
 test, ad audiendum Verbum Dei; & quibus Parochi Subditos suos in Doctrina Chri-  
 stiana erudire debent, juxta id quod a prædicto Concilio in citato cap. 4. Epi-  
 scopis præcipitur, ut nempe saltem Dominicis & aliis festiuis diebus pueros in  
 singulis Parochiis, Fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & Parentes, di-  
 ligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curent.*

Et quia in nonnullis Diœcesibus numerus dierum Fessorum de præcepto,  
 de Apostolica nostra auctoritate & consensu, eatenus est iminutus, ut nempe  
 in aliquibus Festis Christianifideles & Missam audire, & ab operibus servilibus  
 abstinere debeant; in aliis vero Populo permixtum sit opera servilia exercere,  
 firma remanente obligatione audiendi Missæ Sacrificium, Nos, ut obortæ jam  
 dubitationes circa onus applicationis Missæ Parochialis in hujusmodi diebus  
 Festis, penitus eliminentur, statuimus & declaramus, quod etiam iisdem Fe-  
 stis diebus, quibus Populus Missæ interesse debet, & servilibus operibus va-  
 care potest, omnes animarum curam gerentes Missam pro Populo celebrare,  
 & applicare teneantur.

Quia vero propria nonnunquam experientia satis agnovimus, aliquos esse Pa-  
 rochos adeo pauperes, ut ferme ex elemosynis, quas a Fidelibus pro Missarum  
 celebratione accipiunt, vivere cogantur, eos vero, qui Ecclesia Parochiali  
 vacante, ad animarum curam exercendam, sub Vicarii seu OEconomii nomine,  
 deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui redditus ipsi  
 constituti, & pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia, ægre ad eorum  
 vitæ necessaria sufficiat; quod iis quoque non raro evenire solet, qui in ali-  
 quibus Ecclesiis, habituali cura apud alios manente, actualis tantum exerci-  
 tio sunt addicti; proindeque cum istis severe nimis agi videretur, si diebus  
 festis, quibus potissimum hujusmodi occasio se offert, eisdem vetitum esset ele-  
 mosynam pro applicatione Missæ recipere: Idcirco Nos tam istorum, quam  
 illorum inopiam summopere miserantes, eisdemque, quantum Nobis integrum  
 est, consulere volentes; quantumvis, ut supra dictum est, omnes & singuli  
 prædicti teneantur diebus festis Missam pro Populo celebrare & applicare; at-  
 tamen, quod pertineat ad prædictos Parochos egentes, unicuique vestrum facul-  
 tatem concedimus, cum iis, quos revera tales esse noveritis, opportune dispen-  
 sandi, ad hoc ut, etiam diebus festis hujusmodi elemosynam ab aliquo pio of-  
 ferente recipere, & pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requi-  
 ratur, libere & licite possint & valeant; dummodo ad necessariam Populi com-  
 moditatem, in ipsa Ecclesia Parochiali Missam celebrent; ea tamen adjecta con-  
 ditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro Populo applicent, quot in die-  
 bus festis, intra eandem hebdomadam concurrentibus, juxta peculiarem inten-  
 tionem alterius pii Benefactoris obtulerint.

Quod autem spectat ad Vicarios, sive OEconomos Ecclesiarum vacantium,  
 quum a Sacro Tridentino Concilio *citat. sess. 24. cap. 18.*, cuilibet Episcopo  
 tribuatur facultas eos deputandi & constituendi, cum congrua, ejus arbitrio,  
*fructuum portione assignatione;* vestrum erit, Ven. Fratres, cum iis agere, qui  
 vacantis Ecclesiæ fructus exigunt, ut agenti Vicario, qui exigua hujusmodi  
 certorum fructuum assignatione, paucisque incertis proventibus gaudeat, con-  
 gruum

PONT. gruum aliquod augmentum præbeatur pro onere celebrandi & applicandi Missam pro populo diebus festis. Quapropter pro iis locis, in quibus Ecclesiarum vacantium fructus ad commodum Cameræ Nostræ Apostolicæ exiguntur, oportuna Thesaurario Nostro Generali mandata dirigimus, quæ is denunciare non prætermittet peculiariibus dictorum locorum Collectoribus, cum quibus Episcopi Ecclesiasticæ Nostræ Ditionis, cæterorumque locorum, in quibus, ut præfertur, Ecclesiarum vacantium fructus ad Cameram prædictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo supra diximus, interponere debebunt.

Ac demum, quoad illos, qui tamquam Vicarii, sive perpetui, sive ad tempus constituti, Animarum curam administrant, quæ apud alios habitu residet, ratione Micjus Ecclesiæ Parochialis, ipsorum Ecclesiis, seu Monasteriis, Collegiis, aut Locis Piis olim unitæ; quamvis a recol. mem. Prædecessore Nostro S. Pio Papa V. præfinita fuerit certa pars fructuum hujusmodi Vicariis assignanda, prout in ipsius Constitutione, quæ incipit: *Ad exequendum*, data Kalendis Novembris Anni MDLXVII. distincte statuitur; nihilominus ubi præscripta fructuum portio, vel nullo modo, vel non integræ Vicariis prædictis assignata reperitur, vel etiam ubi, ea quæ ad normam prædictæ Constitutionis eidem fuerit attributa, minime sufficiens a vobis reputetur, propter temporum circumstantias, & signanter pro implendo onere celebrandi & applicandi Missam pro Populo diebus Festis de præcepto, utendum vobis erit potestate, quam fecit Episcopus Synodus Tridentina *sess. 7. cap. 7.*, dum illorum arbitrio permittit, juxta temporum, atque injunctorum onerum rationem, congruam prædictis Vicariis fructuum portionem assignare; quam ob causam Nos etiam Fraternalibus Vestris; quatenus opus sit, necessarias omnes & opportunas facultates impertimur; quibuscumque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in eodem Concilio sancitur, adversus ea, quæ salubriter a Vobis constituta fuerint, minime suffragantibus.

Hæc igitur circa Missam Parochialem statuenda, & Fraternalibus Vestris denuncianda judicavimus. Indeque gradum facientes ad ea quæ pertinent ad Missam Conventualem, neminem Vestrum latere putamus Sacrorum Canonum sanctiones, quibus præcipitur, ut singulis diebus in Ecclesiis, Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis tum horæ Canonice debitis modo, & forma recitentur, tum etiam Missa Conventualis celebretur; quæ adeo claræ sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuæ pariter, & per omnia uniformes existunt Resolutiones ab hac Congregatione Ven. Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum repetitis vicibus emanatæ, quas omnes Apostolica Auctoritate Nostra confirmamus & approbamus, earum executionem Vobis enixe inculcantes: ut scilicet Missa Conventualis, quæ singulis diebus canitur a Clero prædictarum Ecclesiarum, pro eandem Benefactoribus in genere quotidie applicetur; eodem profus modo, quo Missam Parochialem ab iis qui curam Animarum gerunt, pro Populo sibi commisso singulis saltem diebus festis de præcepto, applicari debere superius declaravimus. Itaque date operam, ut fallam quorundam opinionum eliminatis, quam in aliquibus Ecclesiis ejusmodi, sive dolo malo, sive per errorem inventam esse novimus: quod nempe dum Missa Conventualis pro certo aliquo Ecclesiæ Benefactore, vel grati animi argumento vel ex vi oneris impositi celebratur, & applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis Missæ Conventualis. Etenim hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos Benefactores, sed Benefactores in genere cujuslibet Ecclesiæ cujus servitio addicti sunt quicumque in eadem sive Dignitates, sive Canonicatus, sive Mansionariatus, sive Beneficia Choralia obtinent, & Missam Conventualem suis respective vicibus celebrant.

Neque minus improbandam noveritis aliorum sententiam, qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum in eorum Ecclesiis pro Benefactori-

**PONT.** storibus in genere aliquæ interdum preces fiunt, vel anniversaria statis die- **ANNO**  
**A. IV.** bus Sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id sibi arrogare debet, ut im-  
 positæ obligationi alia ratione satisfacere possit, quam ea, quæ a Lege Eccle- **1744**  
 siastica multoties præscripta fuit; nimirum Missam Conventualem singulis die-  
 bus pro Benefactoribus celebrando, eandemque pro illis in genere applicando.

Profecto non solum prioribus Ecclesiæ sæculis, verum etiam temporibus  
 haud longe a nostra ætate remotis, (quod Vos ex Historia Ecclesiæ didicisse  
 non dubitamus) servabatur olim in singulis Ecclesiis series accurata omnium,  
 & singulorum, quorum liberalitate unaquæque aucta fuerat, eorumque nomi-  
 na Sacris Diptychis, sic enim vocabantur, ideo consignata erant, ut eorum-  
 dem recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur,  
 tum etiam Missæ Sacrificium offereretur; quam ob causam etiam prædictus  
 Catalogus in plerisque Ecclesiis ob oculos Presbyteri Celebrantis apponi con-  
 suevit; licet iisdem pii Benefactores in suis Donationibus nihil penitus pro se  
 facti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua  
 Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem Præsules preces pro iis imperan-  
 das esse duxerunt; quamvis illi propria bona offerentes ne verbum quidem ea  
 de re fecissent. Sacrorum huiusmodi Diptychorum usus sensim defecit, ob idque  
 in oblivione jacent alicubi complurium Benefactorum nomina. At non idcir-  
 co deferere fas est usum & disciplinam orandi pro iis, & Sacrificium Missæ pro  
 illis offerendi. Atque inde præceptum applicandi Missam Conventualem pro  
 Benefactoribus in genere, originem atque rationem desumit.

Quemadmodum vero, loquendo de Missa Parochiali, superius dictum est, va-  
 rias excusationes afferri solere ad declinandam illius applicationem pro Populo  
 diebus festis de præcepto; ita pariter usu venit quoad applicationem quotidia-  
 nam Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere. Ut autem superiores  
 illæ, sic etiam hæ posteriores, provide e medio sublatae fuerunt per opportu-  
 nas Congregationis Concilii Tridentini resolutiones, quas proinde in his etiam  
 auctoritate Nostra approbamus & confirmamus.

Nonnulli siquidem obtentu contrariæ consuetudinis, etiam immemorabilis,  
 in propria Ecclesia vigentis, se ab huiusmodi onere eximi posse sibi persuase-  
 runt. Verum jam pluries responsum fuit, huiusmodi consuetudinem, licet im-  
 memorabilem, quæ potius abusus & corruptela dicenda est, nemini suffragari.  
 Alii a Missa pro Benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent,  
 ex eo quod alio quopiam Missarum onere obstricti inveniantur, vel ratione  
 proprii Canoniciatus, aut alterius Beneficii Ecclesiastici, quod insimul cum Ca-  
 nonicali præbenda obtinet; vel quia, præter munus Canonici, seu Beneficia-  
 ti, aut Mansionarii in Ecclesia Cathedrali seu Collegiata, quum etiam in ea-  
 dem, vel in alia Ecclesia Parochialem curam exerceant, dum Missam Con-  
 ventualem canunt diebus festis de præcepto, debent pro Populo sibi commissio eam  
 applicare; ac proinde nequeunt eandem pro Ecclesiæ Benefactoribus specialiter  
 offerre. Sed his quoque obviam itum est, jubendo singulis prædictis, ut Mis-  
 sam Conventualem, quam canunt, pro Ecclesiæ Benefactoribus in genere ap-  
 plicent; pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter Missam applicare tenen-  
 tur, alterum substituunt, qui ipsorum loco Missam huiusmodi celebret, appli-  
 cetque.

Aliorum pariter exceptio fuit, quod Missa Conventualis non semper a Ca-  
 nonicis aut Dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a Beneficiatis aut Man-  
 sionariis, quos minus æquum videtur pro Missæ celebratione omni elemosyna  
 carere, quæ unde desumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum  
 est, demandando, ut ea desumatur ex Massa distributionum.

Alii denique obtenderunt exiguitatem huiusmodi distributionum, quæ ob de-  
 tractam elemosynam quotidianam pro Missa Conventuali, ad nihilum fere re-  
 ductæ, vix foret, ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento servitii Ec-  
 clesie

PONT. clesie præstandi. Tridentina quidem Synodus *f. 25. c. 15.* opportunas rationes ostendit, quibus Canonicalium Præbendarum inopiæ valeat provideri. Si vero desinat a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse con- ANNO  
 A.IV. gnatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse con- 1744  
 pectato ex Vestris relationibus rerum statu, auctoritate Apostolica a Prædecessoribus Nostri eidem impartita, & a Nobis etiam præsentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere, ut alias, ad Festos tantummodo dies reducere.

Non modo Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis injunctum reperitur, ut quotidie Missa Conventualis in eisdem canatur, sed etiam in Rubricis Generalibus, quarum exactissimam Fraternalibus Vestris custodiam commendamus, præscribitur, ut certis diebus non una, sed binæ, atque etiam aliquando tres Missæ Conventuales uno die celebrentur. Itaque quum nuper a Nobis dictum fuerit, primam Missam Conventualem quotidie pro Benefactoribus in genere celebrandam & applicandam esse, nunc expendendum superest, an earundem Ecclesiarum Capitula Jurisdictioni Vestræ respectively subjecta adigere debeatis, ut alias quoque Missas, si plures, ut præfertur, celebrari contingerit, pro Benefactoribus in genere similiter applicent.

Hujusmodi quæstio ab aliquibus ex Vobis Ecclesiastico zelo flagrantibus supradictæ Cognitioni Venerabilium Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum proposita est. Jamque ante illius propositionem compertum fuerat, alias ab eadem Congregatione responsum fuisse, concedendum esse exemptionem ab onere applicandi secundam & tertiam Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere, attendita Canonatum & Beneficiorum tenuitate, ex quo inferri poterat, hujusmodi applicationis debitum manere, ubi de Ecclesiis pauperibus non ageretur. Verum quum hanc definiendæ quæstionis regulam apud prædictam Congregationem non admodum veteri observantia firmatam probe noverimus, cumque hujusce dubii solutionem eadem Congregatio nuper judicio Nostro remittendam esse censuerit; Nos ita judicamus, idque Vobis tenendum indicimus; laudandos nempe & confirmandos esse, quotquot sponte sua secundam, aut tertiam Conventualem Missam pro Benefactoribus in genere applicent; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum Ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent. Ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundæ, tertiæque Missæ Conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse dummodo in commemoratione pro Defunctis, Ecclesiæ Benefactorum in genere non obliviscantur.

Huic demum Epistolæ nostræ finem imponentes, Fraternalitates Vestras enixe hortamur, ut maximam curam & vigilantiam in id conferatis, ut Ecclesiarum Vestrarum Choris, præter devotam celebrationem Missæ Conventualis, Horæ Canonice non præpropere, sed exacte, pausa nempe interposita, & maxima, qua decet, reverentia, ac religione canantur. Equidem scimus, in aliquibus Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis, inter Canonicos eam opinionem invaluisse, ut se munus suum satis implere contendant, dum Choro præsentibus assistunt, licet ipsi sibi silentium imperent, neque psallentibus Beneficiatis aut Mansionariis in cantu se adjungant. In hujusce vero opinionis confirmationem, adduci ab iisdem solent inveterata consuetudines, statuta peculiariora, aut etiam præsentia Ecclesiarum suarum Privilegia. At quum Synodus Tridentina *sess. 24. cap. 12.*, loquens de Dignitatibus & Canonicis, qui Choro interesse debent, unum ex eorum officijs esse dicat, *in Choro ad psallendum instituto, Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, distincte, devotèque laudare*; quamque pauca omnino sint Capitula, in quibus eo modo a Canonicis in Choro assistitur, ideoque receptæ in universa Ecclesia disciplinæ paucos illos adversari dignoscatur; quum insuper opinio illa nunquam in Congregatione Concilii Tridentini interpretationi præposita examinata sit, quin sta-

PONT. tim explosa fuerit, & improbata, quamvis præsumptis consuetudinibus, aliis ANNO  
 que fundamentis & rationibus innixa perhiberetur, Canonicis etiam Ecclesia  
 A. IV. rum Patriarchalium hujus Nostræ Urbis super hoc instantibus; quum demque 1744  
 idem iudicium prolatum reperiat a pluribus Conciliis Provincialibus, ab hac  
 etiam Apostolica Sede approbatus & confirmatus; nihil jam reliquum esse vide-  
 tur, quominus pauciores universorum legi se accommodent. Equidem minime  
 Nobis compertum est quo peculiari titulo suffulti persuasum habeant unius vel  
 alterius Ecclesiæ Canonici se muneri suo satisfacere per simplicem in Choro  
 assistentiam, absque Divinæ Psalmodiæ Cantu. Verum nisi illis præsto sit Apo-  
 stolicum non præsumptum vel abrogatum, sed legitimum ac vigens Privile-  
 gium sive Indultum, jure ac merito verendum est, ne isti, dum ita se gerunt,  
 Præbendarum, ac distributionum fructus minime suos faciant, & consequenter  
 ne ad eorum restitutionem teneantur. Quapropter vestrum erit, Venerabiles  
 Fratres, hæc omnia illis aperire, ut neque Nobis, neque Vobis apud Divi-  
 num Judicem frandi sit, si in hujusmodi re, quæ tanti est momenti, utpote  
 quæ ad ipsius Dei cultum proxime spectat, abusus & corruptelas, quas argu-  
 endo & increpando evellere debebamus, dissimulatione ac silentio nostro fovisse  
 & confirmasse inveniamur. Interea Fraternalitatibus Vestris, quas intimo cor-  
 dis affectu complectimur, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur.  
 Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem di. xix. Augusti MDCCXLIV.  
 Pontificatus Nostri Anno Quarto.

PONT.

N U M. XXXVII.

ANNO

A. V.

DE JURISDICTIONE

1744

*Episcoporum quoad Ecclesias Parochiales Regularium, & Personas curam Anima-  
 rum Subditerum Sæcularium in eis exercentes,*

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**F**Irmandis, atque asserendis Ecclesiasticæ disciplinæ regulis studiose intenti  
 Prædecessores Nostri Romani Pontifices, consueverunt, peculiaribus re-  
 rum aut temporum necessitatibus animadversis, ad generalis providentiæ  
 curam animum adjicere; easque Apostolicas Constitutiones opportune promul-  
 gare, quibus & gliscentes morum corruptelas rescarent, & inordinatas huma-  
 næ arrogantia præsumptiones reprimerent: cui rei obtinendæ utilissimum pla-  
 ne experti sunt, vel antiqua Patrum constituta renovare, interpretari, aut de-  
 clarare, vel competentium Romanæ Curia Tribunalium, sive Congregationum  
 judicata & responsa colligere, confirmare, aut in aliquibus remittere, eadem-  
 que prudenter atque apte conciliare, si quando inter ea non satis convenire  
 videretur. Utque antiquiora omittamus exempla, non alia sanè ratione fel-  
 record. Prædecessor Noster Clemens Papa X. per suam Constitutionem, quæ  
 incipit *Superna*, datam xi. Kal. Junii anno MDCLXX. inhærendo pluribus  
 resolutionis Congregationum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationi-  
 bus Episcoporum & Regularium, ac Tridentini Concilii interpretationi Aucto-  
 ritate Apostolica præpositorum, multa constituit circa debitam a Regularibus  
 erga Episcopos Locorum Ordinarios observantiam, & subjectionem, tam in pe-  
 tenda eorum licentia, & benedictione pro Verbi Dei prædicatione in Ecclesiis  
 etiam



PONT. etiam suorum respective Ordinum habenda, quam in approbatione & facultate ANNO ab eisdem obrinda pro administrando Secularibus Pœnitentiæ Sacramento.

A. V. Ita pariter se gessit recolendæ memoriæ Prædecessor Noster Innocentius Papa XII., quum, ad normam plurium resolutionum Congregationis Concilii præfate, certas sacrarum Ordinationum resolutionum Congregationis Concilii præfate, certas sacrarum Ordinationum resolutionum Congregationis Concilii præfate, in proprios subditos præfinivit, lata Constitutione, quæ incipit: *Speculatores*. sub datum pridie Nonas Novembris anni MDCXCIV. 1744

Hanc ipsam rationem Nos ipsi secuti sumus in Apostolicis Nostri Literis, quarum initium est, *Sacramentum Pœnitentiæ*, anno MDCXXLI. Kalendis Junii datis, in quibus nonnulla decrevimus & statuimus adversus Sacerdotes in Sacramentali Confessione suos Pœnitentes ad turpia sollicitantes, juxta declarationes in causis hujus generis, diversis temporibus & casibus prolatis a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum. Id ipsum nuperrime egimus, dum Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cunctisque Locorum Ordinariis per Italiam constitutis Encyclicas Litteras dedimus sub die XIX. Augusti hujusce anni MDCXXLIV. quarum initium est: *Cum semper oblatas*, quibus, a prædictæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis resolutionibus & placitis neutiquam descendentes, plura declaravimus circa onus, quod habent tum omnes animarum curam gerentes, Missam pro Populo applicandi diebus saltem festis de præcepto; tum etiam Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum Canonici, aliique de earum gremio, Missam Conventualem quotidie pro Benefactoribus in genere specialiter offerendi. Nunc denique hoc idem a Nobis servatum ita declaramus, dum Episcoporum jura, quod attinet ad Visitationem Ecclesiarum Parochialium ad Regularium Monasteria pertinentium, hac nostra perpetuo valitura Constitutione asserere, atque, ut infra, definire, & constituere in animum induximus.

Animarum curam in Seculares personas exercentes in iis Ecclesiis, quæ Monasteriis, seu Domibus Virorum, aut Mulierum adnexæ sunt, sive ipsi Regulares sint, sive Seculares, Sacri Tridentini Concilii præscripto, *sess. 25. c. 11. de Regularibus*, subesse debent *immediate in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi prædicta Monasteria sunt sita*; exceptis dumtaxat iis Monasteriis seu locis, in quibus *Abbatès Generales, aut Capita Ordinum Sedem Ordinariam principalem habent, atque aliis Monasteriis, seu Domibus, in quibus Abbatès, aut alii Regularium Superiores jurisdictionem Episcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochianos exercent; salvo tamen eorum Episcoporum jure, qui majorem in prædicta loca, vel personas jurisdictionem exercent.*

Cum itaque nonnulli Sacerdotes ab Episcopali jurisdictione exempti, quos neque Parochos, neque animarum curæ addictos esse constaret, aut fuissent aliquibus Christi fidelium matrimoniis interesse, sine prævia Episcopi aut Parochi licentia; quaeritum fuit, utrum hujusmodi Sacerdotum correctio, atque in eosdem animadversio ad Episcoporum, an vero ad eorum Superiores privative spectaret; Cumque hi privativum ejusmodi jus ex eo deducerent, quod Tridentina Synodus loco citato dum facultatem tribuit Episcopis corrigendi, & puniendi Sacerdotes ab eorum jurisdictione exemptos, in his, quæ ad animarum curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, de iis dumtaxat Sacerdotibus loquitur, qui vel Parochi sunt, vel animarum curam exercent; ejusmodi sane ii non erant, de quibus agebatur futilem hanc, vanamque præsumptionem reprimere statuit *sel. record. Prædecessor Noster Gregorius Papa XV., ac de Congregationis Sacri Concilii Tridentini Interpretis, edita Constitutione, quæ incipit. Inscrutabili* data Nonis Februarii anno Incarnationis Dominicæ MDCXXII., decrevit, ac declaravit, *ut deinceps tam Regulares, quam Seculares, quomodolibet exempti, sive animarum curam perforarum Sæcularium Monasteriis,*

PONT. riis, seu Domibus Regularibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis, vel Beneficiis sive ANNO  
 Regularibus, sive Sæcularibus incumbentem exerceant; sive alias Ecclesiastica Sa-  
 A. V. cramenta, aut unum ex illi ministrent, prævia Episcopi licentia, & approbatione; 1744  
 sive quoquo modo in dictæ Curæ exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel  
 alicujus ex illis administratione de facto, absque ulla auctoritate se ingerant; in  
 his, quæ ejusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimoda jurisdic-  
 tioni, visitationi, & correctioni Diocesani Episcopi, tamquam Sedis Apostolicæ de-  
 legati, plene in omnibus subjiciantur.

Hac controversia per Constitutionem Gregorianam e medio sublata, non ideo ab aliis quæstionibus & litibus circa idem rerum genus promovendis ces-  
 satum fuit; pluraque Dubia tam in Congregationibus S. R. E. Cardinalium,  
 quam in Auditorio Rotæ frequenter agitata, & resoluta fuerunt, circa pe-  
 culiarum quorundam actuum naturam, an scilicet iidem censendi essent ad  
 animarum curam, seu ad Sacramentorum administrationem pertinere; & con-  
 sequenter, an Episcopus in visitandis Regularium Ecclesiis, quibus imminet  
 animarum cura personarum sæcularium, posset, nec ne, suam circa hujusmodi  
 actus jurisdictionem exercere; tum etiam, an hoc aut illud Monasterium dici  
 posset ordinaria & principalis Sedis Abbatis Generalis, seu Capituli Ordinis,  
 ideoque Ecclesia hujusmodi Monasterio adnexa, quanvis Parochialis foret, E-  
 piscopo in visitatione subjecta non esset. Cum igitur resolutiones in prædictis  
 Curæ nostræ Tribunalibus circa hujus generis quæstiones identidem captas,  
 earumque rationes & fundamenta, diligenter & considerate perpenderit; con-  
 silium quoque & sententiam audierimus aliquot ex Ven. Fratribus Nostri-  
 S. R. E. Cardinalibus, aliorumque Virorum in juris Canonici scientia præstan-  
 tium; nonnulla super his de Apostolicæ potestatis plenitudine decernere libe-  
 ravimus; ac præsentis nostræ Constitutione inviolabilem quamdam normam præ-  
 finire, qua posita, omnes de cætero lites, & controversiæ prædictis de rebus,  
 si fieri possit, penitus eliminentur, atque omnia submoveantur obstacula, quæ  
 debitam Decretorum Sacri Tridentini Concilii executionem in re tam gravis  
 momenti impedire, aut retardare hætenus consueverunt.

Optimo sane consilio ab Episcopis Pastoralem visitationem aggredientibus  
 præmitti solent in singula Diocesis loca aliqui Sacerdotes Missionarii, qui an-  
 te ipsorum adventum, prædicationibus verbi Dei, & administratione Sacra-  
 mentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, spirituales Populorum profectum, &  
 animarum salutem, qui potissimus est Pastoralis visitationis scopus, studeant  
 promovere. Inventi sunt autem ex iis Regularibus, quorum Ecclesiis incum-  
 bit Parochialis sæcularium cura, qui in dubium revocarent, an hujusmodi  
 Missionarios sive sæculares, sive alterius Instituti vel Ordinis Regulares, ab  
 Episcopo missos tamquam visitationis suæ prænuntios, in propriis Ecclesiis &  
 Domibus ad exercenda munera eisdem commissa admittere, & recipere ipsi  
 tenerentur. Quod dubium, quum in Congregatione S. R. E. Cardinalium ne-  
 goriis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita examinatum  
 fuisset sub die xxxi. Augusti anni MDCLXVIII., affirmative resolutum fuit;  
 ut scilicet prædicti Missionarii etiam a Regularibus Parochis, seu Curatis li-  
 benter excipi debeant, omnibusque rebus juvari, quibus ad injunctum sibi  
 onus adimplendum opus illis esse contigerit. Quod Nos quoque probamus, &  
 auctoritate Apostolica confirmamus, atque in posterum (quoties id opus esse  
 prudenti Episcopo arbitrio judicatum fuerit) ab omnibus hujusmodi Parochis  
 seu Curatis præcipimus observari.

Sed & in ipso visitationis cursu, atque etiam extra illam, aliqui Regula-  
 res, de suorum privilegiorum & exemptionum indemnitate plus nimio solli-  
 citi, hæc Episcopis controversiam moverunt, utrum iis liceret, in ipsorum  
 Regularium Ecclesiis, sive Parochialibus, sive non Parochialibus, Sacramen-  
 tum Confirmationis administrare; quæ quidem controversia in Congregatione  
 Conci-

PONT. Concilii, partibus plenissime auditis, pro Episcopis decisa fuit, quemadmodum ANNO  
& Nos generaliter & sine exceptione eandem definimus.

A. V. In exequenda vero Pastoralis visitatione Ecclesiarum Parochialium, quæ a 1744  
Regularibus administrantur, minime quidem licet Episcopo omnia Ecclesiarum  
hujusmodi Altaria visitare, sed illud dumtaxat, in quo Sanctissimum Eucharis-  
tiæ Sacramentum asservatur, & consequenter Sacrum ipsum Tabernaculum;  
Fontem quoque Baptisterii, si adsit, item Confessionale, in quo Parochus ad  
audientias Confessiones residere solet; Pulpitum Ecclesiæ, e quo Parochus jus  
habet, verbi Dei, juxta præcipuum ministerii sui munus, annuaciandi; Sacra-  
rium pariter Ecclesiæ, ad inspiciendum locum, in quo asservatur sacra suppel-  
lex, pro Sacramentis tam intra Ecclesiam, quam extra illam decenter admini-  
strandis; Sepulchrum excipiendis Subditorum Parochiæ corporibus addictum;  
Cœmeterium Parochianorum humanis cadaveribus destinatum; Turrim Cam-  
panariam, dummodo in ea sint Campanæ ad Parochiam proprie spectantes; ac  
demum præter res supra enunciatas, omnia sacra vasa, quibus vel Particulæ  
consecrate servantur, vel Sacra Olea sive in Baptismo, sive in extrema Un-  
ctione adhibenda, vel aqua Baptisterii, vel alia rite benedicta, quæ pro ingre-  
dientium aspersione ad Ecclesiæ fores poni consuevit.

Visitationi locali proxima est ea, quæ personam respicit Parochi, cujus qui-  
dem, si Regularis sit, agendi rationem, in iis, quæ spectant ad observationem  
proprii ipsius Regularis instituti, non est Episcopi inquirere, quam ad ipsius  
Superiorem Regularem privative id pertineat. Licet tamen Episcopo, vel po-  
tius ipsi specialiter incumbit, ipsius Parochi, seu Curati, etiam Regularis,  
vitam ac mores scrutari, quatenus ea, quæ extra Clausuram prodierint, Re-  
ctoris animarum exempla, plurimum conferre ad Populi ædificationem, vel  
contra eisdem obesse maxime possunt; quemadmodum alias eadem Concilii Tri-  
dentini Congregatio sapienter decrevit, & Nos etiam earundem præsentium  
tenore decernimus, & statuimus.

Ad personalem quoque Parochi visitationem, proindeque ad Episcopi jus &  
officium pertinet ea occasione examinare, an titulo legitimo Parochus etiam  
Regularis animarum curam exercent, an residentiæ lex ab eo observata fuerit  
atque observetur; an ad Synodum vocatus, ierit; an Congregationes, seu  
Conferentias super casibus conscientiæ haberi solitas frequentet; an onera, quæ  
secum fert animarum cura, adimpleverit; ac inter alia, an Missam pro Po-  
pulo applicaverit diebus festis de præcepto; an iisdem festis diebus omnia præ-  
stitit, quæ a Sacro Tridentino Concilio præscripta sunt, Populum verbi Dei  
prædicatione, & Pueros in Fidei rudimentis Christianæque Doctrinæ præceptis  
instituendo; an, statis diebus, excipiendis Fidelium confessionibus vacet; an  
ægotantibus, & in extremo vitæ agone laborantibus debita spiritualia subsi-  
dia sedulo præstet, & Sacramenta Ecclesiæ tempestive conferat; an Pueros &  
Puellas ante susceptionem Sacramenti Confirmationis, tum etiam ante primam  
eorum Communionem, opportunis instructionibus erudierit; an priusquam Fi-  
doles ad matrimonia in faciem Ecclesiæ celebranda admittat, debitas, inqui-  
sitiones adhibuerit, atque adhibeat, quibus tuto deprehendere possit, nullum in-  
ter Contrahentes impedimentum existere, eisdemque libere matrimonio con-  
sentire, ac demum in Doctrina Christiana; maxime vero in præcipuis Religio-  
nis nostræ Mysteriis illos instructos esse, denique an Parochus apud se recte or-  
dinatos retineat libros tum Baptizatorum, ubi fons Baptismalis adsit in ipsius  
Ecclesia, tum Sacro Chrismate confirmatorum, libros etiam Matrimoniorum,  
& status animarum.

Uno verbo quidquid Episcopus a Parocho sæculari exquirere, atque exige-  
re solet, ac debet, id omne, Regulari observantia unice excepta, a Parocho  
Regulari exquirere, & exigere potest; atque ubi hunc muneri suo defecisse  
comperit, opportuna Decreta condere, & pronuciare, ac meritas in eun-  
dem

PCNT. dem pœnas statuere; In quo nihilominus Episcopi facultates minime privati- ANNO  
væ sunt, sed Præsul Regularis jus cumulativum cum ipso habet; ita tamen,  
A. V. ut, si aliter a Superiore Regulari, aliter ab Episcopo decerni contingat, hu- 1744  
jus, non vero illius Decretis sit standum; prout alias a Congregatione Tri-  
dentini Concilii interprete judicatum fuit, Nosque Auctoritate Apostolica pro-  
bamus, confirmamus, atque decernimus. Privativum tamen Episcopi jus est  
in Parochianorum mores inquirere, ac si quæ inter ipsos scandala oborta fue-  
rint, auditis proborum ac prudentium Virorum sinceris relationibus, de iis  
cognoscere; eaque opportunis remediis rescare & reformare: nec enim Su-  
perioribus Regularibus in hujusmodi sæculares Parochiæ subditos ulla compe-  
tit jurisdictio.

Eveniente autem casu, quo vel Episcopus, vel Superior Regularis aliquem  
ex prædictis Parochis ab exercitio Curæ removendum, eademque privandum  
esse judicaverint; quoniam hujusmodi Parochis sine prævia Episcopi approba-  
tione, ad Curam animarum accedere nequaquam licet, quamvis a suis Superi-  
oribus deputati, iidemque ad nutum sint amovibiles, dubitatum propterea  
fuit, an Episcopus posset ad hujusmodi remotiones procedere, sine Superioris  
Regularis consensu, & an remotionis causas eidem adducere, easque verificare  
deberet; tum etiam an Regularis Superior ad similem remotionem, &  
privationem suo jure deveniens, consensum Episcopi exquirere, suasque agen-  
di rationes illi notas atque probatas facere teneretur. Qua de re, supradictæ  
Congregatio Concilii decrevit, hujusmodi Parochos tam ab Episcopo, quam a  
Superiore Regulari, æquo jure, non requisito alterius consensu, ab Anima-  
rum cura removeri posse, nec unum alteri causas judicii sui aperire, multo-  
que minus probare & verificare debere. Id quod a Nobis in omnibus appro-  
batur & confirmatur.

Postquam vero Tridentina Synodus loco superius laudato declaravit, prædi-  
ctos Curatos seu Parochos tam Sæculares, quam Regulares, animarum curam  
exercentes in Monasteriis seu Domibus Religiosis, quibus hujusmodi cura per-  
tonarum Sæcularium incumbit, subesse debere immediate in iis, quæ ad dictam  
curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi  
& correctioni Episcopi: (quod quidem, juxta magis receptam Tribunalium  
hujus nostræ Curæ sententiam, intelligitur de jurisdictione Episcopi Ordina-  
ria, non vero de delegata) illa tamen Monasteria seu Loca ibidem a Concilio  
excipiuntur, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores jurisditionem  
Episcopalem & temporalem in Parochos & Parochianos exercent; salvo nihilo-  
minus eorum Episcoporum jure, quia alia quapiam ex causa seu titulo, ma-  
jorem in prædictis Loca, vel Personas jurisditionem exercent. Quare nonnul-  
lis Episcopis contendentibus licere sibi, saltem tamquam Delegatis a Sede A-  
postolica, in Parochos prædictos, sive in Parochianos, aliquem jurisditionis  
actum exercere; Congregatio Concilii respondit, quod ubi Abbas, aut Superi-  
or Regularis suam probat jurisditionem Episcopalem & Temporalem in ipsos  
Parochos & Parochianos; & contra, Episcopus probare nequit ampliorem in  
eosdem jurisditionem ex alio capite sibi acquisitam fuisse; abstinere omnino  
debet Episcopus tam a visitatione, quam ab alio quocumque jurisditionis actu  
in hujusmodi Parochos, & Parochianos. Quod quidem, veluti ipsius Concilii  
Decretis consonum, Nos etiam Apostolica confirmatione roboramus.

Similiter ab Episcopi jurisditione, visitatione, & correctione, etiam in his,  
quæ ad Animarum Curam & Sacramentorum administrationem spectant, præ-  
dicta Synodus excipit tam Sæculares, quam Regulares Parochos, qui Anima-  
rum curam exercent in iis Monasteriis seu Locis, in quibus Abbates, Genera-  
les aut Capita Ordinum Sedem Ordinariam principalem habent: Quæ exceptio,  
sive imitatio, pluribus conversis occasionem præbuit. Et primo, an ad in-  
ducendam hujusmodi exemptionem ab Episcopali visitatione, satis sit, quod in  
ali-

PONT. aliquo Monasterio resideat Abbas Regularis, licet is Ordinis sui Generalis non ANNO  
 existat. Super quo præfata Concilii Congregatio pronunciavit, non sufficere  
 A. V. Abbatis cujuslibet residentiam, nisi sit Abbas totius Ordinis sui Generalis. 1744

Tunc enim Tridentinum Concilium simplices Abbates, aut Regularium Superiores nominat, quum ab Episcopi jurisdictione ac visitatione eximit Parochos Ecclesiarum seu Monasteriorum, in quibus Abbates aut alii Regularium Superiores jurisdictionem Episcopalem & temporalem exercent; qua jurisdictione gaudere, quamvis non sint Ordinum Generales. De Abbatibus autem Generalibus, seu Ordinum Capitibus tunc loquitur eadem Sancta Synodus, quum a jurisdictione, & visitatione Episcopali exemptos esse indulget eorum Monasteriorum seu Locorum Parochos, in quibus Abbates Generales prædicti, aut Capita Ordinum, Sedem Ordinariam principalem habent. Cumque ea dubio procul sit Concilii mens, in hunc plane modum semper in posterum judicari & censeri debere statuimus, minime atenta distinctionis nota, quæ in plerisque Concilii Tridentini editionibus impressis apposita conspicitur inter verbum *Abbatibus*, aliudque *Generales*, utpote quæ nullatenus reperitur in exemplari authentico Actorum ipsius Concilii quod in Archivio Sedis Apostolicæ in Arce S. Angeli asservatur, quodque, ut genuinam hujus loci lectionem certo cognosceremus, diligenter inspici fecimus; proindeque a prædictis exemplaribus impressis eadem distinctionis nota omnino est expungenda.

Altera quæstio est, an ad obrinendam exemptionem ab Episcopali jurisdictione & visitatione, sufficiat, quod aliquod Monasterium, Superioris Generalis Sedes Ordinaria existat, an vero præterea requiratur, ut ipsum Monasterium sit Caput Ordinis. De quo, quidquid alii opinati fuerunt, decernimus sufficere, quod Monasterium, seu Domus, sit Ordinaria & principalis Sedes Superioris Generalis, prout a Congregatione Concilii constanter judicatum fuit; quum verba Tridentini, de Capitibus Ordinum loquentis, non ad loca, sed ad personas Præfulum Regularium in iis locis residentium referantur.

Tertio dubitari contingit, an exemptio ab Episcopi Visitacione, quam Tridentina Synodus, ut supra, concedit Ecclesiis Parochialibus eorum Monasteriorum, in quibus resident Abbates Generales aut Capita Ordinum, ad alias quoque Parochiales extendatur, quæ prædictis Monasteriis unitæ sunt, & ab eisdem dependent. Sed quum de aliis hæc Ecclesiis unitis taceant Conciliaria Decreta, neque porro eadem ratio honoris cujusdam & reverentiæ habendæ erga Superiores Ordinum Generales in propriis Monasteriis vel Ecclesiis residentes, locum habeant in aliis Parochialibus, eisdem Monasteriis, ut præfertur, unitis, quod pluries Congregatio Concilii censuit; hujusmodi scilicet Ecclesias unitas, minime exemptas esse a jurisdictione & visitatione Episcopi, quamvis illæ a Parochis regularibus administrarentur; id ipsum Nos, prædictæ Congregationis resolutionibus inhærentes, decernimus, & constituimus.

Quæsitum fuit quarto loco, an ratione exemptionis a jurisdictione Episcopo, quæ competit supradictis Rectoribus Ecclesiarum residentialium Superiorum Generalium, & propter eorundem Rectorum omnimoda subjectionem jurisdictioni & correctioni prædictorum Generalium Regularium jus aliquod, & jurisdictione attributa sit iisdem Superioribus Generalibus in sæculares Subditos hujusmodi Ecclesiarum sive Parochianos; an vero dicendum sit jus illud ad Episcopum privative pertinere, super quo decernimus Episcopo plenam & privativam jurisdictionem competere in Parochianos, ad eundemque Episcopum pertinere, non solum propriam auctoritatem & consensum ( prævio examine per se ipsum, vel per Vicarium suum faciendo ) interponere, quotiescumque Superior hujusmodi Generalis aliquem sive sæcularem, sive regularem Parochum, seu Curatum, etiam ad nutum amovibilem, ad exercendam

PONT. dam in prædictis Ecclesiis animarum curam personarum sæcularium deputare vo- ANNO  
luerit; sed etiam ubi Episcopus hujusce Parochiæ regimen a supradictis Pa-  
A. V. rochis exemptis sive sæcularibus, sive regularibus, non recte administrari cogno- 1744  
verit; posse ipsum, & aliquando etiam debere pro sui Officii munere, apud  
Superiorem Generalem instare, ut Parochum seu Curatum hujusmodi ab ani-  
marum cura removeat; implorata quoque, quatenus opus sit, Apostolicæ Se-  
dis auctoritate; Si nempe Generalem prædictum, aut reluctantem, aut Pa-  
rocho plus æquo faventem invenerit.

Præcipua in hac materia quæstio illa fuit, quænam essent Monasteria, in quibus Abbates Generales, seu Capita Ordinum, Sedem ordinariam principalem habent; contententibus nonnullis, quodlibet Monasterium, aut locum quemlibet, in quo Abbas Generalis, sive Caput Ordinis manet, ibique moratur, Sedem ipsius Ordinarium principalem dici oportere, ita ut ejusdem Monasterii aut Loci Parochus ab Episcopali jurisdictione, & visitatione immunis statim fiat. Verum vaga & arbitraria hujusmodi Sedes, quæ a sola Superioris Generalis præsentia naturam Sedis ordinariæ, & principalis mutatur, tum rectæ rationi, tum Concilii verbis ac sensui plane adversatur. Quapropter quum Nobis compertum sit; in aliquibus Ordinum Regularium Constitutionibus assignatum reperiri locum pro residentia Superioris Generalis ejusque Curia; in aliis vero Ordinibus, ubi Constitutiones de eo nihil statuunt, eandem residentiam veteri consuetudine esse præfinitam; quoties de Ordinum hujusmodi Superioribus Generalibus agatur, eorum Sedem ordinariam principalem, ad effectum de quo agitur, illam esse, & censeri decernimus, quæ ab ipsorum Constitutionibus, vel ab inveterata consuetudine prædicta præscribi dignoscitur; idque tantummodo Monasterium, non vero aliud, in quo, quacumque de causa, Superior Generalis commoratus fuerit, pro ordinaria Generalis Sede haberi præcipimus, licet ipse Generalis ibi actu non resideat.

Quod si aliqui sint Religiosi Ordines, seu Congregationes, quorum Constitutionibus, vel consuetudinibus minime præfinitum sit Monasterium, in quo Abbas Generalis, seu Caput Ordinis residere debeat: nullum Monasterium pro ejusdem Generalis Sede ordinaria principali, ad effectum eximendi Parochum ab Episcopi jurisdictione & visitatione; ex eo tantum haberi debere statuimus, quod solus ipse Superior Generalis in eo degat, absque consuetis Ministris, quos in Ordine regendo socios habet; sed illud dumtaxat Monasterium pro Sede Generalis ordinaria principali haberi volumus, quod semel ipse Superior Generalis, seu Caput Ordinis initio Generalatus, elegerit pro sua stabili residentia & Officialium seu Ministrorum prædictorum. Verum si, facta semel hujusmodi electione, eandem postmodum variare præsumperit, declaramus, neque Monasterium initio electum, neque alterum, etiamsi cum sua Curia eo se transfulerit, privilegia ordinariæ & principalis Generalitæ Sedis habiturum.

In omnibus autem præmissis exemptionum casibus, salvum semper atque intactum esse volumus eorum Episcoporum jus, si qui sunt, qui supradictas Parochiales Ecclesias earumque Rectores visitare consueverint, nimirum tam illas, quæ Monasterii seu Domibus iis adnexæ sunt, in quibus Generales Ordinum Superiores Sedem ordinariam principalem, vel a suorum Ordinum Constitutionibus, vel ab inveterata consuetudine præfinitam habent, quam eas, quæ ab ipsis Superioribus Generalibus alias pro ordinaria principali residentia fuerint electæ, & nihilominus, hujusmodi residentia durante, Episcopi visitationi, jurisdictioni, & correctioni subjectæ fuerint.

Decernentes præsentibus Nostras literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquid jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujuscvis status, gradus, ordinis, præminentia, vel dignitatis existant, sive alias specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi,  
neque

PONT. neque causæ propter quas eadem præsentibus emanaverint, adductæ, verificatæ, ANNO  
 vel sufficienter, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam  
 A. V. quantumvis juridica, & privilegiata Causa, colore, prætextu, & capite, 1744  
 etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel  
 obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium  
 consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, &  
 substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam  
 vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, resti-  
 tutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti vel gratiæ remedium  
 intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, & de Apostolicæ potestatis  
 plenitudine simili concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra il-  
 lud uti, seu te juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentibus semper firmas,  
 validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus  
 sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcum-  
 que spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari.

Sicque & non aliter in præmissis censerî, atque ita per quoscumque Iudices  
 ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac  
 S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ  
 Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, ac potestate fungentes,  
 & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, & interpretandi  
 facultate, iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his  
 a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Re-  
 gula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus,  
 Provincialibus, & Synodalibus Conciliis edicis, generalibus, vel specialibus  
 Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, con-  
 firmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consue-  
 tudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & in-  
 dultis etiam in corpore juris clausis, aut Literis Apostolicis quibusvis Perso-  
 nis, Collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, So-  
 cietatibus, & Institutis, etiam Societatis Jesu, & S. Joannis Hierosolymitani,  
 aliisque quibuslibet specifica & individua mentione dignis, etiam sub quibus-  
 cumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam clausulis &  
 decretis, etiam derogatoriis derogatoriis, & irritantibus in genere, vel in  
 specie, etiam motu simili, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu confi-  
 sorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac  
 pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis,  
 etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus,  
 specialis, specifica, & individua mentio, seu quævis alia expressio ad id ser-  
 vanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro  
 plene, & sufficienter expressis, & exactissime servatis & specificatis respective  
 habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad præ-  
 missorum effectum plenissime & amplissime motu pari derogamus, & deroga-  
 tum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus insuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eadem præ-  
 sentibus, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducan-  
 tur, nec quisquam de eis ignorantiam prætere valedat, ipsas præsentibus, seu  
 earum transumpta ad valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano & Basilicæ Prin-  
 cipis Apostolicæ, Curiaque Generalis Innocentianæ in Monte Citorio, &  
 in Acie Campi Floræ per aliquem ex Curatoribus Nostris, ut moris est, pu-  
 blicari, & affigi: sicque publicatas, & affixas omnes & singulos, quos concer-  
 nunt, seu concernent in futurum perinde afficere, & arctare, ac si unicuique  
 illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Utque earundem præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis,

PONT. manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo Personæ in Ecclesiastica ANNO  
 dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio quam extra  
 A. V. illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent ex- 1744  
 hibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc nostrarum Confirmatio-  
 nis, Approbationis, Innovationis, Voluntatis, Mandatis, Statuti, Decreti,  
 & Declarationis, infringere, vel ei ausu temerario contrahere. Si quis autem  
 hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum  
 Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Domi-  
 nicæ millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, octavo Idus Novembris,  
 Pontificatus Nostri Anno quinto.

D. Cardinalis Passioneus.

J. Datarius.


VISA DE CURIA

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicat. die XVIII. Novembris ejusdem Anni.*



N U M. XXXVIII.

PONT.

QUÆSTIONI PROPOSITÆ.

ANNO

A. V.

An Filii ex adulterio procreati legitimentur per subsequens Matrimo-  
 nium, differendo rescribitur.

1744

*Venerabili Fratri Archiepiscopo Sancti Dominici in Insula  
 Hispaniola.*

BENEDICTUS PP. XIV.

*Venerabili Fratri, Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

**R** Edditæ Nobis altero ab hinc mense fuerunt literæ tuæ xxvii. Maii pro-  
 xime elapsi ad Nos scriptæ, ac Typis impressæ, quibus occurrentem  
 isthic cujusdam facti speciem enarras, & Nosram super eo sententiam  
 requiris. Non te latere arbitramur, nullum Nos diem vacuum habere, quum  
 gravissimis assidue curis, atque negotiis non tam occupemur, quam pene jam  
 obruamur; in hisce præsertim asperitatibus rerum, quibus undique consista-  
 mur, & quarum famam ad vestras quoque oras pervasisse non dubitamus. Sed  
 tamen, ut compertum sit omnibus, quanti te facimus, Venerabilis Frater,  
 & quanto dignitatem Episcopalis Characteris, qua præfulges, in honore ha-  
 bemus, aliqua temporis spatia reperire, & colligere studuimus, eaque in  
 evolvendis privatae Bibliotecæ Nostræ libris insumpsimus, quo possemus pro-  
 positæ abs te quæstioni respondere. Quod quidem præsentibus Nostris Literis  
 facimus, non tamen ex auctoritate Apostolicæ Sedis, quam, meritis licet im-  
 pari-



PONT. paribus, obtinemus, sed meram sustinentes personam Doctoris privati, cujus ANNO  
 vitæ ætas fere omnis in Sacrorum Canonum studiis, quamvis non magno  
 A. V. fortasse fructu, exacta est. Neque enim visa Nobis est ea quæstio Pontificiæ 1744  
 Decisionis Oraculo indigere, quemadmodum ex inferius dicendis Fraternalitas  
 Tua probe poterit intelligere.

§. 1. Itaque casus est; Vir Nobilis uxoratus rem habuit, stante Matrimo-  
 nio, cum libera Muliere, pari cum ipso natalium nobilitate, duosque filios  
 ex ea procreavit. Defuncta vero Uxore, matrimonium contraxit cum prædi-  
 cta Muliere, quæ duos, ut præfertur, filios ei pepererat. Horum alter jam  
 mortem obierat; atque illi procul dubio natus erat priore Uxore in vivis agen-  
 te. Alter superstes est, sed nondum satis est exploratum, an eadem prima  
 Uxore vivente conceptus, aut natus fuerit: Dubitatur de utroque, an legiti-  
 mi, sive spurii sint habendi; seu potius, an per subsequens Matrimonium  
 eum ipsorum Matre contractum, ambo censendi sint legitimati.

§. 2. Porro admissa Canonici juris Regula, quam Nos verissimam judica-  
 mus, quamque ut paulo infra patebit, a nemine in dubium revocari posse ar-  
 bitramur; quod nempe, licet proles ante Matrimonium nata, legitima fiat  
 per subsequens matrimonium inter Parentes rite contractum; attamen id dum-  
 taxat locum habeat, quum copula intercesserit inter liberum, & liberam, non  
 autem ubi alter ex Parentibus matrimonio ligatus foret: tunc enim proles an-  
 te secundas nuptias nata nequaquam fit legitima, quamvis Adulter, post mor-  
 tem prioris Uxoris, verum, & legitimum cum ejus Matre contrahat Matrimo-  
 nium; hac inquam regula semel admissa, evidens est, filium illum præmor-  
 tuum, qui natus est prima Uxore superstiti, legitimum non evasisse per ma-  
 trimonium cum ipsius matre contractum, postquam prima Uxor e vivis excefferat.

§. 3. Quod vero ad alterum filium adhuc viventem attinet; si constaret sal-  
 tem hunc natum esse post mortem primæ Uxoris, quam illius Pater habuerat,  
 quamvis ea superstiti conceptus fuisset; in arduam illam contrversiam dedu-  
 ceremur, quæ inter Doctores, ut nosti, agitur, an scilicet, pro statuenda  
 prolis legitimatione, ejusdem nativitatæ tempus attendi debeat, an præterea  
 habenda sit ratio temporis ejusdem conceptus; in qua controversia, satis, ut  
 prædiximus, ardua quam inveniantur Textus Textibus contrarii, cumque Do-  
 ctiores Doctoribus, Tribunalia Tribunalibus adversentur; si a Nobis iudicium  
 Nostrum in casibus particularibus interponendum foret, non aliter id a Nobis  
 fieret, quam secundum sententiam in Tribunalibus, & Curia illius Rægionis  
 receptam, in qua esset pronunciandum.

§. 4. Cum vero hætenus, ut scribis, incertum sit, quo tempore filius ille  
 vivens conceptus, quove in lucem editus fuerit, solumque constet de morte  
 prioris Uxoris, & de secundo cum altera Muliere Matrimonio; supervacaneum,  
 extraneumque remanet examen præfatæ controversiæ, an, ad effectum legiti-  
 mationis prolis, tempus nativitatæ dumtaxat, an etiam tempus conceptus at-  
 tendi debeat. Sed in his facti circumstantiis, quum certum sit Matrimonium  
 inter illius Parentes rite contractum, incertum vero tempus, quo filius idem  
 conceptus, & in lucem editus fuit; si Nostrum de eo iudicium exquireretur,  
 filium hunc legitimum censeremus, quum Iudex in dubio debeat in donum,  
 & comoda prolis propensus esse.

§. 5. Equidem intelligimus, hanc nostram responsionem neque desiderio tuo,  
 neque præconceptæ opinioni satisfacturam. Non desiderio, inquam; propterea  
 quod utrosque præfatos filios per subsequentum inter Patentes Matrimonium,  
 legitimatos fuisse declarari velles: Neque porro opinioni quam foves; eo quod  
 existimes filios etiam ex adulterio procreatos legitimari, superveniente matri-  
 monio inter Adulteram, & Patrem, Coniuge jam defuncta. Verum æquo ani-  
 mo ferre volumus, Nos ad hæc asseverando reponere, quod filii ante matri-  
 monium nati legitimantur utique per subsequens matrimonium, si tamen ex

PONT. soluto, & soluta fuerint procreati, ut, inhærendo Canonicis sanctionibus, de-  
 finitum fuit a Prædecesore Nostro Alex. Papa III. in *Cap. Conquæsus*, Qui  
 A. V. filii sint legitimi; Secus autem, si idem filii orti sint ex Patre, qui de eo  
 tempore cum alia Muliere matrimonio conjunctus erat; licet ea postea e vivis  
 sublata, aliam illam duxerit, ex qua prolem susceperat; ut idem Alexander  
 III. respondit in *Cap. Tanta*, Qui filii sint legitimi, cujus verba sunt, quæ  
 sequuntur. *Tanta est vis Matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum  
 Matrimonium legitimi habeantur. Si autem Vir, vivente Uxore sua, aliam cogno-  
 verit, & ex ea prolem susceperit, licet post mortem Uxoris eandem duxerit, nihi-  
 lominus spurius erit filius, & ab hæreditate repellendus; præsertim si in mortem  
 Uxoris prioris eorum aliquid fuerit machinatus.*

9. 6. Neque vero postremis hisce verbis commoveri debes, ac si ex illis col-  
 ligi posset, minime ab Alexandro definitum fuisse, quod proles ex adulterio  
 suscepta, per subsequens Matrimonium legitimari nequeat; sed illud duntaxat  
 quod nempe proles legitima non fiat, si contra vitam prioris Uxoris alterater  
 ex Parentibus adulteris machinatus fuerit. Etenim animadvertere te oportet  
 verbum illud a Pontifice usurpatum, *præsertim*; quod idem sonat, ac *multo  
 magis*; itaut vera Decretalis illius sententia sit, quod quum proles ex adulterio  
 suscepta pro spuria perpetuo sit habenda, & ab hæreditate repellenda, etiamsi  
 legitimam postea inaeatur inter Parentes Matrimonium; multo magis id proce-  
 det, ubi alteruter in prioris Uxoris mortem fuerit machinatus. Ex quo mini-  
 me sequitur, quod proles ex adulterio nata, si machinatio absit, legitimetur  
 per subsequens Matrimonium; sed palam fit, ejusmodi prolem ex adulterio  
 susceptam, ideoque per subsequens matrimonium neutiquam legitimandam,  
 multo majori ratione legitimam nunquam fieri, si alter ex Parentibus adulte-  
 ris contra vitam prioris Uxoris sit machinatus. Qua de re optime, opportu-  
 neque differit *Gonzales cap. 6. num. 6. Qui filii sint legitimi* per hæc verba  
*Arguit Alexander III. de minori ad majus: Nam si filii Spurii non legitiman-  
 tur per subsequens Parentum Matrimonium; multo minus per matrimonium nul-  
 lum, quale est, quod contrahitur, quum alter ex Conjugibus in necem Conjugis  
 machinatus est.*

9. 7. Sane a te dissimulata non fuit dispositio relatæ Decretalis Alexandri  
 III. in citat. *Cap. Tanta. Qui filii sint legitimi*; quin immo ultro fateris, com-  
 munem Doctorum opinionem eam esse, quæ nuper a Nobis exposita fuit; ni-  
 mirum prolem ex adulterio progenitam, per subsequens matrimonium nequa-  
 quam legitimari. Verum tamen aperte declaras, nullam sententiam, quantum  
 vis communi Canonistarum calculo comprobata, apud Te valere, nisi eadem  
 in Textu Canonico fundata sit, illique innitatur; hanc autem sententiam, de  
 qua agitur, minime dici posse Canonico Textui innixam esse; quoniam, in-  
 specta præcitata Decretali Alexandri III; non quidem mutila, atque contracta,  
 prout jacet in Nôstra Decretalium collectione a Gregorio Papa IX. confecta,  
 sed in sua integritate; manifeste, ut putas, agnoscitur, ideo Pontificem ille-  
 gitimam declarasse prolem illam ex adulterio procreatam, quamvis ejus Pa-  
 ter, defuncta priore Uxore, Adulteram sibi matrimonio junxisset; quia nimi-  
 rum Alexandri ætate vigeat adhuc ea disciplina, qua interdictum erat Adul-  
 tero, etiam post mortem prioris uxoris matrimonium cum Adultera valide con-  
 trahere; & quia, tota Decretali perlecta, perspicuum est, in eo casu, præter  
 adulterium, adfuisse etiam machinationem Adulteræ contra vitam prioris uxo-  
 ris. Quibus positis, deinde concludis, quod quum, juxta præsentem Ecclesiæ  
 disciplinam, Adulterium præcedens non habeatur pro impedimento dirimente  
 matrimonium inter mechum, & macham, nisi conjunctum sit vel cum ma-  
 chinatione, vel cum fide data futuri matrimonii; cumque in proposita facti  
 specie nullum indicium adsit machinationis in prioris Uxoris necem intentatæ;  
 nullum propterea adduci valeat obstaculum adversus proles legitimam,  
 sequuto,

PONT. sequuto jam inter ipsius Parentes legitimo matrimonio; atque adeo tum illud ANNUS  
 A. V. systema firmiter, ut putas, & valide, stabilitur; nimirum, subsequente matri- 1747  
 monio, legitimari prolem etiam ex adulterio susceptam, quoties adulterio non  
 accedat, aut machinatio adversus prioris conjugis vitam, aut promissio matri-  
 monii post prioris Conjugis mortem inter adulteros contrahendi.

§. 8. Profecto, ut ingenue loquamur; Venerabilis Frater, displicet Nobis  
 tua hæc ingeniosa ratiocinatio, in qua nescio quid arrogantis, & audacius,  
 quam par est, introspicere videmur. Nobis etenim persuasum manet, opinio-  
 nes Doctorum communes non ita facile parvipendendas esse; idque didicimus ex  
 celeberrimo vestrate Melchiore Cano, qui in suo Tractatu de locis Theologi-  
 cis lib. VIII. cap. 7. ita de communibus Canonistarum sententiis, in his, quæ  
 pertinent ad doctrinam Canonum, loquitur: *In hujusmodi Canonum interpreta-  
 tione Ecclesie Judices, & administri concordem omnino Jurisconsultorum sententiam  
 amplectuntur. Qui enim in actionibus, vel Judiciis Ecclesiasticis, suo sensu, &  
 non communi Jurisperitorum omnium doceretur, sine dubio suo illum judicio Ecclē-  
 sia coerceret.*

§. 9. Præterea minus recte Nobis videris compilatione Decretalium Gregorii  
 IX. judicare. Non hic agitur de Gratiani Decreto, quod, ut pote privata au-  
 thoritate confectum, tantam vim habeat, quantam Textus in eodem adducti  
 ex se ipsi habere noscuntur. Non agitur de aliqua ex aliis quinque Decreta-  
 lium compilationibus, quæ Gregorii IV. opus præcesserant, & quarum non-  
 nullæ a privatis Auctoribus concinnatæ fuerunt. Res est de sexta illa compi-  
 latione, quam Gregorius Pontifex a Sancto Raymundo de Pennafort adnotari  
 iussit, quamque approbatione Pontificia munivit, mandans, ut ea sola deinceps  
 in Tribunalibus, & scholis deberet usurpari. En illius verba in Præfatione  
 Decretalium: *Volentes igitur, ut hac tantum Compilatione universitatur in Ju-  
 diciis, & in Scholis, districtius prohibemus, ut quis præsumat aliam facere, absque  
 Auctoritate Sedis Apostolicæ.*

§. 10. Non latuit Gregorium, multa in Decretalibus rescata fuisse ab ea-  
 rum Compilatore, quam idem Pontifex in dicta Præfatione hoc ipsum innuat,  
 iis verbis: *Rescatis superfluis;* Voluit tamen singulis Constitutionibus præfixum  
 manere nomen Auctoris. Idem quoque deinceps præstitit Bonifacius  
 VIII. in sua Compilatione Libri VI. similium Decretalium a Romanis Ponti-  
 ficibus conditarum, quibus, licet multimode, ubi opus fuit, a se immutatis,  
 atque truncatis, nihilominus præfixum reliquit Auctorum nomen; siquidem  
 idem Bonifacius sic loquitur in Proœmio. *Pluribus plane rescatis, reliquis qui-  
 busdam ex eis abbreviatis, aliquibus in toto, vel in parte mutatis, multisque cor-  
 rectionibus, detractionibus, & additionibus prout expedire vidimus, factis in ipsis.*  
 Constat etiam, Clementem Papam V. pari modo se gessisse, dum suo Clemen-  
 tinarum Libro inservit Concilii Viennensis Constitutiones tanquam a se ipso  
 factas in eodem Concilio, quamvis, Synodo peracta, eas rescasse, atque mu-  
 tasset, uti testatur Joannes Andreas in Glossa ad Præfationem earundem Cle-  
 mentinarum: *Demum per peritiores fecit illas recenseri, qui aliquas, & paucas  
 in totum reservaverunt, aliquas mutaverunt quo ad verba, mente servata; in  
 aliquibus mentis, & verbi detraxerunt, & has licet non sub his verbis in Conci-  
 lio publicatæ fuissent, voluit sub nomine Concilii reservari.* Quod pariter testa-  
 tur Bernardus Guidonius, Auctor illius ætatis, in suo Codice manuscripto, qui  
 in Bibliotheca Nostra Vaticana asservatur; idemque legitur in duabus Historiis  
 de vita ejusdem Pontificis a Balutio publicatis.

§. 11. Qua in re prædicti Pontifices, Gregorius, Bonifacius, & Clemens  
 exemplum sequuti sunt Triboniani, aliorumque doctissimorum Jurisconsultorum  
 qui veteres Leges, Responso Prudentum, & Præcedentium Imperatorum Co-  
 dices in Corpus Juris nostri Civilis redigentes, non dubitarunt, quæcumque  
 opus erant, emendare, corrigere, & immutare; & nihilominus Auctorum no-  
 mina:

PONT. mina singulis Responsis, & Legibus præfixa reliquerunt; accedente nimirum ANNO expressa Justiniani Imperatoris approbatione; cujus hæc verba sunt, in promulgatione Pandectarum, & Codicis, Senatui, Populoque Constantinopolitano A. V. præscripta: *Tanta autem a Nobis antiquitatis habita est reverentia, ut nomina Prudentum, taciturnitati tradere nullo modo patiamur; sed unusquisque eorum, qui Auctor Legis fuit, Nostri digestis inscriptus est, ut si quid Legibus eorum supervacuum, vel imperfectum, aut minus idoneum visum esset, vel adjectionem, vel diminutionem necessariam accipiat: Et intra: Nam nomina quidem veteribus servavimus, Legum autem veritatem nostram facimus. Et alibi: Nonimibus enim Veribus relictis, quidquid Legum veritati decorum, & necessarium fuit, hoc nostris emendationibus servavimus.* 1744

§. 12. Sic igitur Prædecessor Noster Gregorius IX. suam confici jussit Decretalium compilationem, qua hodie in scholis, & in Foro utimur, eamque abrogatis aliis prioribus, publica auctoritate, & Pontificia confirmatione munivit. Huic Collectioni insertam voluit Decretalem Alexandri III., demptis ex ea verbis illis, quibus, ut cotendis, indicabatur, matrimonium, de quo ibi agebatur, duplici ex capite irritum, & nullum fuisse, & nullum fuisse, quia cum Adultera contractum fuerat, & quia machinatio in necem prioris Uxoris præcesserat. Retulit vero alia verba, ex quibus, ut jacent, consuleratis, eruitur sententia superius a Nobis exposita, quod nempe proles ex adulterio procreata neutiquam legitimatur per subsequens matrimonium, post mortem prioris Uxoris, cum Adultera contractum. Non tamen ex ea Decretali nomen Alexandri III. delevit. Omnia hæc pro concessis interim habeto. Verum his positis, quidnam inde pro sententia tua erui posse putas? Potuit Gregorius ita se gerere, immo non aliter debuit facere, quam fecit. In animo illi erat locum dare in nova Compilatione Decretali Innocentii III., quæ incipit *Significasti*, quæque legitur sub Titulo *De eo, qui duxit in matrimonium* &c. In hac Decretali Innocentii III., quæ posterior est alia ab Alexandro III. condita, manifeste definitur (quod & ipse agnoscis), matrimonium inter Adulterum, & Adulteram consistere posse, nisi machinatio sæpedita, aut promissio futuri matrimonii præcesserit: *Discretionem vestrae*, Innocentius ait, *per Apostolica scripta mandamus, quatenus, nisi alter eorum in mortem defunctæ Uxoris fuerit machinatus, vel ea vivente, sibi fidem dederint de matrimonio contrahendo, matrimonium illud legitimum judices.* Quam autem Gregorius collocare vellet in sua Collectione tum Decretalem hanc Innocentii III., tum alteram Alexandri III., plane vides, necesse illi fuisse abjicere ab hac Alexandrina Decretali verba illa, quæ tuo judicio, nullitatem matrimonii inter Adulterum, & Adulteram statuebant.

§. 13. Nunc igitur, bona fide, differendo, iterum quærimus: quid tandem illud est, quod contendit? Filios ne illos, de quibus agitur, legitimos esse; propterea quod, juxta Decretalem integram Alexandri III. pro legitimis habendi essent? At nihilominus illegitimi sunt, quia tales ab Innocentio III., & Gregorio IX. declarantur, & quia, malo ipsorum fato, nonnullis jam sæculis post horum Pontificum mortem in lucem sunt editi. At manifestum fieri cupis, te scientiam Sacrorum Canonum funditus callere, neque contentum esse his, quæ in Gregoriana compilatione leguntur, sed altius ab ipsis fontibus doctrinam tuam repetere? Nihil tibi controversiæ nobiscum de hoc erit, Venerabilis Frater, Diligentiam potius tuam commendamus, studium laudamus: nemo tibi succensere poterit, quod integram Decretalem inspicere velis, ubi in aliquam incurreris, quæ in Gregoriana Compilatione deprehenditur decurtata. Verumtamen nemineris, laudandam quidem illius diligentiam esse, qui Decretalem integram consulit, ut eam, quæ integra non est, perfectius intelligat, quemadmodum optime advertit Clarissimus Antonius Augustinus in sua præfatione, Gregorio XIII. Pontifici Maximo inscripta, quam præmisit

Volu-

PONT. Volumini quatuor priorum Capitulationum Litterarum Decretalium, quas ipse ANNO  
 edidit; quibusque deinceps quintam adjecit Innocentius Cironius: sed neque  
 A. A. probandum scito, neque ferendum, quod quid ad integram Decretalem confu- 1744  
 giat, ubi perspicua, & dilucida est illa, quæ aliquo modo mutilata fuit, &  
 suprema ad hunc effectum pollebat auctoritate; eaque de causa detractum fuit, qui  
 disciplina, quam ipse Legislator servari voluit, in tuto poneretur; neve tur-  
 bari illam, & mutare contingeret, si tota Decretalis novæ Compillationi in-  
 ferta fuisset.

§. 14. Hucusque differuimus, tuum tibi permittentes assertum, quo pro cer-  
 to ponis, aliquod interesse discrimen inter Decretalem integram Alexandri III.,  
 aliamque contractam, & quidem in integra Decretali nullum declarari matrimo-  
 nium ibi relatum, ex duplici capite; tum scilicet, quia inter Adulteros,  
 defuncta Uxore legitima, contractum fuerat; tum quia machinatio accesserat  
 in vitam prioris Uxoris: & ex utroque præfato capite simul considerato, pro-  
 lem illegitimam ceneri: mutilam vero Decretalem validum admittere matrimo-  
 nium cum adultera contractum post mortem prioris Uxoris, & tunc solum  
 hujusmodi matrimonium nullum in ea statui, quando machinatio intervenerit;  
 sed prolem nihilominus illegitimam declarari tam in uno, quam in altero ca-  
 su, etiam seorsim sumptis; tam scilicet ex causa simplicis Adulterii, ex quo  
 eadem proles progenita fuerit, quam ex causa præcedentis Parentum machina-  
 tionis in necem legitimæ Uxoris. Hæc, inquam, tibi hæcenus concessa vo-  
 luimus. Nunc vero tandem aggredimur demonstrare, Decretalem tam inte-  
 gram, quam minus integram, sibi metipsum perfecte constare, eademque prorsus  
 esse utriusque sententiam.

§. 15. Integra Decretalis, quæ refertur Tom. VI. part. 2. Conciliorum Col-  
 lectionis Harduini pag. 1819., Ita se habet: *Meminimus Nos Fraternitati Tuæ,*  
*super causa, quæ inter P., & R. de quadam hæreditate vertitur, quod idem P.*  
*nomine Sybillæ Uxoris suæ petebat, tali modo scripsisse; ut si constaret, prout li-*  
*tera tuæ continebant, inter R. Patrem, & Matrem, post ejus natiuitatem, ma-*  
*trimonium fuisse contractum, eum, omni appellatione remota, legitimum esse de-*  
*nunties, & ab hæreditate paterna propter causam prædictam nullatenus debere re-*  
*pellî. Tanta est enim vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum*  
*matrimonium habeantur legitimi.*

Hic statuit integra Decretalis, quod filii nati extra matrimonium, ex solu-  
 to, & soluta, accedente postea Matrimonio inter ipsorum Parentes, legitimi  
 fiunt. Nec aliquod porro statuitur in Decretali minus integra, quæ sic incipit:  
*Tanta est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium*  
*legitimi habeantur.*

§. 16. Progreditur integra Decretalis, & casum ponit, quo aliquis Uxora-  
 tus adulterium admittit, & filium ex eo habet, Adultera vero machinatur in  
 vitam legitimæ Conjugis; & hac demum defuncta, matrimonium inter Adulte-  
 ros contrahitur: *Verum quoniam P., ultra quam in Literis tuis continetur, No-*  
*bis significavit, quod Pater suus, vivente Uxore, Matrem R. tenebat, & cum in*  
*adulterio procreasset, & quod in mortem ipsius Uxoris Mater fuerit machinata.*  
 Hic vero Pontifex declarat, quod in hujusmodi facti circumstantiis, dummodo  
 probationes legitimæ suppetant, filius censendus erit spurium, præsertim si ma-  
 chinatio matris in vitam prioris Uxoris præcesserit: *Fraternitati tuæ &c. qua-*  
*tenus rei veritatem inquiras, & si tibi consiterit, quod vivente uxore, Pater*  
*prædicti R. Matre ipsius publice abusus fuisset, cum spurium, & ab hæreditate*  
*repellendum, præsertim si Mater ipsius in mortem prioris Uxoris fuerit machi-*  
*nata, decernas, quoniam inter se legitimum matrimonium contrahere non po-*  
*tuerunt.*

Hunc ipsum casum expendit Decretalis minus integra, & eandem omnino  
 definit.

PGNT. definitionem pronunciat spuriam scilicet esse prolem ex adulterio progenitam quam ANNO  
vis matrimonium, Uxore defuncta, inter Adulterum, & Adulteram contrahatur, 1744  
A. V. præsertim, si aut hæc aut ille machinatus fuerit adversus vitam prioris Uxoris. Si  
autem vir, vivente Uxore sua, aliam cognoverit, & ex ea prolem susceperit, licet post  
mortem Uxoris eandem duxerit, nihilominus spurus erit filius, & ab hæreditate repel-  
lendus; præsertim si in mortem prioris Uxoris atteruter eorum aliquid fuerit machinatus.

§. 17. Integra Decretalis, dum de adulterio loquitur, nihil aliud addit, quam  
vocem publice, quæ ad criminis probationem refertur, nec ullatenus sensum  
immutat circa id de quo nunc inquiritur. Quod ad machinationem attinet,  
integra Decretalis hanc ponit ab Adultera fuisse intentatam; at minus in-  
tegra eandem machinationem considerat, sive ab Adultera, sive ab Adultero  
processerit. Sed neque illud ad præsentem quæstionem facit. At vero tam in-  
tegra, quam minus integra Decretalis, in eo conveniunt, quod utraque de-  
clarat prolem ex adulterio procreatam, spuriam esse, nec legitimari, quamvis  
accedente Matrimonio inter Adulteros, post mortem legitimæ. Uxoris In utra-  
que autem, quum de machinatione agitur verbum illud adest, *præsertim*, de  
quo supra dicebamus. Dumque in his adamussim inter se conveniunt, frustra  
exaggeratur, prætenfa inter integram, & minus integram Decretalem discordia.

§. 18. Verum jam Fraternalitati Tuæ in mentem venisse suspicamur, incon-  
sulto a Nobis silentio præterita fuisse verba illa, quæ ad eam, quam agitamus,  
controversiam plus habent ponderis; & quæ in integra Decretali sunt, sed in  
altera minus integra desiderantur. Sic enim concluditur integra Decretalis  
(quemadmodum superius fideliter exposuimus): *Quoniam inter se legitimum  
Matrimonium contrahere non potuerunt*: Quæ quidem verba in Gregoriana Con-  
pilatione non sunt relata. Hæc autem pro argumento tibi facile erunt, ut as-  
seras, Alexandrum III. declarasse, Matrimonium inter Adulterum, & Adul-  
teram suapte natura nullum, & irritum esse, ob idque illegitimam esse prolem  
ex adulterio susceptam. Atque in hoc manifestissima, te iudice, est discrepan-  
tia inter Decretalem integram, & mutilatam; dum hæc validum admittit Ma-  
trimonium inter Adulteros contractum, at nihilominus eorum prolem spuriam  
declarat, neque per subsequens matrimonium ullo modo legitimandam.

§. 19. Plene si ita tecum reputares, Ven. Frat., non æquum de Nobis ju-  
diciam ferres. Nos enim præmissa Decretalis verba exacte referre, eaque justa  
lance pensare nequaquam omisimus. Verum id, quod ex iisdem inferendum esse  
autumas, Nos inde colligi posse non arbitramur. Etenim verba illa: *Quoniam  
inter se Matrimonium contrahere non potuerunt*: connexa immediate sunt cum a-  
liis: *præsertim si Mater ipsius in mortem prioris Uxoris fuerit machinata*: Ac pro-  
inde (ex regula Jurisperitorum, juxta quam *relatio fit ad proxima*) declaratio  
nullitatis matrimonii non quidem in præcedenti adulterio fundatur, sed in ma-  
chinatione adversus vitam legitimæ Uxoris; circa quam nulla inter Nos, ne-  
que etiam inter alios est controversia.

§. 20. Præterea concedatur etiam, verba illa: *Quoniam inter se legitimum  
Matrimonium contrahere non potuerunt*, non tantum ad machinationem paulo  
ante enunciata referri, ad totum id, quod in integra Decretali expositum  
fuit. Porro in integro Decretalis contextu agitur de matrimonio post prioris  
Uxoris mortem, non solum inter Adulteros, sed etiam prævia machinatione  
in prioris Uxoris mortem, contracto: *Nobis significavit, quod Pater suus, vi-  
vente Uxore, Matrem R. tenuit, & enim in adulterio procreasset, & quod in  
mortem ipsius uxoris Mater fuerit machinata*. En duas relati matrimonii circum-  
stantias simul unitas; ex quo sequitur, quod quamvis ea verba: *Quoniam in-  
ter se Matrimonium contrahere non potuerunt*: referri debeant ad totam facti spe-  
ciem cum suis circumstantiis in Decretali expressis; nunquam inde inferre po-  
teris, quod integra Decretalis pro nullo habeat quodlibet Matrimonium in  
Mœchos contractum, post obitum legitimæ Uxoris: sed illud dumtaxat, quod  
ibi

PONT. ibi expenditur, nullum judicatum fuisse, quia ei præcesserat machinatio in Anno  
prioris Conjugis necem. Nobis autem integrum erit asserere, quod, licet va-  
A. V. lidum ineatur matrimonium inter adulteros, deficiente machinatione, aliisque 1744  
circumstantiis de jure Canonico illud irritantibus; attamen proles tempore  
adulterii habita, illegitima semper erit, ad normam etiam Decretalis non mu-  
tilatæ, quæ ita statuit: *Et si tibi constiterit, quod vivente Uxore, Pater prædicti*  
*R. Matre ipsius publice abusus fuisset, eum spurium, & ab hereditate repelen-*  
*dum, præsertim si Mater ipsius in mortem prioris Uxoris fuerit machinata,*  
*decernas.*

§. 21. Sed quamquam destitutum te videas validissimo præsidio, quod, ad  
sententiam tuam sustinendam, in integra Alexandrina Decretali constitueras;  
attamen, pro ea, qua polles, eruditionis Ecclesiasticæ copia, in aliud te re-  
cipies propugnaculum, asseverans, matrimonium inter Adulterum, & Adul-  
teram, post mortem prioris Uxoris contractum, juxta veterem disciplinam,  
pro nullo habitum esse; tum adhuc ætate Alexandri III. hujusmodi disciplina  
viguisse; ac demum immutatam esse temporibus Innocentii III., cujus Decre-  
to, ad irritandum matrimonium inter adulteros, præter Adulterii crimen,  
requiri cœpit, aut machinatio in mortem legitimi Conjugis, aut promissio nu-  
ptiarum, post prioris Matrimonii solutionem, inter Adulteros contrahendarum.

§. 22. Non adeo tempore abundamus, & otio, ut Canonicam Dissertatio-  
nem super hac quæstione contexere valeamus. Nihilominus pauca quædam  
observare studebimus, quibus satis, superque tua refellatur assertio. Sane ei  
obstat S. Augustini Testimonium, relatum *Canone Denique 31. qu. 1.*, in quo  
sic legitur: *Denique mortuo Viro, cum quo verum connubium fuit, fieri potest*  
*conjugium, cum quo præcessit adulterium.* Profecto non ignoramus, Jacobum  
Cusacium asserere in *cap. 1. de eo, qui duxit in matrimonium &c.* quod ibi le-  
gendum sit: *Marito mortuo, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connu-*  
*bium non potest, cum quo prius adulterium fuit.* Sed exploratum quoque habe-  
mus in pluribus Vaticanis Codicibus particulam illam non in Augustino dees-  
se, sicuti deest in prædicto *Canone Denique*; quod etiam ii animadverterunt,  
qui Gratiani Opus, jussu Gregorii Papa XIII., recensuerunt, & emendarunt,  
ut videre est in Gratiani Decreto ipsorum opera edito. Genuinam hujusce lo-  
ci controversi lectionem procul dubio Frater, Tuus, pro sua eruditione, pe-  
tendam existimabit ex editione Operum S. Augustini, quæ studio Monacho-  
rum Sancti Mauri in Gallia prodiit. Sancti Doctoris locus in Canone relatus,  
habetur *Lib. 1. de Nuptiis, & concupiscentia cap. 10.*, isque in Editione Mau-  
rina legitur *Tom. 10. pag. 286.* hisce verbis: *Denique mortuo Viro, cum quo*  
*verum connubium fuit, fieri verum connubium potest, cum quo prius adulterium*  
*fuit.* Ab hac igitur accurata Editione abest particula non; quæ quidem in nul-  
la alia appareret, si seriem Contextus Editores præ oculis habuissent. Augu-  
stinus enim, mox ante verba, de quibus disputatur, probandum sibi propo-  
suerat, (uti revera probat) non solvi matrimonium, quod indissolubile est  
inter viventes, si Uxor Maritum deserat, & ad alterius contubernium mi-  
gret: idque confirmando, subdit, quod contubernium illud pro adulterio ha-  
beri non posset, si primum legitimum matrimonium dissolutum fuisset: *Cum*  
*alias quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum Conjuges permanerent,* Hoc  
postquam quisnam bona fide legendum putabit: *fieri verum connubium non potest?*  
Ubi orationis scopus is esse conspicitur, ut, demonstrato sine durationis ma-  
rimonii: *Denique mortuo viro, cum quo verum connubium fuit;* finis etiam  
Adulterii, & initium novi legitimi matrimonii statuatur: *fieri verum connu-*  
*bium potest, cum quo prius adulterium fuit.*

§. 23. Ne vero a Nobis expectes plenam hoc loco proferri historiam disci-  
plinæ, quæ super hac in sequentibus sæculis Ecclesia obtinuit. Hujusmodi in-  
quisitio nimis profecto excederet Epistolæ modum. Verum quia tibi persuasum  
esse

PONT. esse vidimus, quod ipsa ætate Alexandri III. nulla censerentur matrimonia, ANNO  
 quæ inter Adulteros quomodocumque fierent, satis erit intra illius ætatis ter-  
 A. V. minos inquisitionem hanc nostram coarctare. 1744

§. 24. Non longe quidem ab Alexandri III. ætate, ut optime nosti, distat Gratianus Decreti compiler, qui ante Alexandri Pontificatum paucis omnino annis suum illud Opus vulgavit. Is hanc eandem controversiam tractat in *Causa 31. qu. 1.*, & pro utraque sententia, ut solet, Textus discordantes adducit. Cum vero Canonem attulisset cujusdam Concilii, quo statuitur, ne quos, moriente Marito Mulieris, quam adulterio polluit, cum ea matrimonio jungatur, hunc Textum cum aliis ibi relatis, atque contrarium statuentibus, ita conciliat: *Hic subaudiendum est, nisi prius peccata pœnitentia, & si nihil in mortem Viri machinatus fuerit, vel si vivente Viro, fidem Adulteræ non dedit, se sumpturum eam sibi in conjugem, si viro ejus superaveret.* Verum Gratianus, inquit, non habet auctoritatem, qualem Textus Canonici habere noscuntur. Neque id negamus. At gravis est Auctor, & Canonum valde peritus: neque ipse ea scripsisset, quæ modo retulimus, si ætate illa (quam diximus in tempora Alexandri fere incidisse) locum obtinuisset disciplina, seu lex, vigore ejus, ob solum præcedens adulterium, irritum haberetur matrimonium, post mortem legitimi Conjugis, inter Adulteros Contractum.

§. 25. Similiter Inter Alexandrum III., & Innocentium III. Pontifices, vix quadraginta annorum spatium intercedit; quum Alexander ad Pontificatum evehctus sit anno Domini MCLIX.; Innocens vero anno MCXCVIII. Hic autem, ut supra innuimus, in *cit. cap. Significasti. De eo, qui duxit in matrimonium &c.* pronunciat validum, & legitimum existere matrimonium inter Adulterum, & Adulteram post prioris Uxoris mortem: *Nisi alter eorum in mortem Defunctæ Uxoris fuerit machinatus, vel ea vivente, sibi fidem dederint de matrimonio contrahendo;* quod etiam ipse concedis, dum affirmas Innocentium II. novam hanc disciplinam in Ecclesiam invexisse. Sed cum Innocentius nequaquam dicat, se novam per hoc disciplinam inducere; quin immo, ad quæstionem sibi propositam ab Episcopo, sive a Capitulo Spoletano, profiteatur, se responsurum juxta Canonum præscripta: *Nos igitur inquisitioni vestræ secundum formam Canonicam respondentes &c.*, evidens est, jampridem, & ante tempora etiam Alexandri III. validum habitum fuisse matrimonium, quod inter Mœchum, & Mœcham, & legitimis nuptiis solutis, & prædictis irritantibus circumstantiis non concurrentibus, contrahebatur. Equidem in Compilatione Decretalium Gregorii IX. minime reperies relata verba: *Nos igitur inquisitioni vestræ secundum formam Canonicam respondentes;* sed earum loco, hæc alia leges: *Nos igitur inquisitioni vestræ taliter respondentes &c.* Verum, quoniam res Nobis erat cum eo Canonum Doctore, qui vulgata Decretalium compilationem neutiquam contentus, integram Decretalem consulere mavult, eadem ratione Nobis agendum esse judicavimus. Itaque etsi prædicta verba: *secundum formam Canonicam*, in Decretali minus integra desiderentur; leguntur tamen in integra Decretali; qua Nos quidem minime abutimur, dum ea ad Decretalis minus integræ sensum non corrupendum, sed illustrandum, advocamus.

§. 26. Esto, inquit, quod ad Innocentium III. attinet. Sed nonne immediatus istius Prædecessor Cœlestinus III., in *Cap. cum haberet. De eo qui duxit, &c.* nulla declaravit matrimonia inter Adulteros, post prioris Conjugis mortem, contracta, etiam non interveniente machinatione, aut sponcione futuri matrimonii?

§. 27. At vide ne forte, in hac Decretali pro te alleganda hallucineris. Quidam Joannes Uxorem legitimam habebat, Allitiam nomine, ipsique simul adulterii consuetudo cum famula intercedebat. Quum vero semel Superioris Ecclesiastici præcepto adactus Adulteram dimisisset, postea tamen in idem rela-  
bens



PONT. bens scelus, ausus, est vivente adhuc prima Uxore, reverti ad famulæ contubernium, in eoque quasi matrimonialiter per decenium perseverare, unde & decem filios ex ea procreavit. Defuncta demum Uxore, quum consuleretur Pontifex (quem aliqui non Cœlestinum, sed Clementem III. hujus Decessorem fuisse autumant) quidnam statuendum esset de hujusmodi Adulteris, qui in eadem prava consuetudine adhuc perseverabant; tale dedit responsum: *Ut separarentur omnino, & eis competenti pœnitentia injuncta, perpetua continentia indicatur; habita porrius ratione ipsorum pervicaciæ, gravisque scandalis, quo Ecclesiam perturbaverant.*

ANNO

A. V.

1744

§. 28. Ex ipsa simplici hac rei narratione, facile agnosces, non ibi quæstionem fuisse de validitate, aut nullitate matrimonii, post mortem prioris Uxoris inter Adulteros contrahendi, sed de pœnitentia Canonica adverius gravissimum crimen irroganda: quæ quidem hujusmodi fuit, ut non modo ipsis Adulteris prohibitum fuerit matrimonio invicem copulari, sed etiam cum alia qualibet persona matrimonium contrahere: *præsertim cum in dies suos ambo processerint & jamdiu publice in Adulterio, & perjurio, ex certa scientia perdurantes, Ecclesiam in gravi scandalo perturbaverint, ut eadem Decretalis prosequitur.*

§. 29. De validitate quidem matrimonii inter Adulterum, & Adulteram, ex instituto agit Alexander III. in Epistola sua Decretali, quæ tamen nostris Compilationibus inserta non est, sed reperitur, in actis Conciliorum Collectionis Harduini præfatæ, Tom. VI. part. 2. pag. 1838., ea vero sic habet: *Ex presentium laboris confessione percipimus, quod cum ipse quendam alterius Uxorem in adulterio pollisset, pœnitentiam inde suscepit. Sed postea in eundem incidit, Diabolo instigante, reatum; ac eandem Mulierem, Viro defuncto, sibi in matrimonium copulavit, eamque asserit in præsentem pro Conjuge retinere.*

§. 30. Super his autem quum Alexandri judicium requireretur, respondit, non (quod tu quidem velles) matrimonium rationem adulterii, invalidum fuisse, sed nullitati obnoxium fore, si machinatio, aut promissio nuptiarum intervenisset. *Verum quoniam Nos de salute Animarum ipsarum sollicitè compellimur in Domino cogitare, Fraternitati Tuæ &c. quatenus rem ipsam diligenter inquiras, & si tibi constiterit, quod ille, vel illa in mortem prioris Viri fuerit machinatus, vel si, eo vivente, fidem ipsi Mulieri dederit, se eam in Conjugem recepturum, eos non differas penitus separari.*

§. 31. Neque hic sinit Alexander, quin etiam dicere non omittit, quid juris esset, si solum adulterium præcessisset; tunc enim nequaquam matrimonium irritum fore declarat (quod utique non taceret, si hujusmodi disciplina eo tempore viguisset; quemadmodum supra de eo matrimonio pronunciaverat, in quo ad crimen adulteris accessisset machinatio, aut promissio futuri conjugii), sed jubet procedi in causa secundum Canonicas regulas: *Quod si neutrum istorum constiterit, in causa ipsa juxta Ecclesiasticam consuetudinem, & Canonica statuta procedat: Si autem quæsieris quidnam hac de re consuetudo Ecclesiastica, & Canonica statuta decernerent; respondemus, satis probabile videri, respexisse Alexandrum ad Concilii Toletani VI., anno sexcentesimo trigésimo octavo celebrati, constitutum, quod extat Can. de his 33. qu. 2., & in quo præscribitur methodus cum iis servanda, qui post pœnitentiam publicam peractam, in idem reciderent crimen, pro quo subjecti fuerant pœnitentiæ. Canonem hunc, quum tibi vacaverit, legere poteris, atque perpendere; sed frustra in illo quæras nullitatem matrimonii inter Adulteros ipso jure statutam; deficientibus aliis irritantibus circumstantiis, a Nobis pluries memoratis.*

§. 32. Attamen, quod ibi statutum non reperitur, alibi te sine ullo labore invenisse affirmabis, in nostra nempe Collectione Gregoriana super Titulo superius allato, De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium. Cap. propositum, quod est ipsius Alexandri III. ubi sic legitur: *Licet autem in Canonibus habeatur, ut nullus copulet in matrimonio, quam prius polluerat adulterio,*

PONT. terio; & illam maxime, cui fidem dederat, Uxore sua vivente, vel qua machinata est in mortem Uxoris; & quidem validum tibi argumentum dices suppetere in ea voce maxime, qua indicari videtur nullitas matrimonii inter Adulterum, & Adulteram ( de quo Pontifex in superioribus locutus erat ), etiam non concurrente machinatione, nec data fide futuri matrimonii.

§. 33. Forte putabis, Nos adversus hæc responsionem nostram comparantes, grammaticalem controversiam tecum agitare velle de significatione illius verbi maxime; eaque de re a Nobis consultum iri libros veterum Canonistarum præsertim Abbatis, qui in *cit. Cap. Propositum* audacter sustineat vocem illam maxime in relato Textu, æquipollere adverbio *solum*. Verum si ita de Nobis opinatus fueris, haud ægre feras Nos tibi respondere, non satis tibi notum esse morem, animumque Nostrum; Nos enim in veritatis inquisitione, nequaquam hujusmodi nugis, levibusque fundamentis innitimur, & quæstiones inutiles profus adversamur.

§. 34. Itaque respondemus, veram Alexandri Pontificis mentem circa ea, de quibus nunc agimus, minime eruendam esse ex aliquibus verbis, quæ ipsi excidere potuerunt, dum aliam omnino quæstionem definiret. Sed videndum esse potissimum, quid ipse scripserit; quum data opera eam pertractaret quæstionem, quam præ manibus habemus. Porro Alexander in *Cit. Cap. Propositum* respondet Abbati Santi Albani, qui ab ipso quæsierat, quidnam statuentum esset de quodam domino, qui vivente Uxore sua, alteram sibi matrimonio copulaverat, insciam conjugii, quo is adstrictus erat, & filios ex altera illa procreaverat; Uxore vero defuncta, renuebat cum prædicta Muliere permanere, sub obtentu, quod invalidum cum ipsa matrimonium contraxerat, legitima Uxore adhuc superstite. Pontifex ergo quum eam circumstantiam magni æstimaret, quod scilicet *præfata Mulier erat inscia, quod ille aliam Uxorem haberet viventem*, nec æquum censeret, prædictum Virum, qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportare, statuit, ut, si quidem ipsa Mulier id postularet, divortium inter eos fieret; non vero, si, volente Muliere in hujusmodi connubio perseverare, Vir peteret ab ea separari.

§. 35. Quæstionem hanc definiendam sumpsit Alexander in *cit. Cap. Propositum*, & quæ ita definiuit, ut præcipuam æquitatis, prudentiæque rationem ab illo habitam esse dignoscatur; eaque definitio unice est attendenda. Si autem, dum Legislator de principali argumento verba facit, quidpiam ab ipso extraneum minus recte dictum esse comperiatur, minime debet enunciatio haud satis accurata aut Legislatori vitio verti, aut in veritatis præjudicium trahi; neque potest pro regula juris id accipi, quod sic ab eodem Legislatore, veluti prætereundo, dictum fuisse apparet, præsertim cum ipse opportuniore occasione oblata, iudicium suum super eadem re aperte declaraverit.

§. 36. Nos autem in hoc præcise casu versamur. Idem nimirum Alexander, cui in *cit. Cap. Propositum*, ea verba exciderunt, quibus, ut tibi visum est, negavit, validum matrimonium esse posse inter adulteros, defuncto legitimo Coniuge, etiam absque aliis irritantibus circumstantiis; Idem inquam, in alla sua Decretali, quam ex Collectione Conciliorum Harduini supra retulimus, quum directe ab eo quæreretur, an nullum censendum foret hujusmodi matrimonium; nullum illud esse respondit, si machinatio, aut nuptiarum promissio intervenerint. Isque Pontifex hoc ipsum firmat in *cap. super eo. De eo, quæ duxit in matrimonium &c.*, ubi sic habet: *Super, eo vero quod de Latore præsentium tuis Literis quæsvisti; an liceat cum ea sibi matrimonium contrahere, quam alia sua Uxore vivente, sibi de factò matrimonio copulavit; tua sollicitudini duximus respondendum, quod si Adultera est in mortem alterius aliquando machinata, sive ipse fidem dederit, quod eadem defuncta, hanc esset ducturus, secundum Canones ab ejus consortio perpetuo prohibetur; & hæc prohibitio perpetua est observanda. Quibus verbis: perpetuo prohibetur, & prohibitio perpetua est observanda,*

PONT. *servanda*, pro ea, qua polles, Canonum scientia, plane intelligis, impedimentum designari, quod a Doctoribus dirimens appellatur, illudque, per hujus  
 A. V. Decretalis contextum, ad casum præcedentis machinationis, aut pacti conubii coartari. ANNO 1744

§. 37. Superest nunc, ut, licet prolixior jam hæc Epistola evaserit, quam Nobis initio propositum fuerat, aliqua tamen addamus, quæ adhuc legere non graveris, quemadmodum præmissis hucusque animum patienter adhibuisti. Nec enim, levioribus prætermisissis, quidquam a Nobis præteriri decet ex his, quæ in Literis Fraternitatis Tuæ gravioribus sunt ponderis & momenti.

§. 38. Legitimationem Proles ex soluto, & soluta procreata, quæ sit per subsequens matrimonium, ex Sacramenti virtute derivandam esse putas, eodem Alexandro III. auctore, qui ait: *Tanta est vis Sacramenti, ut qui antea sunt geniti post contractum matrimonium habeantur legitimi*. Unde arguis, quod, si isti ex vi Sacramenti legitimantur, nihil obstat, quominus filii pariter ex adulterio suscepti, tanti Sacramenti virtute, legitimi evadant.


§. 39. Verum ubi a Te legitur: *Tanta est vis Sacramenti*, Nos legimus: *Tanta est vis matrimonii*, quemadmodum scriptum est in Decretali Alexandri III. cap. *Tanta. Qui filii sunt legitimi*. Quod si ad integram Decretalem, quæ apud Harduinum est de more provocas; rogamus, ne te pigeat in marginem quoque oculos conjicere; ibi enim, loco verbi *Sacramenti*, adnotatum reperies aliud *matrimonii*. Nec aliter profecto res se habere poterat. Vis enim, ac dignitas matrimonii, qua Sacramentum est, in eo est posita, quod gratiam sanctificantem confert, quod unionem hypostaticam Verbi Divini cum humana natura repræhensat, itidemque illam, quæ Christus cum Ecclesia per gratiam conjungitur; non autem in eo sita est, quod spuriam prolem legitimam efficiat. Neque enim hanc efficaciam Jesus Christus tribuit matrimonio, quum illud ad dignitatem Sacramenti novæ Legis evexit; sed id ab Ecclesia institutum est, cui placuit, pro auctoritate sibi concessa, statuere, ut proles extra matrimonium, non tamen ex adulterio, procreata, per subsequens matrimonium legitima fieret.

§. 40. Denique addis, magis abominatam Canonicis legibus esse prolem incestuosam, quam sit proles adulterina; ideoque quum illa interdum legitima fiat, hanc etiam pari, aut majori ratione legitimari posse. Porro legitimatur proles incestuosa ope dispensationis, quæ dicitur *in radice matrimonii*. Ut autem obtineatur hujusmodi Dispensatio, quæ non sine urgentissima causa concedi consuevit, requiritur, quod proles nata sit ex copula non manifeste fornicaria, sed putative matrimoniali, quodque impedimentum, quo matrimonii nullitas inducta est, non a jure Divino, aut naturali, sed a jure dumtaxat Ecclesiastico proveniat. Sicque, & non aliter, legitimatur proles incestuosa, vigore dispensationis, quæ dicitur *in radice matrimonii*. Tuum modo est hujusmodi circumstantias aptare ad legitimacionem proles ex adulterio genitæ; quod sane opus ingenii Nostri tenuitatem excedere fatemur.

§. 41. Hactenus Fraternitati Tuæ satisfacere studuimus, quoad Nobis licuit per angustias temporis, ut plurimum somno detracti; meram gerentes in hac Epistola, ut initio dicebamus, privati Doctoris personam. Nunc demum Epistolæ Nostræ finem facientes, Supremi Pastoris partes, resumimus, ut Apostolicam tibi Benedictionem impertiamur; utque præterea te admoneamus, quod, quum ea, quæ ad Nos scripsisti, a Justo Henningio Boehmero (quantumvis nullam de eo mentionem feceris) mutuatus, eaque descriptis ex ejus Opere de Jure Ecclesiastico Protestantium Tom. I. pag. 287., & sequentibus, juxta tertiam editionem anno 1730. Typis imprellam; sicuti laudabilis foret industria tua, si eo auctore usus es ad venerabiles Ecclesiæ Catholicæ doctrinas illustrandas, aut si ipse in iis, in quibus Nobis adversatur, confutare aggressus esses, ita reprehensionem te obnoxium fecisti, dum illius opus perlegere, atque

PONT. atque etiam tacitus transcribere ausus es, ut ad impugnandas Canonicae Jurisprudentiæ sententias inter Orthodoxos communiter receptas, instructior accederes. At ne forte paterni hujus moniti libertatem in malam partem accipias, Tibi persuasum volumus, non minus sincero charitatis affectu Nos te complecti, ac Fraternitati Tuæ fausta omnia ex animo adprecari.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 5. Decembris 1744. Pontificatus Nostri Anno quinto.



PONT.

N U M. XXXIX.

ANNO

A. V.

A L T A R E

1744

A Pontifice consecratum, super quo Sacrum fecit, varis privilegiis decoratur.

*Charissimo in Christo Filio Nostro Joanni Portugallia, & Algarbiorum Regi Illustri.*

### BENEDICTUS PP. XIV.

*Charissime in Christo Fili Noster, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**D**ilectus Filius Emmanuel Pereyra Sampajus Militiæ Ordinis Jesu Christi Commendator negotiis Majestatis Tuæ apud Sanctam Sedem præpositus sæpissime Nobis declaravit Regale prorsus consilium ac pietatis plenum, excitandi magnificum Sacellum in Ecclesia, quæ in Civitate ista Lisbonæ Sancto Rocco nuncupata est: primam totius rei formam carta exaratum ac delineatam nostris subjecit oculis, nempe opera sive ex marmore, sive ex ære ducenda, aptissimas & elegantes gemmarum conjunctiones, ac tabulas effingendas ex opere concinne tessellato, quibus omnibus perficiendis peritissimi hujus Urbis Artifices sedulo modo impendunt industriam, & quæ Nos ipsi (cum absoluta penitus fuerint) invisuros promissimus, antequam Lisbonam transvehantur. Postremo idem Commendator Sampajus Nobis exposuit, gratissimum fore Majestati Tuæ, si, perfecto jam lapide Altaris erigendi in Saccello, quod superius innuimus, ad ipsum consecrandum Nos ipsi devenerimus. Itaque cum jucundissimum Nobis sit morem gerere voluntati Majestatis Tuæ, quæ Dei cultum augere semper experit, & simul nostri Apostolici muneris partibus satisfacere; hinc absque ulla hæsitazione Nos paratissimos ostendimus, ut hujusmodi Consecrationem susciperemus in Ecclesia Sancti Antonii, quæ ad Lusitanos pertinet, die decimaquinta mensis Decembris anni proxime elapsi, quo in Templo octiduum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ celebrabatur. Quapropter Venerabilem Fratrem Nostrium Vincentium Episcopum Sabinensem S. R. E. Cardinalem Bichium nuncupatum, olim Apostolicæ Sedis Nuntium apud Majestatem Tuam, designavimus, qui præcedenti vespera sacras Reliquias exponeret; & re integre peracta, juxta leges, quæ a Sacris Ritualibus præscribuntur; Nos postera die solemnè indito comitatu ad eandem Ecclesiam S. Antonii venimus, eamque splendide magnificeque ornata deprehendimus. Cardinales octo Nobis advenientibus in Ecclesiæ liminibus adfuerunt. Post hæc initium fecimus Consecrationi totius lapidis, qui in parte ejusdem Templi aptissime collocatus ante fuerat. Postquam, Deo juvante, finem Consecrationi imposuimus, licet plurium horarum spatium requireret, eam facultatem Nobis haudquaquam tribuimus, quæ a Pontificali conceditur Episcopo consecranti, si debilitatus longo temporis incommodo fuerit, nempe ut alium

PONT. lium suo loco substituat, qui sacrum faciat; Sed Nos ipsi super consecratolapide Missæ Sacrificium celebravimus. Ritus ejusmodi pietatem incredibilem ac  
 A. V. Religionem præsetulit, ad quem, præter Cardinales, quos jam memoravimus, omnes quoque Principum exteriorum Oratores, Præsules, & Optimates magna frequentia convenerunt. Res universa decenter ordinateque peracta fuit, ob eximiam operam studium, sumnamque diligentiam, qua idem Sampsus Majestatis Tuæ negotiis apud Sanctam Sedem præpositus maxime præcellit.

ANNO  
 1744

§. 1. Equidem cum Nos ipsi sacraverimus hoc Altare, & super ipso Deo operati Sacrum fuerimus, ob hanc causam Pontificium Altare appellandum est, nec ulli licet Sacerdoti ad ipsum accedere, ut Missæ Sacrificium peragat, nisi antea facultas nostra intercesserit, juxta morem, & institutum S. R. E. quæ Mater, & Magistræ cæterarum Ecclesiarum habenda est. Id aperte demonstratur exemplo Altarium, quæ sunt in Ecclesiis Lateranensi, Vaticana, aliisque Patriarchalibus hujus Urbis, in quibus Aris solus Romanus Pontifex Sacrum facere potest, aut etiam Cardinalis aliquis certis temporibus, facta tamen prius a Pontifice potestate, quæ per Apostolicum diploma declaratur. Anno 1588. Sixtus V. Decessor noster Sanctum Didacum solemniter ritu inter Cœlites adnumeravit, ac deinde Philippo Catholico Regi dono misit Altare, ad quod Sacrum fecerat, cum ritum ejusmodi Canonizationis perageret; Pontificium illud Altare pronuntiavit, permisitque Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus Thiaræ insignitis, & illis, qui primam Dignitatem in Ecclesiis Metropolitanis, & Cathedralibus obtinerent, demum Generali Ministro Ordinis Minorum S. Francisci, ac Priori in Monasterio S. Laurentii, Sacrificium Missæ super eodem Altari conficere diebus Festis Domini, Beatissimæ Virginis, Feria quinta in Cœna Domini in celebritate Sanctorum omnium, & Sancti Didaci, ut constat ex ejus Diplomate, quod die 20. Augusti promulgatum fuit eodem anno, quem paulo ante indicavimus.

§. 2. Nos quidem instituta Decessorum Nostrorum retinere perpetuo volumus; sed quibusdam gravibus causis adducti, paululum declinabimus ab ea via, ac ratione, quam illi pro hujus rei executione tenuerunt. Ipsorum sententiæ constanter adhæremus, nemini licere ad Pontificias Aras Sacrum celebrare, nisi prius Apostolicam facultatem pro re gerenda consequutus fuerit; tamen pro eadem facultate tribuenda diversum consilium a Decessoribus nostris suscipiemus; etenim cum Romæ Diploma Pontificis toties necessario requiratur, quoties ad Aras hujusmodi Romæ existentes Missæ Sacrificium indicandum est, & eadem facultas solis Cardinalibus conferatur, nempe cum dies quidam festi peculiates celebrantur; & cum Sixtus dies etiam illos designaverit, quibus liceret Sacrum facere Altari, quod ad Catholicum Hispaniarum Regem Matritum transvehi jusserat; Nos pietate singulari Majestatis Tuæ permoti, & sperantes etiam ob singularem Dei bonitatem fore, ut reliqui omnes Lusitanæ Reges eadem pietatis laude commendentur, absque ulla dierum, aut Sacerdotum limitatione, Majestatem Tuam, & Reges Lusitanæ pro tempore futuros constituimus, ut nostro nomine, & Sanctæ hujus Sedis, facultatem impertiant Sacrum faciendi ad Altare, quod a Nobis consecratum Lisbonam devehatur; pro certo habentes id ipsum negotium tam caute, ac prudenter a Majestate Tua pertractandum esse, ut nihil unquam futurum sit, quod rationi parum consentaneum videatur. Insuper idem Altare perpetuo privilegiato declaramus, quamvis in Ecclesia Sancti Rocchi aliud Altare præditum simili jam privilegio existat: Regi autem Lusitanæ pro tempore, item Reginae cæterisque eorum Consanguineis, & Affinibus usque ad tertium gradum inclusive, plenariam indulgentiam, & omnium delictorum remissionem elargimur, quoties poenitentia Sacramento expiati, & Sacra Synaxi refecti, ante ipsum Altare preces ad Deum effundent, ut hæeres extinguat, Christianos prin-

PONT. Principes ad concordiam deducat, & Sanctam Ecclesiam in altiore[m] gloriæ, ANNO  
& dignitatis locum efferat.

A. V. 6. 3. Hæc a Nobis præstanda duximus, ut Majestas Tua benevolentiam no- 1744  
stram magis agnosceret, gratique animi studium pro tot beneficiis, quæ Nos  
amantissime concessit. Illud quoque persuasum habeat optamus, hæcere desi-  
nam animo Nostro Sui memoriam, & quoties Sacrum Deo facimus, enixe  
petere, ut Majestatem Tuam omni cumulet felicitate, cui Nos pariter Apo-  
stolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die  
XV. Januarii MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno quinto.

*Cajetanus Amatus.*

PONT.

N U M . X L .

ANNO

A. V.

D E C L A R A T I O

1745

*Super Constitutione, quæ incipit -- Sacramentum Pœnitentiæ adversus  
solicitanes Anno MDCCXLI, edita.*

## B E N E D I C T U S P P . X I V .

*Ad Futuram Rei Memoriam.*

**A**postolici muneris partes in procuranda præcipue rerum sacrarum pura,  
illibataque penitus administratione versari debere probe intelligentes,  
non modo & assiduis hortationibus, & justa, ubi res postulat, legum  
severitate, ut ab Ecclesiasticis quibusque Ministris sancta sancte tractentur,  
quantum cum Domino possumus, providere studemus; verum etiam leges ipsas,  
ne forte sinistris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut im-  
moderati rigoris, aut detestabilis laxitatis perperam detorqueantur, opportu-  
ne communicare ac roborare pro earundem tuendo vigore, cum occasio popo-  
scerit, non præmittimus. Sane cum Nos alias per quamdam nostram Con-  
stitutionem, cujus initium est: *Sacramentum Pœnitentiæ*, anno Incarnationis  
Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Kalendis Junii Pon-  
tificatus Nostri anno primo editam omnibus, & singulis Sacerdotibus tam Sæ-  
cularibus, quam Regularibus interdixerimus, & prohibuerimus, ne aliquis eo-  
rum, extra calum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo,  
& deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire pos-  
sit, Confessionem Sacramentalem personæ complicitis in peccato turpi atque in-  
honesto, contra sextum Decalogi præceptum commisso excipere auderet; Ita-  
ut absolutio, si quam impertivisset, nulla, atque irrita omnino esset, tam-  
quam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione, & facultate ad valide absol-  
vendum necessaria ipsi per Nos vigore ejusdem Constitutionis adempta priva-  
tus existeret, & alias prout in memorata Constitutione, cujus tenorem præ-  
sentibus & plene & sufficienter expresso & inserto haberi volumus, uberius  
dicitur contineri. Cum Nos subinde super ea dictæ Constitutionis parte, quæ  
mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse acceperimus,  
quarum resolutionem privato cujusque judicio relinquendam, minime existi-  
mamus, ne Lex incertis conjecturis, & opinionibus jactata in sensus a mente  
Nostra alienos forsitan distrahatur, ejusque vigor paulatim langueat, atque  
enervetur. Hinc est, quod Nos omnem dubitandi rationem, quantum cum  
Domi-

PONT. Domino possumus, de medio auferre cupientes, motu proprio, ac ex certa ANNO  
 scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitu-  
 dine memoratam Constitutionem nostram cum omnibus & singulis in ea con- 1748  
 tentis tenore præsentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque integre,  
 penitus, & omnino, atque ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quan-  
 documque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari præcipimus, & man-  
 damus. Præterea habita super his cum Venerabili Fratrem Nostro Vincentio E-  
 piscopo Prænestino S. R. E. Cardinali Petra nuncupato Pœnitentiario Nostro Ma-  
 joribus Nostri mature perpenderunt, deliberatione, motu, scientia, & potesta-  
 tis plenitudine paribus edicimus, ac declaramus, eadem Constitutione singulis,  
 ut supra, Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non est in mortis articulo  
 personam in prædicto turpi peccato complicem consententem audire, atque ab  
 hujusmodi quoque culpa rite contritam absolvere, deficiente tunc quocumque  
 alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, ita interdici re ipsa &  
 prohiberi prædicto modo tunc audire & absolvere, ut si alius aliquis Sacerdos  
 non defuerit, etiam si forte iste alius simplex tantummodo Sacerdos fuerit, si-  
 ve alias ad confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse Sa-  
 cerdos simplex confessionem excipere ac absolutionem impertiri. Porro, si ca-  
 sus urgentis qualitas, & concurrentes circumstantiæ, quæ vitari non possint,  
 ejusmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam constitutæ in dicto articulo  
 personæ confessionem vocari, aut accedere sine gravi aliqua exortura infam-  
 ia, vel scandalo nequeat; tunc alium Sacerdotem perinde haberi, censuræque  
 posse, ac si revera abesset, atque deficeret, ac proinde in eo rerum statu  
 non prohiberi socio criminis Sacerdoti absolutionem pœnitenti ab eo quoque  
 crimine impertiri. Sciat autem complex ejusmodi Sacerdos, & serio animad-  
 vertat, fore se re ipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis ad-  
 versus prædictam nostram Constitutionem inobedienciæ, latisque in ea pœnis ob-  
 noxiæ, si prædictæ infamiæ, aut scandali pericula sibi ultro ipse constringat,  
 ubi non sunt: immo intelligat, teneri se graviter hujusmodi pericula, quan-  
 tum in se erit, antevertere, vel removere opportunis adhibitis mediis, unde  
 fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius confessionis absque ullius in-  
 famia, vel scandalo audiendæ. Ita enim ipsum teneri vigore memoratæ nostræ  
 Constitutionis declaramus; & nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte man-  
 damus, & præcipimus. Quod si idem Sacerdos, aut quovis modo sese nulla gravi  
 necessitate compulsus ingesserit, aut ubi infamiæ, vel scandali periculum ti-  
 metur, si alterius Sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum adver-  
 tendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personæ in  
 dicto crimine complicitis, eoque in articulo, ut præfertur, constitutæ sacra-  
 mentalem confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri,  
 nulla, sicut præmittitur, necessaria causa cogente, præsumpserit, quam-  
 vis hujusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte pœnitentis  
 dispositiones a Christo Domino ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requisitæ  
 non defuerint: Non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem  
 Sacerdoti quantumvis indigno necessariam jurisdictionem auferre, ne hac ipsa  
 occasione aliquis pereat: nihilominus Sacerdos ipse violatæ ausu ejusmodi te-  
 merario Legis pœnas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta Con-  
 stitutione majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem  
 decernitur, Nobis & huic Sanctæ Sedi reservatam incurreret, prout illum eo  
 ipso incurrere declaramus, volumus, atque statuimus. Non obstantibus & sin-  
 gulis illis, quæ in præfata nostra Constitutione volumus non ob stare, ceter-  
 ritque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium  
 literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii  
 publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ mun-  
 icis,

PONT. nitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud ubique locorum habea- ANNO  
 tur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibiæ, vel ostensæ. Datum  
 A. V. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die octava Februarii 1745  
 millesimo septingentesimo quadragésimo quinto, Pontificatus Nostri Anno quinto.

*D. Card. Passioneus.*

PONT.

N U M. XLI.

ANNO

A. V.

D E J E J U N I I

1745

*Disciplina conservanda, vel reintegranda. De dispensationibus generali-  
 bus pro Oppidis, aut Diocesibus integris, non nisi certa ratione,  
 & iusta de causa petendis, & concedendis.*

*Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolita-  
 nis, Archiepiscopis, Episcopis universis gratiam &  
 communionem Sedis Apostolicæ habentibus.*

## B E N E D I C T U S P P. X I V .

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**L**ibentissime quidem amplectimur, quæ Nobis offeruntur, occasiones ad Vestros animos excitandos, ut Ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ sedulam curam conferatis. Etenim Summi Pontificatus dignitati, ad quam Nos, licet immerentes, eVecti fuimus, conjunctam esse intelligimus sollicitudinem aliarum Ecclesiarum, Nobisque commendatam, qui plane tenuitatem virium nostrarum non ignoramus.

Cum itaque præsentium literarum argumentum totum sit de Jejunio, quod tempore Quadragesimæ, veteri Ecclesiæ instituto, ac lege Fidelibus inducitur; supervacaneum ducimus longam orationem conficere de Quadragesimæ Institutione, & Patrum, & Conciliorum omnes super hac re in medium proferre auctoritates. Difficile id quidem Nobis parum videretur, sed potius alienum, & nullo modo consentaneum Vobis, quos doctrinæ laude, Canonum, & Sacræ Historiæ cognitione præstantes arbitramur. Porro ad scribendas has literas adducti fuimus gravissimis illis verbis Tridentinæ Synodi, qua *sess. 25. de Reformat.* præcipit Episcopis omne studium impendere, ut Fideles ipsorum curæ traditi magna religione perficiant ea, quæ a Sacris Canonibus præscribuntur -- *Ut illis omnibus, & iis præcipue sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus, & jejunia.*

Ut primum Bononiensem Ecclesiam administrandam suscepimus ( ad quam beneficio Clementis XII. fel. record. a Sede Anconitana translati fuimus ) Mandatum evulgavimus ( quod Libro primo Institutionum Nostrarum pro Viris Ecclesiasticis decimoquinto loco continetur ): in illo plures difficultates indicavimus, ob quas minime solvendo Jejunii legibus putabamus illos, qui ob legitimam causam, & legitima prius auctoritate interposita, Quadragesimæ abstinentiam non observarent, minime, inquam, solvendo a jejunio, itaut liceret ipsis quolibet die mensam bis instituere, non unica vice, vespertina superaddita Refectio, quæ permitti jejunantibus consuevit. Tandem in hac Pontificia Sede collocati, rem totam in examen iterum revocavimus, & præstantissimis quoque Viris demandavimus ipsam diligenter, accurateque perpendere, ac suas deinde opiniones Nobis exponere. His peractis hujusmodi contro-

versæ



PONT. versæ finem tribuere constituimus, illudque decrevimus, ne ulla in posterum, ANNO  
 sive peculiaris, sive generalis pro aliqua Civitate, vel Oppido concedatur fa-  
 cultas adhibendi carnes ad mensam tempore Jejunii, vel Quadragesimæ, nisi 1745  
 A. V. condicio servandi Jejunii, sive unius comestionis interponatur; & illud quo-  
 que monitum addatur, nequaquam licere mensam eandem carne, ac piscibus  
 instruere. Equidem declinatis hac ratione nimium implicatis quæstionibus, exi-  
 stimavimus unicam singulis diebus comestionem inducere illis etiam, qui car-  
 nibus uti, cum jejunium indicitur, rite obtinuerunt; & pravam illam consue-  
 tudinem, quæ apud multos jam nimis invaluerat, penitus evellere, afferendi  
 nempe carnes in mensam cum piscibus, postquam ipsi Quadragesimalis abstinentiæ  
 præcepto soluti fuerunt, ob eam potissimum causam, quod grave detrimentum  
 salutis ab esu piscium accipiant.

Hæc apertissime constant ex nostris Apostolicis Literis, quas in forma Bre-  
 vis dedimus ad omnes Episcopos Orbis Catholici anno 1741., quarum primæ  
 incipiunt -- *Non ambigimus* -- alteræ vero -- *In suprema* -- Nos profecto nul-  
 li unquam elargiti sumus vesci carnibus, cum tempus Quadragesimæ, sive aliud  
 jejunium præcipitur, nisi indistincta, scriptaque conditione, quam superius com-  
 memoravimus. Maximam pariter lætitiâ percepimus, cum redditæ Nobis  
 fuerunt plures Epistolæ, ac Mandata vestra Literis nostris Apostolicis omni-  
 no consentanea, quibus pro virili parte contendistis adducere Populos vobis  
 subjectos, ut propositam in illis disciplinam pie servarent.

Interim promulgatis iisdem Apostolicis Literis, quas paulo ante nominavi-  
 mus, plures cavillationes excogitatæ sunt a nonnullis, uti Nos antea facili  
 conjectura suspicati fuimus. Plures etiam quæstiones propositæ Nobis fuerunt,  
 exigui quidem ponderis, ac momenti, quemadmodum Nos opinamur; cum  
 illæ vel ipsius Legis verbis, vel sensu penitus corruant, ac dissolvantur. At-  
 tamen Sacro Tribunali nostræ Pœnitentiariæ rerum hujusmodi conscio, ac  
 peritissimo, easdem quæstiones exponendas commisimus, quibus omnibus ple-  
 ne, cumulateque, quoties opus fuit, satisfecit.

Archiepiscopus Compostellæ, in Hispaniarum Regnis Primus Inquisitor,  
 nuperrime vita functus longam ad Nos dedit Epistolam, qua plures recense-  
 bat difficultates, quæ Literis nostris Apostolicis adversabantur, quominus execu-  
 tionem mandarentur, eo quod nonnulli Theologi in diversas opiniones, ac  
 sententias abirent in solvendis quibusdam quæstionibus, quibus Literæ nostræ  
 Apostolicæ causam, & occasionem præbebant; ac proinde de illis Judicium  
 Nostrum exquirebat. Equidem Archiepiscopi Literæ Nos gravissimis, ac diffi-  
 cillimis temporibus occupatos deprehenderunt. Attamen, dum quæstiones in  
 ipsis expositas percurrimus, visum Nobis est non quidem expeti, ut iis quæ-  
 stionibus responsum fieret, ipsisque solutis nullum impedimentum, sive obsta-  
 culum nostris Literis Apostolicis superesset, sed potius ut objectis cavillationi-  
 bus ad optatum finem ipsæ minime adducerentur. Accedit etiam, quod Epi-  
 stola Archiepiscopi multis argumentationibus, & obscuris vocibus redundabat:  
 quamobrem, licet plures hortarentur, ne ullum Archiepiscopo responsum red-  
 deremus; illi tamen satisfecimus, res præcipuas ex ejus literis delibantes, &  
 quæstiones omnes ad certum numerum redigentes. Primum Nostris occupatio-  
 nibus tribuendum testati sumus, quod tarde ipsi responsum daremus, ejus stu-  
 dium commendavimus, & etiam magnopere probavimus, quod anceps, ac  
 dubius ad hanc Sanctam Sedem confugerit, ut consilium exposceret. Deinde  
 prolatis quæstionibus satisfacere non prætermisimus, illum tamen monentes de  
 Instituto Summorum Pontificum, qui leges condere solent, disciplinam decer-  
 nere, neque ullam habere rationem illorum, qui dubitandi causas objiciunt,  
 ut quæ constituta sunt, perturbent, ac evertant.

Vix redditæ Literis, Archiepiscopus paulo post vitæ cursum absolvit: Ita-  
 que non immerito suspicamur responsa Nostra, quæ literis continebantur,

PONT. haud cognita fuisse, & perspecta illis, qui quæstiones excitaverant. Post hæc ANNO  
 illi pariter ex Hispanis Episcopis nonnullas ex iisdem quæstionibus Nobis  
 A. V. proposuerunt; quare iisdem responsis usi sumus, quæ tradita prius Archiepis- 1743  
 copo Compostellæ a nobis fuerant. Nos desuerunt etiam præstantes inter Ita-  
 los Theologi, qui Literas nostras Apostolicas datas anno 1741. egregiis com-  
 mentariis illustrarunt: Idem contingit Responso, quod fecimus Archiepiscopo  
 Compostellæ die 8. Julii anno 1744., quod sane integrum suis Libris præsi-  
 gendum curaverunt. At quoniam Libri ejusmodi ad Vos fortasse nondum per-  
 venerunt, vel curis aliis distenti illos percurrere minime potuistis, his Literis  
 Encyclicis adjungimus illas pariter, quas (uti dictum sæpius est) Ad Archie-  
 piscopum Compostellæ jam pridem scripsimus, ut quæ disciplina Vestris in  
 Diocæsis tenenda sit, plane cognoscatis, ac ne Vos deterreant difficultates,  
 si quæ a captiosis hominibus concitentur.

PONT.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Compostellæ.

BENEDICTUS PP. XIV.

ANNO

A. V.

Venerabilis Frater, Salutem, &amp; Apostolicam Benedictionem.

1743

**S**I Fraternalitas Tua secum reputabit, quot gravissimis, & maximis curis prope-  
 modum obstruamur, quantumque, hoc præsertim difficillimo tempore, proventus  
 Nos teneat imposta tenuitatis Nostræ sollicitudo omnium Ecclesiarum, non sa-  
 ne mirabitur, tamdiu sibi procrastinatum fuisse responsum ad eas Literas, quibus  
 Apostolica Auctoritate dissolvendas rogasti obortas in Hispania disputationes aliquas  
 e duabus nostris Epistolis ad omnes Episcopos superioris anni 1741. 30. Maji, &  
 22. Augusti, quibus intra legitimos fines coercuimus invalescentem Ecclesiastici Je-  
 junii relaxationem. Potius tibi in mentem veniet cogitare de singulari nostro in  
 religiosissimam Hispanam Ecclesiam amore, unde Nos, immensa licet rerum mo-  
 le fatigatos, ad expediendum sibi in omni sua perplexitate salutis iter opem no-  
 stram præsto habet. Quamquam igitur, dum prænuntiatas Constitutiones edidimus,  
 non aliud propositum Nobis fuerit, ac refrænare paucorum nimis ingenio fidentium  
 Theologorum licentiam, qui opinionum novitate gaudent: nec otium, nec animus  
 Nobis fuerit definire quicquid subtili indagatione deduci possit ex proposita a No-  
 bis jejunandi regula; tamen eximia Paterna charitate complectimur adeo observan-  
 tissimos Romanæ Sedis Hispanos, tantique facimus obsecrationes tuas, ut occurrere  
 anxietati vestræ libenter adjecerimus animum; & Nos ipsi quæstiones abs te pro-  
 postas dirimendas constituimus. Sic autem se habent.

I. Utrum, quæ in antedictis nostris Literis in forma Brevis de unica comestio-  
 ne, & de epulis non permiscendis præscribuntur sub gravi etiam præcepto pro-  
 hibentur?

Respondemus: Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gra-  
 vi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis hisce adjectis conditio-  
 nibus, videlicet unicæ in diem comestione, & non permiscendarum epularum.  
 Eos vero, qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas condi-  
 tiones implendas obligari.

II. An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiu-  
 cula ea quantitate carnis vesci, quæ jejunantibus permittitur?

Respondemus: Non licere; sed opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus  
 utuntur homines jejunantes rectæ meticulosæ conscientiæ.

III. An qui jejunii tempore vesci carnibus permittuntur, & unica comestione  
 uti debent, horam jejunantibus præscriptam servare opus habent?

Edicimus, observandam iis esse.

IV. Quæ

PONT.

IV. *Quanam sint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictis conjungi?* ANNO

A. V.

Respondemus: Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas. Epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse; Piscibus tamen edendis non interdicuntur iis, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticia.

1743

V. *An præceptum de utroque epularum genere non miscendo, dies quoque Dominicis Quadragesimales complectatur?* Affirmatur complecti.

VI. *Utrum hæc lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatæ edere possunt ova, & lacticia?*

Rescribimus: Nihil in prænunciatis nostris Apostolicis Literis statutum esse, quod respiciat gratiosum Cruciatæ Diploma. Quare qui eo gaudent, illius tenorem strictæ, & considerate perpendant, ex ejusque Sententia se gerant. Caveant autem, ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur præscriptis ibi Legibus.

VII. *Utrum memorata duo præcepta urgeant extra Quadragesimam?*

Respondetur: Urgere extra Quadragesimam utrumque præceptum: illud scilicet unice comestitionis cum reliquis Legibus in secundo, & tertio ad hæc postulata responso expressis: & alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est.

Habes Venerabilis Frater, penitus explicatum, quicquid apud Vos ex nostris sæpius nuncupatis Apostolicis Literis dubitationem attulisse scribis. Qua quidem in re laudavimus consilium tuum interrogandæ Supremæ Romanæ Sedis, ut libero, & non vacillanti gressu ad oves sana doctrina imbuendas incedere Pastores queant, in istoque tuo suscepto consilio agnovimus Hispanam religionem, nihil sibi tutum, nisi e Divi Petri Cathedra acceptum, reputantem; qua splendidissima gloria tantum nomen, & incorruptæ Fidei fructum Hispania sibi peperit. Cavendum autem Vobis (idque plurimum ad te pertinet, qui illustris Archiepiscopi, & Inquisitoris geris præcipuum munus) ne in expendendis Apostolicæ Sedis Constitutionibus pro nimia exhauriendi argumenti sollicitudine nullus fiat differendi, ambigendique modus. Sedula deinde opera conferenda, ut istiusmodi dubia, quæ facile, pro ingeniorum varietate, disputando emergunt, penitus inter vos diimantur, ne diuturna unquam disceptatione fluctuent animi, præsertim cum Constitutiones ipsæ Apostolicæ scopum, quo tendunt, aperte demonstrant, & illuc prompte dirigi potest quicquid dubitando interturbare videatur. Id si animadvertissent qui de præsentis negotio plura dubitarunt, nodum sibi exsolvisset. Patebat enim, nihil aliud nobis in animo fuisse, quam cobibere vrida nonnullorum Theologorum ingenia, qui nimium sacri jejunii fines prætergressi, & non parum oblitii, illud ad retinendum in Officio corpus divinitus institutum, hosti huic spiritus insensissimo blandiebantur. Statim siquidem comperissent quid in prepositis questionibus constituendum esset, nec tibi molestiam exhibuissent, nec Nobis, quos gravissimæ undique circumstant curæ, non parum temporis occupassent, quod tamen pro singulari nostro in vestram gentem studio, atque amore libenter impendimus ad rectum vobis iter monstrandum, in posterum simul præcaventes. quomodo in hujusmodi questionibus firmare gressus vestros in promptu sit. Reliquum est, Venerabilis Frater, ut tibi, quod facimus ex animo, præcipuæ benevolentiæ nostræ pignus, Apostolicam Benedictionem peramanter impertiamur. Datum &c. 8. Julii 1744.

Cum hæc ita se habeant, satis muneri nostro fecisse videmur, ne illi, quibus licet carnes edere, cum jejuniis tempore Quadragesimæ, vel extra Quadragesimam Fidelibus præscribitur, unius comestitionis limites excedant, ac ne piscibus simul, & carnibus parari sibi mensam patiantur, neve cavillationes perscrutentur, ut legi tenebras offundant. Pauca tamen adhuc supersunt, quæ remedium a Nobis deprecant.

Si quidem advertimus jam multis ab hinc annis non solum plures in qualibet Italici Urbis vestra auctoritate dissolvi a Quadragesimali abstinencia, sed etiam

PONT. etiam magno studio contenditis, ut universam Civitatem, totamque Diocesim ANNO  
 eadem abstinentia liberemus. Hinc factum est, ut in quibusdam Civitatibus,  
 ac Diocesibus jam per multos annos Fideles universi absque ullo discrimine 1745

A. V. carnibus per Quadragesimam utantur. Id quidem maximam nobis affert sollicitudinem, eo quod deprehendimus certis Testimoniis in quibusdam Regionibus Septemtrionis toto Quadragesimæ cursu lactis, & ovorum usum libere permitti, quia per plures annos eandem facultatem petierint, & a Sede Apostolica consecuti fuerint. quamobrem illi Populi sibi in animum induxerint, non esse rursus ad Pontificem confugiendum pro hujusmodi facultate impetranda, sed priores concessiones singulis annis acceptas sufficere, ut lactis, & ovorum consuetudo per Quadragesimam comprobetur. Præterea maximi facienda estuducimus ea verba Trident. Concil. Sess. 25. cap. 18. de Reform. -- *Sicuti publice expedit, Legis, vinculum quandoque relaxare, ut plenius, eventibus casibus, & necessitatibus pro communi utilitate satisfiat; sic frequentius Legem solvere, exemploque potius, quam certo personarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud est, quam unicuique Leges transgrediendas aditum aperire.*

In Literis Nostris Apostolicis, quas anno 1741. ad omnes Catholicos Episcopos dedimus, huic corruptelæ viam præcludere cogitavimus ea ratione, illisque verbis, quæ rursus hic subjicimus: *Debitum igitur Paternæ uniuscujusque vestrum sedulitatis, & charitatis officium jure postulat, ut omnibus notum faciat, & annuncietis, nemini quidem sine legitima causa, & de utriusque Medici consilio, multitudini vero, veluti Populo, aut Civitati, aut Genti indiscriminatim integræ, nonnisi gravissima, & urgente necessitate, & in casibus per Sacra Canonum Statuta præscriptis, cum debita Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis reverentia a Quadragesimali Jejunio dispensationem, toties quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter fidenterque usurpandam, nec superbe, & arroganter ab Ecclesia, sicut alibi in more positum esse accipimus, esse postulandam.*

Porro Nos hanc normam secuti sumus, cum multitudinem, veluti Populum, aut Civitatem integram Quadragesimali abstinentia immunem declaravimus. In primis loci Episcopus id postulare a Nobis debuit, ac de gravissima, urgentique necessitate suum testimonium interponere. Deinde carnes minime permixtæ fuerunt, si lactis, & ovorum usus satis esse videretur. Tum vero facultas edendi carnes tribui solum consuevit, cum interposito Episcopi testimonio id omnino necessarium judicaretur; nec sufficiens necessitati remedium afferri constaret, si ova solum, & lacticia concederentur. Quoties autem abstinentia Quadragesimæ nostra auctoritate soluta fuit, certos tamen dies præscripsimus, quibus integra abstinentia servaretur, nempe diem Cinerum, dies quatuor temporum, vigiliis præcepto obeundas, dies majoris Hebdomadæ a Dominica Palmarum. Quandoque recensuimus etiam totam hebdomadam Cinerum; Aliquando etiam indiximus abstinentiam Feriis sextis, ac Sabbatis, etiamsi facultas a Nobis tradita lactis, & ovorum usum solum complecteretur. Postremo eam conditionem semper addidimus, ne jejunii lex, unius per diem comestionis ullo modo violaretur, ac ne simul in mensa carnes, & pisces apponerentur.

Dum rationem hujus consilii nostri serio perpendimus, haud plene acquiescimus, ob eam sollicitudinem, ac dubitationem, ne causa ab Episcopo loci prolata, quam Nos legitimam credidimus ad solvendam Quadragesimæ abstinentiam, ejus naturæ fortasse non sit, quæ veram, & urgentem necessitatem contineat. Quippe illud Nobis semper ante oculos propositum habuimus, ut nihil a ratione alienum, nihil inconsulto, ac temere faciamus. Hærent pariter animo defixa S. Bernardi verba ad Pontificem Eugenium lib. 3. de Consideratione cap. 4. *Facitis hoc quia potestis: Sed, utrum debeatis, questio est, & quomodo.* Attamen fidem præstitimus iis, quibus præstanda fuerat, Episcopis nempe locorum. Non enim alio pacto exerceri potest sollicitudo peculiarium Ecclesiarum,

PONT. rum, ac Diœcesum, nisi fides habeatur Episcopis, a quibus illæ administrantur. Sed in posterum, ut gravissimum hoc negotium tutius, quam fieri possit, geratur, molestum vobis non sit, animum iis advertere, quæ subijcimus. ANNO 1745

Non ignoratis ab Innocentio III. Prædecessore Nostro *cap. Consilium, de observatione jejuniorum*, inter causas legitimas solvendi abstinentiam a carnibus jejunii tempore, recenseri veram, & existentem reipsa ægritudinem: Præterea de illis, qui in Quadragesima, vel in aliis jejuniis solemnibus infirmantur, & petunt sibi esum carniū indulgeri respondemus: quod, cum non subjaceat legi necessitas, desiderium infirmorum, cum urgens necessitas exigit, supportare potes, & debes, ut majus periculum in eis evitetur. Idem statuerat multo ante Innocentium III. Patres octavi Concilii Toletani *Can. 9.*, quod anno 653. celebratum fuit: *Quisquis absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidenti languore, seu etiam ætatis impossibilitate, diebus Quadragesimæ esum carniū præsumperit attentare, non solum erit reus Resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei Sancta, Communione... Illi vero, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant, quam a Sacerdote potissimum accipiant.*

Nemo est, qui non intelligat hujusmodi causas satis esse, ut aliqui a Jejunii legibus, & abstinentia immunes existimentur; non autem, ut Populus, vel integra Civitas idem privilegium obtineat. Quis enim sibi persuadere possit, Cives universos alicujus Urbis, vel Diœcesis eodem tempore gravissimo morbo teneri, vel in eodem discrimine versari omnes, ut periculosam ægritudinem contrahant? Nisi forte eos morbos intelligamus, qui ab aeris intemperie, vel infectione promanant, de quibus paulo post verba faciemus. Quis credat unquam Populum universum alicujus Diœcesis vel communi languore penitus extenuatum, vel extrema senectute confectum?

Neque vero causa sufficiens habenda est, ut aliqua Civitas vel Populus abstinentia Quadragesimali liberetur, ipsique carnes permittantur, si forte pisces, vel ova caro pretio vendantur. Sicut enim Urbes habent egenos Cives, ita etiam opulentos; e quibus etiam alii vitæ sustentationem labore, ac sudore sibi comparant, alii vero patrimonio, ac divitiis satis superque abundant. Itaque, si pro emendis piscibus grave pretium solvendum sit, id quidem egenis Civibus, non vero divitibus suffragatur. Id asserunt etiam nonnulli Theologi haud severioris disciplinæ, quorum sententiam recensuimus Capite nostro libri tertii nostrarum Institutionum, quas Bononiæ Typis impressimus.

Illud etiam inane commentum prorsus existimare debet, solvendas esse abstinentia Quadragesimæ Civitates, vel Diœceses, ubi exercitus versantur, eo quod Milites in iis locis permanentes abstinentiæ leges minime observant. Id potius animos Civium inflammare deberet ad jejunium rite, religioseque suscipiendum, ut nempe Milites tanta virtute temperantiæ permoti ipsorum exemplum sequantur. Illud solum, pro legitima causa in medium proferri potest, Copias Militum tantam afferre Civitati penuriam herbarum, atque olei licet Quadragesimæ Jejunio non obtemperent, ut harum rerum pretia summo pere augeantur. Tunc autem eadem statuenda sunt, quæ paulo ante diximus, cum pisces, & ova cariori pretio comparantur. Igitur peculiare morbi, quamvis frequentes, in posterum pro causa solvendæ abstinentiæ non adducantur, nisi forte Civibus universis iidem morbi communes habeantur ob aliquam aeris corruptionem, neque in posterum herbarum, olei, piscium, & ovorum pretia tanti ponderis esse censeantur, ut omnis Civitas, vel Diœcesis ab instituto Quadragesimæ Jejunio, ac temperantia liberari contendat. Quod si veras, ac legitimas a Nobis causas ad hanc facultatem obtinendam expetitis, duas potissimum percensebimus, quarum prima ex jure Canonico, altera vero ipsa rerum magistra experientia deprompta est.

PONT. Innocentius III., quem superius nominavimus, eodem cap. Consilium, de ANNO  
*observatione jejuniorum*, Archiepiscopo Bracarense postulanti, qua pœna ple-  
 A. V. tenses judicaret illos, qui tempore Quadragesimæ a Carnibus non abstinerant 1745  
 ob summam rerum caritatem, & angustiam, itaut plures fame enecarentur,  
 respondit his verbis: *Cum autem quæseris, quæ sit illis pœnitentia injungenda,  
 qui diebus Quadragesimalibus, tempore quo tantæ famis inedia ingruebat, quod  
 magna pars populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere sunt coacti,  
 respondemus, quod in tali articulo illos non credimus puniendos. Preces tamen  
 Domino pro illis effundas, nec ipsis aliquatenus imputetur; quia bonarum men-  
 tium est, ibi timere culpam, ubi culpa minime reperitur. Si quis hoc tempore  
 Episcopus adductus exemplo Bracarensis Antistitis idem consilium peteret a  
 Sede Apostolica, tanquam ineptus, ac simplex haberetur; Sed illo Ecclesiæ  
 felicissimo sæculo maximi pendebatur, uti æquum est, Quadragesimæ præcep-  
 tum. Hinc magna severitate inquirebantur illi, qui minime paruisent, li-  
 cet talis causa intercederet, ut liberi ab eodem præcepto viderentur: nec ulla  
 ratio habebatur Virorum Principum, licet ipsorum incolunitas cum Reipubli-  
 cæ felicitate conjuncta putaretur; uti Nos fufe ostendimus in decima quinta  
 nostrarum Institutionum libri primi. Sed iis omiſſis, & aliis bene multis,  
 quæ in hanc rem congeri a Nobis possent, illud primum delibabimus ex res-  
 ponso Innocentii III., tunc Quadragesimæ abstinentia solvi posse integram  
 Civitatem, vel Diœcesim, cum reipsa non suppetunt ea, sine quibus præcep-  
 tum Quadragesimæ observari nequit. Itaque si revera in aliquo loco neque  
 oleum, neque pisces comparari possint, tunc Incolis ejusdem loci permitti fas  
 est, ut lacte, & ovis utantur. Si hæc autem revera deficient, tunc Carnis,  
 salubris tamen, edendæ facultas concedetur, interposita semper jejunii ser-  
 vandi conditione.*

Insula S. Dominici in America Meridionali in temporalibus paret Charissi-  
 mo in Christo Filio nostro Ludovico Galliarum Regi Christianissimo, nec ei  
 ullus præest Episcopus. Præfectus Patrum Societatis Jesu anno 1742. a Nobis  
 quæſivit, an ex concessione sibi facta a Sede Apostolica dispensandi super esu  
 carniū, ovorum, & lacticiniorum tempore jejuniorum, & Quadragesimæ,  
 dici posset, sibi etiam datam fuisse facultatem dispensandi nedum particulares  
 Personas, sed etiam multitudinem hominum, & omnes sui districtus Incolas,  
 quando coram Deo id expedire judicasset: habitoque responso facultatem ei  
 fuisse concessam dispensationem indulgendi particularibus hominibus, non au-  
 tem multitudini hominum, & omnibus Incolis sui districtus; pro concessione  
 exoravit: Pro causa exposuit veneficam piscium qualitatem; exiguum pesca-  
 torum numerum, qui longe ab Insula piscantes, pisces deferebant aut feten-  
 tes, aut corruptos ob nimios calores; paupertatem earum gentium, quæ  
 oleum emere non poterant pro cibis Quadragesimalibus necessariis, deficien-  
 tiam denique oleorum, & leguminum, quæ in ea regione facile corrumpun-  
 tur, aut a vermibus consumuntur. Re subinde mature discussa coram Nobis  
 in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis die  
 12. Aprilis anno 1742. habita ratione regionis nimis remotæ, a qua quolibet  
 anno impossibilis erat ad Sedem Apostolicam recursus; indulgentes necessitati  
 Fidelium degentium in Insulis ditionis Gallicæ in America, facultatem con-  
 cessimus Præfectis Missionum illarum partium, ut in casu veræ, & inelucta-  
 bilis necessitatis, & tantum de anno in annum, præfataque vera necessitate  
 durante, & non aliter, nec alio modo uti possent & valerent cum fidelibus  
 Populis ipsorum regimini commissis dispensare super esu ovorum, & lactici-  
 niorum, & etiam carniū tempore Quadragesimali, indicta simul cum hujus-  
 modi dispensatione observantia jejunii per unicam comessionem, onerataque  
 prædictorum Præfectorum conscientia, si adamussim juxta præscriptum concessa  
 facultate usi non fuissent.

PONT. Sed jam ad experientiam deveniamus. Quindecim ab hinc annis per totam ANNO  
fere Europa morbus invaluit, qui pectoris inflammationem inferebat, ita ta-  
men, ut ex una Civitate in aliam, & ex una Provincia in aliam hæc fune- 1745  
sta luces promanaret. Id contigit annis 1730. 1733. 1740. Licet autem morbus  
ejusmodi, qui universos hominum ordines, atque ætates, corripiebat, lentam  
solum in pectore inflammationem excitaret, tamen senibus natura jam ætate  
debilitatis extremam afferebat perniciem: nam ex ipso febres acutissimæ, ac  
mortales sequebantur. Idem morbus in periculum trahebat juniores etiam, qui  
paululum infirmo pectore laborarent. Postremo multorum pectora adeo labefa-  
stavit, ut gravissima deinde mala provenerint.

Alias quoque morbos hujus generis, pectoris inflammationem magno cum  
periculo afferentes ægios in discrimine vitæ adduxisse Medici Scriptores lucu-  
lenter testantur. Itaque, si Medicinæ Professores acciti, monitque graviter,  
ut nihil a veritate alienum respondeant, unanimi consensu fateantur ( uti no-  
bis ipsis accidit, cum adhuc Bononiæ versaremur ) morbum esse talis naturæ,  
qualem superius commemoravimus, itaut nulla ætas, libera, & incolumis esse  
queat; & affirmet illis ipsis, qui inter Cives salvi, & integri numerantur,  
eamdem perniciem imminere; id præterea conferre plurimum ad ejusmodi lu-  
em depellendam, aut evitandam, si tum ægrotantes, tum sani a piscibus, &  
olio, & quandoque pariter a lacte, & ovis abstineant, si, inquam, res ita se  
habeat, tum procul dubio causa sufficiens judicanda est, quæ experientia innititur,  
& quæ semper probata, & in posterum probanda videtur, ut nempe Populus,  
seu Civitas integra a carnibus abstinendi præcepto non teneatur.

Neque ulla difficultas remove vos debet a consulendis Medicis, qui præ-  
stantiores habeantur. Cavendum pariter, ut quidquid revera senserint, scripto  
testari non prætermittant, quæ conditio si desit in posterum, nulla unquam  
facultas Civitati, aut Diocesi carnibus, aut lacticiis vescendi tempore Qua-  
dragesimæ tribuetur: quippe id necessarium omnino videtur. Accedit etiam,  
quod Medici facilitate quadam incredibili peculiare quidem Cives a Quadra-  
gesimæ præcepto liberos, & immunes discernere soleant ( de qua re gravif-  
sime monendi a vobis sunt, ne suas animas indulgendo nimis aggravent ).  
Cum verò pro universis Civibus idem statuendum proponitur, tum se diffici-  
les, anxios, ac sollicitos præstare Nos ipsi experti sumus. Postremo si velint  
percurrere ea, quæ in Italia, & extra ipsam præclarissimi Auctores Medici  
Typis evulgarunt, facile deprehendent, abstinentiam, ciborumque parsimoniam  
ab illis magnopere commendari; discrimen inter morbos constitui, & certis  
rationibus ostendi, in curandis quibusdam morbis nequaquam requiri, ut ju-  
sculum, & carnes loco piscium, olei, & herbarum substituantur; in aliis ve-  
ro juvare plurimum, si sublatis carnibus cum indicitur jejunium, oleo, vel la-  
cte ægrotantes utantur. Denique advertent, quam diligenter, accurateque scri-  
bant de pectoris incommodis, cum in omnibus generatim excitantur, ne cor-  
ripiantur eodem morbo, qui adhuc incolumes a communi sue supersunt.

Hæc vobis indicanda putavimus. Reliquum est, ut Vos hortemur, ne tam  
facile suscipiatis negotium petendæ facultatis utendi carnibus, & lacticiis  
tempore Quadragesimæ pro universa Civitate, vel Diocesi. Quippe abrupten-  
da tandem est consuetudo, ob quam jam per tot annos in quibusdam locis hæc  
facultates tribui consueverunt. Illud etiam experientia a Vobis compertum e-  
rit, delicatis quoque, ac mollibus abstinentiam Quadragesimæ nullam inferre  
perniciem; neque plures ob hanc causam inter ægrotos, vel mortuos recense-  
ri. Hanc rationem, & institutum Nos ipsi secuti sumus Romæ, ac Bononiæ  
( cujus Sedem adhuc retinemus ) cum nuper Quadragesimæ tempus ageretur.  
Si vos id quoque præstabit, neque facile a Nobis pro universa Civitate, vel  
Diocesi facultatem solvendi Quadragesimæ abstinentiam postulabit, ) vel ( si  
necessarium id arbitremini ) non aliter, quam servatis præmissis conditioni-

PONT. bus Dispensationis instantia ad Nos deferretur, non solum ii fructus proveni- ANNO  
 ent, quos jam indicavimus, sed etiam repulsæ pudorem evitabitis, Nosque  
 A. V. pariter ea molestia vindicabitis, quam ferimus, dum votis vestris minime ob- 1745  
 secundamus. Postremo vos omnes peramanter amplectimur, & Apostolicam  
 benedictionem Vobis, Populisque vestris impertimur.  
 Datum ex arce Castri Gandulphi die 10. Junii MDCCXLV. Pontificatus No-  
 stri Anno quinto.



PONT.

N U M. X L I I .

ANNO

A. V.

D E C R E T U M

1745

*Sanctæ Universalis Inquisitionis super perpetua inhabilitatione Sacerdo-  
 tum ad turpia sollicitantium, vel Sacrificio Missæ abuentium ad  
 sortilegia.*

*Feria V. die 5. Augusti 1745.*

**I**N Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis  
 habita in Palatio Apostolico Quirinali coram Sanctissimo Domino Nostro  
 Domino Benedicto Divina Providentia Papa XIV., & Eminentissimis, ac  
 Reverendissimis DD. S. A. E. Cardinalibus adversus hæreticam pravita-  
 tem Inquisitoribus Generalibus a Sancta Sede Apostolica specialiter,  
 deputatis.

Sanctissimus Dominus noster sollicite animadvertens, quam grave sit de-  
 lictum illorum perditorum hominum, qui Sacrosancto Missæ Sacrificio, ac sa-  
 lutaris Pœnitentiæ Sacramento, ad Animarum reparationem a Christo Domino  
 institutis, in illarum perniciem, & damnationem abutuntur, decrevit, quod  
 in posterum Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares cujuscumque Ordinis,  
 Instituti, Congregationis, & Societatis etiam de necessitate exprimendæ, vel  
 in actu Sacramentalis Confessionis, sive illius occasione, aut prætextu, ad tur-  
 pia Sollicitantes, vel Sacrificio Missæ abutentes ad sortilegia, præter pœnas a  
 Jure, & Apostolicis Constitutionibus, ac signanter san. mem. Sixti V., &  
 Gregorii XV. contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitatem incurrant  
 ad præfati Sacrificii celebrationem; Quodque ejusmodi Decretum significetur  
 singulis cujuscumque Ordinis Superioribus, ac Præpositis, ad hoc ut de illo,  
 sicuti, & de prædictis, aliisque Summorum Pontificum Constitutionibus, juxta  
 præscriptum in generali Decreto Supremæ Inquisitionis diei 15. Decembris  
 1633. semel saltem in anno, Feria sexta post Octavam Assumptionis Beatæ  
 Mariæ Virginis in publica Mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter convo-  
 cato, ac insuper in quocumque Generali, vel Provinciali Capitulo, vel alio  
 quovis nomine nuncupato Capitulari Congressu suos Subditos, ac Religiosos  
 commonendos curent ejusdemque commonitionis coram Suprema Congregatio-  
 ne juratum testimonium exhibeant.

*Paulus Antonius Cappellonus. S. Romanæ.*

*& Universalis Inquisitionis Notarius.*

Loco & Sigilli.

*Publicat. die 21. Augusti ejusdem Anni.*

NUM.



A Cardinali Patriarca Lisbonensi edita collaudantur, & confirmantur.

*Dilecto Filio Nostro Thomæ S. R. E. Presbytero Cardinali de  
Alemcyda nuncupato.*

## BENEDICTUS PP. XIV.

*Charissime in Christo Fili Noster, Salutem, & Apostolicam  
Benedictionem.*

**S**ingularem voluptatem sensimus ea perlegentes, quæ graviter ac sapienter a Te constituta sunt, ac die XII. Martii anno MDCCLIII. evulgata, ut omnibus innotescerent. Cognovimus pariter ardentissimum studium, quod tum Regulares, tum Sæculares, aliosque tuæ Pastoralis Curæ commendatos vehementer excitas, ut iisdem mandatis diligenter obtemperent.

§. 1. Primo loco præcipis, ut Vespertina Officia, quæ Feria v. Majoris Hebdomadæ fieri consueverunt in Ecclesiis Sæcularium ac Regularium, ad certam horam solum protrahantur; & ipsarum Fores ad mediam horam post Occasum Solis occludantur; nec mane ante pateant, quam Solis Ortus illucescat: Siquidem cognitum perspectumque habebas ad honestos mores labefactandos causam præberi, cum magna frequentia Virorum ac Mulierum nocturno tempore in ea Templâ conveniret; quam sane veterem consuetudinem ideo Prædecessores tui nunquam improbarunt, quod ii nocturni Fidelium conventus tunc temporis pietatem, ac Religionem solum præferebant.

§. 2. Secundo loco ne spatio illius noctis Divina Eucharistia Cultu debito careret, sapienter indixisti Viris Ecclesiasticis, eorum Ministris, & Fratribus Sodalitatum, quæ a Venerabili Eucharistiæ Sacramento nuncupantur, ut occlusis Templi foribus, alternatim Christo Domino pie religioseque obsequantur, qui sub panis specie continetur.

§. 3. Tertio loco, cum Passio Salvatoris nostri intempestivis horis a Concionatoribus celebrari soleret, ideo pro tua singulari prudentia decernis, ut mane Feriæ VI. Majoris Hebdomadæ hi sermones habeantur, statim ac Evangelium, quod eo die canitur in solemnî Officio, absolutum fuerit; ubi vero consuetudo obtinuit, ut nocte ejusdem Feriæ VI. verba faciant Concionatores, alia hora post meridiem ejus diei sceligatur, ita tamen, ut Fores Ecclesiæ designato ante tempore obserari queant.

§. 4. Quarto loco: cum illi qui Ecclesias adibant Feria v. Majoris Hebdomadæ ( quæ Sancta vulgo appellatur ) peculiare quoddam cibos secum deferrent, quibus etiam in ipsis Ecclesiis uterentur ita ut cultum Dei Templo consentaneum, & legem jejunii imprudenter violarent; cum, inquam, hanc corruptelam sine magno animi tui mœrore pati ac dissimulare minime posses, opportuna remedia attulisti gravissimis sententiis, ac pœnis in eos promulgatis, qui cibos ejusmodi per illos dies venderent, vel ipsos manducare etiam in Sacris Ædibus non dubitarent.

§. 5. Hæc potissimum ex decretis tuis delibata ob eam causam commemoravimus, ut ipsa diligenter a Nobis perlecta dignosceres; neque prætermisimus cetera, quæ in iisdem decretis habentur, nempe vehementem cohortationem, ut Ecclesiis cultus exhibeatur, ne Deus hac gravissima quidem injuria atque impudentia laceffitus, ad iracundiam concitetur: Postremo cum decreta hujusmodi probari a Nobis magnopere deprecas, ut nostra auctoritate corroborata

PONT. perpetuo firmentur, & homines facilius ad illa observanda inducantur, hoc Tibi Anno responsum faciendum existimavimus.

A. V. §. 6. In primis consentaneum quidem antiquis Ecclesiæ Institutis fatemur, 1745 ut noctis tempore Divina Officio celebrarentur: Imperitus enim disciplinæ Ecclesiasticæ prorsus videretur, qui ignoraret, Majoribus nostris per multa sæcula positum in more fuisse, ut nocturnis Vigiliis solemnia Festa, ac Mysteria prævenirent, & canendis Divinis laudibus, sanctis precibus occupati, noctes integras simul in Templis traducerent. At vero diuturnitate temporis adeo labefactari cepit hæc pia consuetudo, ut tribus Majoris Hebdomadæ diebus Vigiliæ solum statuerent; & ob eam causam Officia illorum dierum (eo quod nocte fieri solerent) *Matutini Tenebrarum* adhuc nominantur: Vigiliæ quoque permixtæ fuerunt ante diem Natalem, & Epiphaniam Domini; *Dioceses* autem, quæ disciplinæ laude commendantur, *Matutinos Tenebrarum* a nocturnis horis ad postmeridianas traduxerunt; Vigiliis etiam consuetis ante Festum Epiphaniæ Matutinas horas usque ad meridiem subrogarunt: Cum tamen pristinum Ecclesiæ institutum retinere vellent in Privigilio Natalis Domini, nempe post mediam noctem rem Divinam conficere, & Populum in certas Ecclesias confluyente admittere cautum diligentissime fuit, ut corruptelis omnis aditus intercluderetur, & cum difficile id visum fuisset, virtute præstantes Episcopi decreverunt, ut nocte quidem in Ecclesia, sed clausis illarum Foribus hæc sacra Officia peragerentur.

§. 7. Agnoscimus pariter animi tui consilium ab Ecclesiæ moribus minime alienum, eo quod coercendam putaveris illorum intemperantiam, qui sanctissimis Majoris Hebdomadæ diebus in Tempia se conferunt, ibique certis quibusdam cibis indulgent. Equidem magnis laudibus prædicantur a Sacris Scripturibus *Agapæ*, sive honestissima convivia, quæ Fideles post acceptam Divinam Eucharistiam pluribus sæculis inhibant; ut mutua inter Christianos benevolentia publicum testimonium ostenderetur, & certis diebus egentes, ac miseri liberali divitum opulentia sustentarentur. Itaque, si ejusmodi convivia plena honestatis, quæque ad charitatem exercendam indulta primo fuerunt, & magna cum innocentia per longum temporis spatium conservata, penitus abrogare oportuit, ob graves offensiones, & scandala, quæ dimanare ex illis cœperunt, ita ut nemo sit, qui non probet Ecclesiæ decreta, quibus ea convivia de medio auferantur; nemo sane prudentiam tuam, & consilium non commendabit, qui pravam edendi licentiam ab Ecclesia removere ac penitus eliminare voluisti, cum præsertim ea nefaria intemperantia Jejunii Leges sanctissimis etiam diebus frangerentur, quas Majores nostri tanta severitate, ac religione coluerunt, ut nihil omnino degustarent, & cyatum quoque aquæ frigidæ recusarent.

§. 8. Supervacaneum ducimus ad hæc probanda proferre in medium sacræ antiquitatis documenta; cum satis eruditorum hominum testimoniis confirmentur. Accedit quod ipsa luce clarius innotescant ex iis, quæ Nos ipsi congestimus in quatuor Libros a Nobis magno labore conscriptos *De Canonizatione Sanctorum*, & *in Ecclesiasticas Institutiones*, quas Bononiæ consecimus, cum in illam Sedem (quam nunc etiam retinemus) translati fuimus; Alia pariter argumenta desumi possunt ex aliis Nostris *Commentariis in Sacra Jesu Christi, Martirisque ejus Festa, ac Missæ Sacrificium*; quibus plurima sane addidimus, dum in Summo Pontificatu versamur, & quæ vernacula lingua primum a Nobis exarata, nuper jussu Nostro in Latinam conversa fuerunt.


§. 9. Omittimus verba facere de hora, quam pro habenda Concione Dominiæ Passionis statuisti. Idem plane mos ac disciplina jampridem invaluit in præclaris Italiæ Diocesisibus, & in ipsa Vaticana Basilica, ubi Nos in Minoribus positi Theologalem Præbendam obtinuimus. Siquidem Feria vi. Majoris Hebdomadæ post recitatum in Choro Domini Passionem, Concio de ipsa statim insi-

PONT. instituitur. Idem fieri consuevit in Pontificio Sacello coram Nobis, ipsis, Cardinalium Collegio, & reliquis Ordinibus, quibus facultas est in eum Locum ANNO  
A. V. conveniendi. 1745

§. 10. Cum igitur tua Decreta præsentibus Ecclesiæ moribus, & institutis consentanea plane videantur, ea libentissime adprobamus, & Apostolicæ auctoritatis pondus adjungentes, præcipimus observari penitus, sublata quacumque contraria consuetudine, quamvis ad honestam finem inducta fuerit, & longo spatio temporis inveteraverit. Etenim pravum hominum ingenium, & morum corruptela id necessario requirit, ut de medio tollantur ea, quæ licet initio virtutem præferrent, labente cursu temporis virtutem ipsam corrumpunt ac labefaciunt.

§. 11. Interea, Dilecte Fili Noster tuis, ac tuorum precibus Nos vehementer commendamus; & quoniam Vineam Domini Tibi creditam tam feliciter colere suscepisti, ne prætermittas operam ac laborem impendere, ut fructus in diem magis excreseat; ne te deterreant ullæ difficultates, quæ tuis præclaris conatibus obijciuntur: Nos profecto semper ad tutandam Religionem, & morum integritatem paratos invenies: Postremo Tibi Benedictionem Apostolicam, tuoque Populo peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die xxxi. Augusti 1745. Pontificatus Nostri Anno VI.



PONT.

N U M . X L I V .

ANNO

A. VI.

D E C A U T E L I S P R Æ S T A N D I S

1745

In conficiendis Processibus super fama Sanctitatis Servorum Dei. De prohibendis Imaginibus Spiritus Sancti sub humana specie depicti. De aliis superstitionibus non tollerandis.

*Venerabili Fratri Joseph Episcopo Augustano.*

**B E N E D I C T U S P P . X I V .**

*Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Sollicitudini Nostræ dudum relatum fuerat, in Civitate Imperiali Kauffburæ quam incolunt simul Orthodoxi, ac Lutheranæ professionis sectatores, vitam degere Sanctimonialem quamdam, Crescentiam nomine, adeo sanctitatis opinione celebratam, ut assiduus ad eam concursus fieret hominum etiam virtute & genere illustrium. Quapropter, multiplici experimento edocti, inanes aliquando affectuæ sanctitatis larvas obtendi, atque etiam ab animarum Directoribus, ob suos peculiare fines, eosque interdum minus rectos, deprædicari & divulgari; datis ad Fraternalitatem tuam Literis die xvii. Maii superioris Anni MDCCXLIV., discretioni tuæ commisimus, ut in prædictæ Sororis Crescentiæ, vitam & mores inquireret, deque illius agendi rationibus, si ve bonis, si ve malis, certiores Nos reddere.

§. 1. Quamvis autem ante Literarum nostrarum adventum, eadem Soror Crescentia extremum diem obiisset, ideoque expirasse dici posset Nostra Tibi directæ commissio; attamen Fraternalitas tua Pastoralis vigilantia partes esse judicavit, graves quosdam atque prudentes Viros ad hoc subdelegare, ut in eisdem Defunctæ mores eam inquisitionem explerent, quam, ipsa vivente, fieri cupiebamus.

§. 2. Hujus itaque inquisitionis acta, aliaque ad rem pertinentia, una cum Epi-

PONT. Epistola tua scripta die 24. Maii proxime elapsi, ad Nos allata fuerunt; & ANNO  
Nos quidem Epistolam ipsam statim legimus & perpendimus; ipsa vero acta,

A. VI. aliaque adnexa, Viris expertis tradidimus redigenda in summarium; quod de  
inde, simul ac pro tot alias, quibus detinemur, occupationes & curas Nobis  
licuit, cum ipsis authenticis actis & documentis conferre non prætermisimus. 1744

§. 3. In his omnibus equidem nihil offendimus, ex quo defuncta Soror Crescentia de affectatæ sanctitatis crimine argui possit. Verum ex ipsis Testium dictis ( etiam si integra fides iis adhiberetur, nec ulla iusta adesset suspicio, eos ad favendum prædictæ Sorori præcedenter instructos fuisse, ) illius quidem vitam ad normam probitatis exactam, & gravibus exemptam criminibus agnoscere Nobis visi sumus; nullam tamen heroicam virtutem, nullum signum, si ve miraculum ab Omnipotenti Deo, ipsius intercessione, patratum deprehendisse, ingenue fatemur.

§. 4. Non ignotum Tibi esse Opus de *Canonizatione Sanctorum* a Nobis conscriptum, ex Fraternalitatis tuæ Literis intelleximus. In quo Opere elaborando, postquam ultra viginti annos in munere Promotoris Fidei versati fuimus, qualemcumque operam Nostram conferre opportunum duximus; non ut doctrinæ laudem ac nominis celebritatem consequeremur, sed ut certam ac tutam methodum traderemus dirigendi seriem Causarum Beatificationis, & Canonizationis quæ ob varias opiniones Scripturarum, qui in negotiis Congregationis Sacrorum Rituum non satis versati fuerunt, aliquo modo involuta ac perturbata videbatur; ut quæ omnium oculis pateret, quam caute ac diligenter Apostolica Sedes in huiusmodi Causarum examine se gereret.

§. 5. In hærendo itaque Regulis in eo Opere expositis, quæ non equidem a Nobis conditæ, aut primum excogitatæ; verum ex præfatæ Congregationis disciplina collectæ, & in aliorum usum productæ fuerunt, satis agnovisse poterit Fraternalitas, tua, huiusmodi Causis initium fieri a conficiendis processibus propria & Ordinaria auctoritate Episcoporum, si ve aliorum Ordinariorum Præfatum. His tamen minime properandum esse in demandanda confectioe huiusmodi Processuum; sed expectandum esse congruum temporis intervallum ab obitu illius Dei Servi, si ve Ancillæ, de cuius virtutum, aut miraculorum fama inquirendum sibi esse duxerint; neque vero admovendam esse operi manum, nisi præcesserit vera & legitima fama virtutis heroicæ, aut miraculi ad illius Servi Dei intercessionem, si ve invocationem, a Deo patrati; Nihil enim frequentius esse, quam post mortem alicujus fidelis Viri, aut mulieris magnam sanctitatis, vel miraculorum opinionem in populo oriri, ac potissimum si ab aliquibus de industria rumor foveatur, quæ tamen opinio, nisi veritate innixta sit, vel ipso temporis lapsu languescere, & interire, vel etiam si hominum artificii aliquando sustentari pergat, perspicuis tandem Divinæ Sapientiæ consiliis destrui, & confundi consuevit. In conficiendis autem huiusmodi processibus, præcipue considerandum esse extremum mortis articulum; in quo, nisi aliquid illustre & sanctitate conspicuum se obtulerit, reliquæ omnes inquisitiones supervacaneæ remanent. Denique ubi a Defuncto vel ipso jubente, & probante, ab alio quolibet, aliquid scriptum fuerit; ne in præfatis concinnandis Processibus inutiliter tempus, aurumque insumatur; ante omnia ad veritatem revocanda esse huiusmodi scripta, ac diligenter investigandum, an aliquid contra fidei veritatem, aut contra morum integritatem contineant, vel ullam peregrinæ doctrinæ novitatem a communi Ecclesiæ sensu, & consuetudine alienam exhibeant.

§. 6. Porro Fraternalitati tuæ in provocanda Processus ad Nos transmissi compilatione, non id propositum fuisse putamus, ut Causam Beatificationis Sororis Crescentiæ quandocumque promovendam inchoare volueris. Novimus, potissimum inquisitionis peractæ scopum fuisse, ut de Monialis defunctæ moribus instructos Nos redderes, & an affectatæ sanctitatis notam meruit, Nos edoce-  
res.

PONT. res. Sed quoniam facile evenire posset, ut fervente adhuc plurium pio erga ANNO  
illam affectu, enixe a Te postularetur, ut conficiendis Processibus initium  
A. IV. fieret; idcirco non inopportunum duximus, præmissa omnia Tibi in memoriam 1745  
revocare, tutioremque agendi rationem paucis innuere; quum necessarium  
omnino putemus, per aliquod temporis spatium inquisitiones differri, atque  
interim observare, quo res evadat; an ullum appareat artificii, humanæque  
machinationis vestigium; an denique requisitæ conditiones adsint pro inchoan-  
dis Processibus ad Beatificationis iudicium instruendum profuturis.

§. 7. Quod etiam in casu, de quo agitur, magis expedire censemus; tum  
quia in collectis nuper plurium Virorum, atque Mulierum testimoniis, ut su-  
pra diximus, nulla elucet heroicæ virtutis, aut miraculorum probatio, nec in  
obitu Sororis Crescentiæ splendidum ullum sanctimoniam inditium appareat; tum  
quia complura hujus scripta supersunt, quæ ante omnia opus est ad examen  
vocari. Quod si etiam compilationi Processus Ordinarii, ad inchoandam Beati-  
ficationis Causam, locus esset, necessarium plane videretur exactam Instructio-  
nem pro recta illius confectioe, juxta ea, quæ in prædicto Opere Nostro de  
Canonizatione conscripsimus, hinc ad vos mittere; quum in prædicto Processu  
Nobis oblato, nostroque jussu a peritissimis Viris discussio, animadversum fue-  
rit, Testes in eo inductos turmatim examinatos fuisse, nec prævium, ut par  
erat, jusjurandum præstitisse; cumque non ita, ut oportebat, interrogati  
fuerint, generalia dumtaxat deposuisse, nihil de peculiaribus actionibus defunctæ  
Sororis enarrantes.

§. 8. Atque hæc, Venerabilis Frater, satis esse possent, ad accuratam illam,  
quam de commissa Tibi inquisitione Nobis reddidisti rationem, nec ulterius  
progredieretur Epistola Nostra, nisi alia quædam Literis tuis Nobis indicandæ  
judicasses; inter quæ præcipuum locum obtinet, quod scribis de publicatis, la-  
teque diffusis quibusdam Imaginibus Spiritum Sanctum sub speciosi Juvenis for-  
ma referentibus, subscriptis: *Veni Sancte Spiritus*: de quibus Imaginibus, ut-  
pote statim undequaque sparsis, atque multiplicatis, duo potissimum inquiren-  
da sunt: primum, an Soror Crescentia eas invenerit, vulgaverit, approbave-  
rit; alterum, an ( prætermissa indagine de earum Auctore ) hujusmodi Iconum  
usus, expressio, & veneratio, sive intra Ecclesias, sive extra illas admitti possit.

§. 9. Nos autem de prima quæstione minime verba faciemus eamque inta-  
ctam relinquemus iis, quibus forsân de virtutibus Sororis Crescentiæ quando-  
cumque inquirendum esse contigerit; sive agendum fuerit de permittenda in-  
troductione Causæ super ipsius Beatificatione, sive introductæ jam Causæ, de  
ipsis virtutibus æstimandis, & comprobandis.

§. 10. De altera vero quæstione dicturi, primum omnium Apostolicum Fra-  
ternitatis tuæ zelum, quo hujusmodi Imagines huc illuc sparsas, & per Cœ-  
nobia, per Ecclesiam, per Chorum palam expositas, auferri, & removeri  
jussisti, laudamus, atque probamus; Te hortantes, immo etiam auctoritate,  
qua fungimur, Tibi mandantes, ut in suscepto proposito firmiter constanterque  
perseverans, nullo pacto permittas, hujusmodi Icones ulterius multiplicari;  
quascumque vero ullibi existere compereris, eas omnes & singulas de medio  
tollas adhibitis iis auctoritatis simul, prudentiæque tuæ remediis, quibus opta-  
tum finem sine turba, ac tumultu consequi posse judicaveris.

§. 11. Neminem profecto latet, impium, atque sacrilegum errorem fore,  
Divinæque Naturæ injuriosum, si quis se putaret D. O. M. sicuti in se est,  
coloribus exprimere posse. Quum enim illius Imago depingi, atque oculis sub-  
jici nequeat, nisi tanquam materialis alicujus substantiæ, corporea figura, &  
partibus præditæ; si quis has qualitates Divinæ Naturæ tribueret, is profecto  
in Anthropomorphitarum errorem incideret.

§. 12. Representatur tamen Deus eo modo, eaque forma, quibus in Scri-  
pturis Sanctis legimus ipsum mortalibus apparere dignatum esse. Licet enim  
id ab

PONT. id ab Eterodoxis Scriptoribus improbe reprehendatur, inter quos Simonem ANNO  
Episcopum vidimus *suarum Institutionum Theologicarum lib. 4. sect. 2. cap. 10.*

A. VI. asserentem non licere Deum pingere, ne sub ea quidem forma, qua se homi- 1745  
nibus videndum exhibuit; ex nostris vero etiam, Durandus opinatus fuerit hu-  
jusmodi Imaginum usum minime expedire; & Johannes Hesselius, Catholicus  
itidem Scriptor, *Cathechismi sui lib. 1. cap. 65.*, huic opinioni favere videat-  
ur, dum ait innocuus quidem fore hujusmodi picturas, si a doctis tantummo-  
do Viris conspici deberent; sed quum sapientium & insipientium oculis ex-  
positæ esse debeant, facile evenire posse, ut indoctis per eas male de Deo cre-  
dendi occasio præbeatur.

§. 13. Nihilominus communiter Catholici Theologi aliter docent. Petavius  
Theologicorum Dogmatum *lib. 15. de Incarnatione cap. 14.* ut videre est ipsius  
operum *tom. VI.*, licitum esse demonstrat, Deum sub ea forma depingere, qua  
ipsum accepimus semetipsum conspiciendum præbuisse. *Communi Catholicorum  
assenſu inveteravit opinio, nimirum, ut eatenus figurari Deus possit, qua sub ex-  
terna aliqua specie aspectabilem se præbuit hominibus.* Molanus Doctus Auctor,  
*Historiæ Sacrarum Imaginum Lib. 2. cap. 3.* hanc ipsam sententiam confirmat:  
Eandemque quæstionem duo alii clari nominis Theologi egregie illustrarunt  
nimirum Suarez *in 3. part. D. Thom. tom. 1. quæst. 25. art. 3. disput. 54. sect. 2. pag. 793.*, & Valentia *tom. IV. suorum Operum pag. 384.* Quibus addendi  
sunt duo S. R. E. Cardinales, Bellarminus, & Gotti, a Nobis alias citati in  
Opere Nostro *de Canonizatione Sanctorum lib. IV. part. 2. c. 20. n. 2.*

§. 14. Imagines Deum ita repræsentantes minime reprobant Sancta Tridenti-  
na Synodus *sess. 25. De Invocatione, veneratione, & Reliquiis Sanctorum, &  
Sacris Imaginibus*; sed Episcopis mandat, ut Populos edoceant, per hujusmo-  
di Picturas erudiri, & confirmari Gregem Christi *in articulis Fidei commemoran-  
dis, & assidue recolendis.* Si quis vero privatis hujusmodi Imaginum usum  
opinionem suam reprobare ausus est, Ecclesiastico judicio damnatus fuit, ut in-  
dicat Propositio XV. inter damnatas a fel. rec. Prædecessore Nostro Alexandro  
Papa VIII. die 7. Decembris 1690. quæ sic habet: *Dei Patris sedentis simula-  
crum nefas est Christiano in Templo collocare.*

§. 15. Et profecto quum in Sacris Literis legatur, Deum ipsum sub hac,  
aut illa forma hominibus se videndum exhibuisse: cur sub eadem forma eum-  
dem pingere non licebit? *Si ergo literæ legentibus permittuntur, cum tamen  
Sacre Literæ in maxima veneratione habeantur, cur non etiam Imagines permitten-  
tur?* Verba sunt Alphonsi de Castro *lib. 8. adversus Hæreses*, quo etiam ar-  
gumento Arenæ usus est Cardinalis de Richelieu in suo Tractatu: *De facilitati  
ratione reducendi eos, qui se ab Ecclesia segregarunt lib. 3. p. 439.*

§. 16. His positis principiis minime dubiis, facile patebit, quæ ratione Ima-  
go Spiritus Sancti a Pictoribus efformari debeat, & quænam ipsius Imagines  
approbari debent, aut reprobari. In Sanctis Evangelis a B. B. Matthæo, Mar-  
co, & Luca conscriptis, ubi Baptismus enarratur, quem Dominus Noster Je-  
sus Christus a Joanne accipere voluit, legitur, apertum fuisse Cælum, & Spi-  
ritum Sanctum corporali specie, sicut Columbam, super eum descendisse. Quod  
cur factum fuerit, mirifice explicat Dionysius Alexandrinus in Epistola adver-  
sus Paulum Samosatenum, quæ extat in Collectione Conciliorum Labbei *tom. 1. p. 267.* ita: Cur vero in specie Columbæ Spiritus Sanctus descendit; scilicet ut nos doceret, qui misit illum, quique eum, quem misit, accepit. Sicut enim Noe dimisit ex Arca Columbam, & ipse illam recepit; ad eam similitudinem intelligendum Nobis est, ipsius Christi esse Spiritum Sanctum coæternum, & quod erat ipse, hoc dedisse Nobis; dividens, & effundens super omnem carnem credentium, quia Deus est & Dominus, qui divisit Nobis suum Sanguinem, & Spiritum.

§. 17. Non hic opus est in eam controversiam ingredi, quæ inter eruditos

PONT. Criticos agitur, super illius Columbæ natura. De hac olim egimus in nostro ANNO  
 A. VI. Tractatu de Festis Domini Nostri Jesu Christi, Editionis Patavinæ §. LIV. qua  
 editione absoluta, recentiore quamdam super hoc argumento vidimus Dissertationem inter *Discurfus Historico Criticos ad illustrationem veteris & novi Testamenti* Typis editos Hagæ Comitum anno 1737. p. 148. 1745

§. 18. Quod autem ad præsentem quæstionem attinet, quum Spiritus Sanctus in Columbæ specie olim visibiliter apparuerit; profecto illius Imago sub eadem specie depingi debet. Qua in re vetus Ecclesiæ disciplina nostrorum temporum consuetudini adtipulatur. De ea siquidem testatur S. Paulinus Episcopus Nolanus, qui, Sæculo Christi quinto ineunte, in Epistola ad Severium, describens Picturas in Basilica S. Petri jam tunc existentes ita cecinit:

*Pleno coruscat Trinitas Myserio:  
 Stat Christus Agno, vox Patris Cælo tonat.  
 Et per Columbam Spiritus Sanctus fuit.*

§. 19. Pariter Christi anno 538. Antiocheni Clerici, & Monachi, in præcibus Joanni Patriarchæ, & Synodo aduersus Severum congregatæ exhibitis, hæc habent, apud Labbeum *Conciliorum tom. 5. pag. 159. Columbas aureas & argenteas in figuram Spiritus Sancti super divina Lavacra & Altaria appensas, una cum aliis, sibi cum appropriavit, dicens, non oportere in specie Columbæ Spiritum Sanctum nominare.* Damnatus etiam fuit in Concilio Nicæno Secundo habito Anno Domini DCCLXXXVII. Xenaias Catechumenus, quum ausus esset asserere, non licere Spiritum Sanctum sub Columbæ forma repræsentare. Inter cætera autem dicebat, & hoc esse puerilis animi factum, fingere in Columbæ Idolo ter adorabilem Spiritum Sanctum: ut videre est in *Collectione Conciliorum, Regia nuncupata, Parisiis impressa Anno 1644. tom. 18. pag. 458.*, & apud Cardinalem Baronium ad annum Christi 485.

§. 20. In Opere quoque Italica Lingua scripto Philippi Bonarotæ Senatoris Florentini, quod inscripsit, *Observationes in antiqua vitrea vasa*, ex Urbis Cæmeteris effossa, pag. 125. plures afferuntur Imagines Spiritus Sancti, sub Columbæ specie in nobilibus illis sacræ antiquitatis fragmentis expressæ. Cum vero recentiores sectarii, Calvinus, Lutherus, Zuinglius, mox relatum Severi errorem renovare contenderint, neminem latet, quid de illorum deliriis Ecclesia judicaverit; quorum ampla refutatio videri potest apud Gretserum in *Tractatu de sacris Imaginibus cap. 9. impresso in tom. 17. novissimæ Editionis ipsius Operum.*

§. 21. Legitur insuper in sacris Novi Testamenti paginis, quod quum post Christi in Cælum ascensionem congregati essent Apostoli, & Discipuli, una cum Maria Matre Jesu, solemnibus diebus Pentecostes apparuerunt illis dispersitæ linguæ, tamquam ignis, seditque supra singulos eorum; & repleti sunt omnes Spiritu Sancto. De quo Myserio fute egimus in prædicto Opere Nostro *De Festis Domini Nostri Jesu Christi. §. 480. & sequentibus*, Editionis Patavinæ; ubi sub §. 492. docuimus, licere Pictoribus, ad repræsentandum id quod in solemnibus Pentecostes ab Ecclesia recolitur, Apostolos pingere, aliosque cum iis in Cœnaculo congregatos, & flammulas ignis in linguarum figuram e Cælo demittas, eorum omnium capitibus influentibus; quoniam in sacra Apostolico-rum Actuum Historia cap. 2. refertur, Paraclitum Spiritum Sanctum hoc visibili signo adventum suum ea occasione hominibus manifestasse. Verum si quis extra hanc occasionem eundem Spiritum Sanctum pingere velit, non aliter ipsum, quam sub Columbæ forma poterit repræsentare; ut etiam recte monuit eruditus Auctor Ayala in Tractatu, cui titulus est, *Pictor Christianus*, ubi lib. 2. cap. 3. num. 7. scribit: *Cum vero Spiritus Sanctus depingendus venit, non alia specie pingendus est, nisi illa, qua in Jordane nimirum apparuerit,*

PONT. *quamque docet Divinus Textus his verbis: Et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut Columba in ipsum.* In Cathéchismo autem auctoritate Sacri Concilii A. VI. Tridentini edito, super eo Decalogi præcepto: *Non habebis Deos alienos coram me:* ubi agitur de pingendis Divinis Personis, hæc habentur: *Columbæ vero species, & linguæ tanquam ignis, in Evangelio, & Actis Apostolorum, quas Spiritus Sancti proprietates significant, multo notius est, quam ut oporteat pluribus verbis explicari.* ANNO 1745

§. 22. Quod si dicatur, minime reprobari, immo libenter admitti usum pingendi Spiritum Sanctum in Columbæ specie; verum id agi, ut præterea possit sub speciosi Juvenis, aut Viri forma representari; Nos contra jure responderi posse contendimus, quod quum aliter non liceat Divinæ Personæ Imaginem, humanis oculis intuentiam exhibere, quam sub ea forma, sub qua in Scripturis Sanctis narratur eandem Personam se olim hominibus aspectabilem præbuisse; sequitur inde, non modo licitum esse Spiritum Sanctum, vel die Pentecostes in mystica figura Linguarum ignis super Apostolos descendentium, vel alias in Columbæ specie depingere; propterea quod uterque ejusdem pingendi modos in Divini Textus historia & auctoritate fundantur; sed hoc insuper recte colligitur, minime licere, eundem Spiritum sanctum sub Adolescentis, aut Viri specie figurare; quum nullibi in Divinis Scripturis ipsum sub hujusmodi forma hominibus apparuisse.

§. 23. Huic autem rationi addenda est auctoritas Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi, quæ loco superius citato, prohibet, Fidelium oculis exhiberi *ullas falsi dogmatis Imagines, aut rudibus periculosi erroris occasionem præbentes;* & generaliter ullam insolitam poni aut ponendam curari Imaginem, tam in Ecclesiis, quam in aliis quibuscumque locis districte vetat. Imago autem, de qua agimus, præterquamquod insolita est, impium etiam, atque damnatum a Patribus errorem in animos intuentium revocare posset. Eorum videlicet, qui asseruerunt, Divinam Spiritus Sancti Personam humanæ conditionis naturam assumpsisse; de quibus loquitur S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi 16. tom. IV. Bibliotheca Maxima SS. Patri Lugduni impressæ anno 1677. pag. 523., & S. Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 243. ejusdem Bibliothecæ tom. VIII. præter Auctorem Notarum ad Concilium Constantinopolitanum I. in collectione Conciliorum Labbei tom. I. pag. 976.*

§. 24. Equidem ex Epistola Fraternitatis Tuæ satis intelleximus, hujusce argumenti vim ab iis quoque agnitam fuisse, qui de præsentiquæstione apud te verba fecerunt; qui tamen eam se declinare posse putarunt, adductis exemplis quarumdam Imaginum Ss. Trinitatis, quibus ea sub figura trium hominum æqualis, & undequaque similis aspectus repræsentatur. Id quod alterius disquisitionis occasionem Nobis aperit, ut scilicet examinemus, an liceat Ss. Trinitatem coloribus pingere; & quatenus id licitum sit, quænam illius Imagines damnatæ sint, quænam haud omnino reprobatæ, quænam demum approbatæ, & permittæ: denique an ex hujusmodi Picturis ullum argumentum trahi possit, ut Imago Spiritus Sancti, de qua nunc agimus, vitio carere ostendatur.

§. 25. Porro licere Ss. Trinitatem coloribus pingere, communis est Theologorum opinio, quam copiose propugnant Valdensis, Molanus, Catharinus, Conradus Brunus, Nicolaus Sanderus, Franciscus Turrianus, Suaresius, Vafquez, quos sequitur Theophilus Raynaudus in Libro cui titulus *Heteroclitia Spirituality Cælestium, & Infernorum pag. 23. inter ipsius Opera tom. 15. ita scribens: Ex usu Ecclesiæ, & ex consensu potiorum Theologorum, fas est pingere Ss. Trinitatem,* ubi etiam Durandum impugnat inter Scriptores Cathol. eos contra opinantem. Thuanus quidem lib. 18. refert Decretum quoddam, cujus Auctorem Espenæum fuisse asserit: *Ut Ss. Trinitatis Effigies tanquam Sacræ Scripturæ, Concilii, & Veterum Patrum testimoniis prohibita, tollantur;* ac reprehencit



PONT. hendit Decanum Collegii Theologici Parisiensis, Nicolaum Malardum, eo quod hujusmodi Decreto oblitisset. Verum hac in re Thuani dicta refellit Gredserus in *Thuano Pseudothologo pag. 57. tom. 17. novissimæ editionis Ratisponensis Operum ejusdem Gredleri. Christianus Lupus Vir non vulgaris eruditionis in Notis ad Canones septimæ Synodi cap. 5. admittens piam consuetudinem pingendi Ss. Trinitatem, quærit quo tempore eadem introducta fuerit, seque id reperire non potuisse ingenue fatetur; quod idem Nos quoque, pari sinceritate, professi sumus lib. 4. de Canoniz. Sanctõr. p. 2. c. 20. num. 3.*

ANNO  
1745

§. 26. Illud tamen a Theologis Nostriis communiter traditur, minime permittendum esse Pictoribus, ut Ss. Trinitatem qualibet forma pro ipsorum libito repræsentare audeant: quin adversus eorum licentiam invehuntur Vasquez tom. 1. p. 676., & Cardinalis Bellarminus *Controversiarum tom. 2. cap. 8. De Imaginibus Sanctõrum*; qui sic ait: *Notandum non debere ejusmodi Imagines multiplicari, nec tollerandum esse, quod Pictores audeant ex capite suo confingere Imagines Trinitatis; ut cum pingunt unum hominem cum duobus capitibus, & in medio eorum Columbam: ista enim monstra quædam videntur, & magis offendunt deformitate sua, quam juvent similitudine; eademque docet Sylvius tom. 4. in tertiam partem D. Thomæ quæst. 25. art. 3. qu. 2. pag. III. editionis Antwerpæ Anni 1714.*

§. 27. Inter reprobatas Imagines Ss. Trinitatis ea procul dubio recensenda est, quam pluribus insectatur Joannes Gerson tom. 3. ipsius Operum Antwerpæ editarum anno 1706., quamque narrat se vidisse in quadam Domo Regularium; ubi nimirum repræsentabatur Deipara Virgo Trinitatem ipsam in utero gerens, quasi vero tota Trinitas humanam carnem ex Virgine assumpsisset. Addit vero Molanus *Historiæ Sacrarum Imaginum lib. 2. c. 4.* se nunquam satis intellexisse id, quod apud Gersonem legeret, donec hujuscemodi Ss. Trinitatis Imagines in Belgio pluribus locis expositas conspexerit; quas quidem se quoque damnare, & reprobare profiteretur.

§. 28. Humani corporis figuram tribus capitibus instructam, tanquam Imaginem Ss. Trinitatis repræsentandæ aptam, tueri quodammodo conatur Valentia tom. 11. ipsius Operum 389. Verum super hujusmodi Imaginibus solemne Judicium sel. record. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris Nostri prodixisse referunt, Macri in *Vocabulario Ecclesiastico. verbo, Icona, & Episcopus Sarnellus Epistolarum Ecclesiasticarum tom. 1. Epist. 13.*, qui testantur prædictum Urbanum comburi jussisse picturas quasdam Ss. Trinitatem exhibentes sub specie hominis triplici facie instructi; idque factum fuisse die 11. Augusti anno 1628. Sed & longe ante ipsius Urbani, & Bellarmini supralaudati tempora, & S. Antoninus in *Summa Theologica part. 3. lit. 8. cap. 4. §. 11.*, ita scriptum reliquit: *Reprehensibiles etiam sunt, Pictores videlicet, cum pingunt ea, quæ sunt contra Fidem, cum faciunt Trinitatis Imaginem unam Personam cum tribus Capitibus, quod monstrum est in rerum natura.*

§. 29. Sequitur, ut videamus quidnam sentiendum sit de Imagine Sanctissimam Trinitatem exhibente in Tribus Personis, statura, ætate omnibusque aliis lineamentis omnino æqualibus. Thomas Valdensis suorum *Operum Tomo III. ut. 9. de Sacramentalibus cap. 151.* hujusmodi Picturam approbare non dubitat. Nec dissentit Molanus *Historiæ Sacrarum Imaginum lib. 2. cap. 3.* Verum Ayala in aliam abire videtur sententiam, in præcitato Opere *Pictor Christianus lib. 2. cap. 3. num. 8.* de ea Imagine sic loquens: *Aliam alicubi conspeximus pingendæ Sanctissimæ Trinitatis rationem, hanc scilicet: Depingebantur in tabula tres Viri perquam similibus faciebus, æquali prorsus statura, & æqualibus atque omnino similibus coloribus, vestibus, ac lineamentis. Non quidem hoc tam absurde, sed tamen non omnino recte: etsi enim hac ratione servetur representatio æqualitatis & coeternitatis Divinarum Personarum, deficit tamen Character, & notio, ut ita loquamur, Divinæ Personæ præterquam quod in his rebus, quæ*

PONT. sunt dignitate sua gravissima, vitanda & fugenda est omnis & quæcumque ANNO novitas.

A. VI. §. 30. Ut autem variarum hujusmodi opinionum fundamenta paullo accuratius exploremus, innititur sententia Valdensis apparitioni Abrahamo factæ, quæ *Genesi cap. 18.* refertur his verbis: *Apparuit ei Dominus in Convallè Mambre sedenti in ostio Tabernaculi sui in ipso fervore diei; statimque subjicitur: Cumque elevasset oculos, apparuerunt eis tres Viri stantes prope eum, quos cum vidisset, occurrit in occursum de ostio Tabernaculi, & adoravit in terram: Post quæ animadvertere licet, quod Abraham unum tantummodo alloquitur. Et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum; atque vicissim unum dumtaxat Abrahamo respondet. Dixit autem Dominus ad Abraham, &c.* In hac itaque apparitione S. Augustinus l. II. de Trinitate cap. 20. tom. 8. pag. 784. editionis Monachorum Congregationis S. Mauri, agnoscit Ss. Trinitatis Imaginem, ita scribens: *Cum vero tres Viri sunt, nec quisquam in eis vest forma, vel potestate major cæteris dictus est, cur non hic accipiamus visibiliter insinuatam per creaturam visibilem Trinitatis æqualitatem, atque in tribus Personis unam eandemque substantiam.* Augustini opinionem amplexi sunt Rupertus lib. 5. Commentariorum in *Genesim cap. 37.* Suarez de Angelis lib. 6. cap. 20. num. 10. & seq. Cornelius a Lapide, & Du Hamel in idem cap. XVIII. *Genes.*, aliique.

§. 31. Sunt tamen, a quibus eadem S. Doctoris interpretatio non recipitur. Prætermissa siquidem Hebræorum opinione, qui putant, tres illos Abrahamo visos, non alios fuisse, quam Angelos Michaellem, Gabrielem, & Raphaellem, quorum primus, Dei partes gerens, venerit, ut inquireret in scelera Sodomæ, & justum in meritam Civitatem supplicium statueret; at reliqui duo, jussu prioris Civitatem ipsam everterint, Lot vero liberaverint; uti narratur sequenti Capite ejusdem libri *Genesios XIX.*; quam Hebræorum opinionem referentes Tostatus, atque Tirinus, in eandem propendere se ostendunt; ut videre est in ipsorum Commentariis in præmissum *Genesim caput XVIII.* Sane non pauci ex Ss. Patribus existimant, duos ex tribus, qui tunc Abrahamo apparuerunt, Angelos existisse, tertium vero fuisse Filium Dei, Secundam nimirum Ss. Trinitatis Personam: atque hanc sententiam frequenti expositorum calculo comprobata, ab ipsa Ecclesia adoptatam fuisse putat Augustinus Calmet; idque deducit ex iis verbis, quæ licet non habeantur in Sacro Textu, in Divinis tamen Officii leguntur, videlicet: *Tres vidit, & unum adoravit: Videatur ipse Calmet in præcitatum Genesim caput XVIII.*, nec non *Discursus XVII. in idem caput XVIII. Genesim*, inter *Discursus Historico-Criticos Theologico-Morales in Vetus & Novum Testamentum Antuerpiæ editos Anno 1736. tomo II.*

§. 32. Imagines itaque Ss. Trinitatis communiter approbatæ, & tuto permittendæ, illæ sunt, quæ vel Personam Dei Patris exhibent in forma Viri senis, desumpta ex *Dan. cap. 7. vers. 9. Antiquus dierum sedit*; in ejus autem sinu Unigenitum ipsius Filium, Christum videlicet Deum, & Hominem; & inter utroscumque paracletum Spiritum Sanctum in specie Columbæ; vel duas Personas modico intervallo sejunctas repræsentant, unam Senioris Viri, nimirum Patris, alteram Christi, medium autem ipsum Spiritum Sanctum, in Columba, ut præfertur, expressum: *Imagines ergo Trinitatis, quæ ab Ecclesia probantur, sunt illæ, quæ Deum Patrem continent in forma Hominis Senis, in cujus sinu sit Christus, & inter utrumque Spiritus Sanctus in forma Columbæ; vel Imagines, in quibus seorsim Deus Pater in forma hominis senis, & seorsim Christus, sed propinquè ambo, & inter utrumque Spiritus Sanctus in forma Columbæ efformentur: Verba sunt Cardinalis Capilupchi, qui plures annos munere Magistri Sacri Palatii Apostolici laudabiliter functus fuit: in *Controversis Theologicis, Controv. 16. De cultu Sacrorum Imaginum §. II. circa finem.* Similia peti possunt ex prædi-*

PONT. prædicto Opere Nostro *De Canonizatione Sanctorum lib. 4. p. 2. cap. 20. num. 3.* ANNO  
 Et quamvis Molanus loquens de hac ratione repræsentandi Ss. Trinitatem, ac

A. VI. præsertim ubi Christus in sinu Patris, veluti mortuus depingitur, dubitare 1745  
 videatur, an approbari possit, propterea quod Christum mortuum nemini apparuisse legitur; attamen facile dignoscitur quam levis momenti sit hujusmodi difficultas. Licet enim Salvatoris nostri mortui nullam apparitionem factam fuisse legamus; mortuus est tamen, & palam in conspectu innumerabilis populi expiravit. Cur igitur ea forma, qua olim Hierosolymis a tot millibus hominum visus est, depingi nequit etiam in sinu Patris? Aut cur sub eadem specie exponi nequit publicæ adorationi Fidelium? Quocirca facile Molani dubium resolvitur, ut observat etiam laudatus Ayala, supradicto Libro, cui Titulus *Pictor Christianus lib. 2. cap. 3. num. 12.*

§. 33. His itaque præmissis, quoniam potissimum fundamentum pro sustinenda Imagine Spiritus Sancti sub humana Juvenis specie, in usu prædictarum Tabularum statuitur, quæ Ss. Trinitatem exhibent in tribus Personis, statura, vultu, & lineamentis æqualibus; harum vero tabularum legitimus usus desumitur ex trium Virorum apparitione Abrahamo facta, de qua *Genesis c. 18*; juvat nunc ita ratiocinari. Aut usus pingendi Ss. Trinitatem in tribus personis undequaque similibus, canonicus est, & in Ecclesia pacifice receptus, sicuti etiam sententia de indicato Trinitatis Mysterio in tribus Viris, qui Abrahamo apparuerunt, satis tuta est, & solidis rationibus innixa; Aut usus hujusmodi Tabularum, ut nonnulli putant, canonicus non est, nec ab Ecclesia probatus, & relatæ pariter opinionis fundamenta nutant, ut aliqui superius citati arbitrantur. Si nec canonicus est usus memoratæ Imaginis, nec opinio de figurato in prædicta apparitione Trinitatis Mysterio tuta est, nec solidis rationum momentis suffulta; nequaquam permitti potest, ut supra debilibus hæc, infirmisque fundamentis tamquam certum stabiliatur, quod licitum sit sub Viri aut Juvenis specie Spiritus Sancti Imaginem exhibere.

§. 34. Quod si usus pingendi Ss. Trinitatem in tribus Personis æqualibus & similibus, canonicus eilet, legitimus, & ab Ecclesia probatus, atque etiam tutissima foret prædicta opinio, quod apparitio trium Angelorum Abrahamo facta Mysterium adorandæ Trinitatis significavit; nil aliud ex his inferri potest, nisi prædictam Trinitatis repræsentandæ modum, hoc est pingendi tres Viros æquali specie, & simili vultu, licitum esse & tollerandum; nunquam vero ex iisdem rite colligeretur, licere Spiritum Sanctum seorsim a duabus aliis Personis, humana facie, & sub speciosi Juvenis forma depictum exhibere. Nec enim apparitio Abrahamo facta unius Angeli fuit, sed trium, nec ullibi in Sacris Literis narratur, Spiritum Sanctum in forma Viri, aut Juvenis, seorsim a duobus aliis, qui reliquas duas Trinitatis Personas repræsentarent, hominibus apparuisse. Singulas vero Ss. Triadis Personas non alio modo pingi posse, quam quo earum quælibet hominum se aspectibus exhibuerit, jam supra a Nobis probatam est; idemque in Catechismo Romano, loco superius citato, his verbis traditur: *Nemo tamen propterea contra Religionem, Dei que legem quicquam committi putet, cum Ss. Trinitatis aliqua Persona quibusdam signis exprimitur, que tam in Veteri, quam in Novo Testamento apparuerunt.*

§. 35. Denique Imago Spiritus Sancti, de qua est questio, insolita est, & inlicita in Ecclesia, & consequenter nullo modo recipienda, juxta mentem S. Tridentinæ Synodi supra relatæ, & Conciliorum Provincialium post Tridentinum coactorum, quorum Decreta colligit Thiers in suo Tractatu *De Suppositione tom. 1. lib. 2. cap. 1. pag. 214.*

§. 36. Pingitur Imago Ss. Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, repræsentando vel Patrem juxta Filium, vel Filium in sinu Patris, simulque cum his, Spiritum Sanctum in Columbæ forma, ut antea diximus. Pingitur & Pater solus, seorsim ab aliis Personis, quoniam vocem Domini Dei deambulan-

PONT. bulantis in Paradiso audivit Adam, *Genesis cap. III.*, innixus myſlicæ ſchalæ, ANNO  
 vilus eſt Jacob, *Genesis XXVIII. 13.*, Moyſi quoque miro modo conſpicien-  
 dum ſe præbuit, *Exod. XXXIII. 23.*, tum etiam Iſaiæ, tanquam Rex in 1745  
 A. VI. folio ſedens, *Iſaiæ VI. 1.* & Danieli, veluti Senex albo veſtimento amiſtus,  
*Dan. VII. 9.* Fingitur etiam æternus Filius ſeorſim a Patre & Spiritu San-  
 cto, quoniam is homo factus, in diebus carnis ſuæ cum hominibus converſa-  
 tus eſt, atque etiam poſtquam a mortuis reſurrexit, non ſemel Apoſtoliſ, aliſſi-  
 que maniſteſtus apparuit. Repræſentatur idem Cruci, quam pro Nobis pertu-  
 lit affixus: quam quidem Crucifixi Effigem nec impius Lutherus e medio tolli  
 poſſe putavit; & Elifabetha Angliæ Regina nuncupata, Henrici VIII., &  
 Annæ Bolenæ Filia, licet Sac. Imaginibus bellum indixerit, eam tamen in  
 Regio ſuo Oratorio retinere voluit; ut videre eſt apud Boſſuet. *Meldenſium*  
*quondam Episcopum tom. 2. ipſius Operum, Gallico Auctoris idiomate Venetiis*  
*editarum Anno 1738. pag. 137. & pag. 460.* Pingi quoque conſuevit in for-  
 ma Agni; atque huic Imagini fundamentum præbet Prophetia Iſaiæ, Teſti-  
 monium Baptiſtæ, Evangelistarum dicta, Apocalypſis Joannis Apoſtoli, & Epi-  
 ſtola prima B. Petri, quapropter eandem Salvatoris Noſtri Imaginem appro-  
 bat Hadrianus Pontifex in Epistoſa ad Tarasum conſcripta, quæ leſta eſt in  
 Synodo ſeptima, *Actione II.*, & vetuſtiſſima occurrunt hujuſmodi picturæ  
 exempla in Sacris Cœmeteriis, & in Baſilicis hujuſ Noſtræ Romanæ Urbis  
 expreſſa. Pingitur denique Spiritus Sanctus, vel tanquam de Cœlo descendens  
 die Pentecoſtes in figura linguarum ignis, vel alias in Columbæ ſpecie ſeor-  
 ſim pariter ab aliis Divinis Perſonis, quia ſub his figuris factæ ſunt ejuſdem  
 apparitiones, quarum Scriptura meminit. Nuſquam vero invenire eſt in Sa-  
 cris Literis, tertiam Perſonam abſque aliarum conſortio, in ſimilitudinem Vi-  
 ri, aut Juvenis apparuiſſe. Quapropter argumenti ſuperius expoſiti vis immo-  
 ta manet; nimirum quod etiamſi per tres Angelos Abrahamo viſos Divina  
 Trinitas repræſentata fuerit, non ideo tamen Spiritus Sanctus ſeorſim a dua-  
 bus aliis Perſonis, humana ſpecie, ſeu Viri, ſeu Juvenis, depingi poteſt.

ſ. 37. Atque hæc privatis Noſtris ſtudiis colligere, & paucis illis ſucceſſivis  
 horis, quæ Nobis ab ingruentibus undique negotiis publicis vix ſuperſunt, ut  
 peculiarem Bibliothecam Noſtram ingredi poſſimus, præſentibus ad Fraterni-  
 tatem tuam Literis complecti voluimus; ut inſitam abſ te rationem prohibendi  
 prædictas Imagines Spiritus Sancti, earumque uſum & curſum intercipiendi,  
 comprobaremus. Neque porro dubitamus, quin, pro magna laudis exiſtima-  
 tione, qua Tibi peperit egregia tua Apoſtoliſ muneris adminiſtratio, & pro  
 ea rationum gravitate, cui innititur hujuſmodi Imaginum prohibito, debita  
 mandatis tuis obedientia ab omnibus exhibeatur. Verum ubi, inſtigante hu-  
 mani generis hoſte, contrarium eveniret, tuum erit de omnibus Nos certiores  
 facere. Nos etenim miniſterii Noſtri partes eſſe reputabimus, Apoſtoliſ, qua  
 Deo volente fungimur, Auctoriſtatem interponere, ut & refractarii meritis pœ-  
 nis afficiantur, & pravæ conſuetudines adverſus Eccleſiæ inſtituta ac diſcipli-  
 nam inveſtæ, penitus eliminentur.

ſ. 38. Prætermittenda autem non ſunt alia quædam, quæ in eadem Epiſto-  
 la tua legimus: Spargi nimirum, ac diſpenſari complures præfatæ Sororiſ Cre-  
 ſcentiæ Effigies; nec non coronas præcatorias, earumque grana, Cruces, Sca-  
 pularia, Oleum, Pulverem, Aquas, Manus denique, vel pictas, vel ex ligno  
 effictas, cum pollice inter indicem & medium inſerto; exiſtiantibus plerique  
 de vulgo, prædictas Cruces, & Coronas a Deo benedictas, & indulgentiis di-  
 tatas fuiſſe; earum vero Manuum ſimulacra ad fugandos Dæmones plurimum  
 valere; cum aliis hujuſmodi nugis, quæ ab iis diſſeminantur, qui venditan-  
 dis hujuſ generis ſuperſtitionibus temporalia ſibi lucra comparare ſtudent.

ſ. 39. Et quidem ex eadem Epiſtola tua optime agnoſcimus, Tibi ſatis  
 conſilii, & prudentiæ in temetipſo eſſe, ad rectum de hujuſmodi rebus judi-  
 cium

PONT. cium ferendum; nec aliud Nobis reliquum esse videatur, quam ut Fraternalitatem tuam hortemur, ut, quam ingressus es viam, insistere pergas; ineptam nimirum, quæ diximus, deliria non approbando; sed fidem auctoritatemque omnem iis derogando.

ANNO 1745

§. 40. Ut tamen circa similia Apostolicæ hujus Sedis sensum atque iudicium agnoscas consilio iudicioque tuo per omnia consentaneum, notum Tibi esse volumus, fuisse olim piam Dei Ancillam, nomine Joannam a Cruce, magna Sanctitatis fama illustrem, cuius Vita conscripta est ab Antonio Daco. Ferebatur in vulgus, quædam Coronarum præcatoriarum grana, ipsius intercessione a Jesu Christo benedicta fuisse, pluribusque aucta Indulgentiis. Verum huiusmodi Indulgentiæ ab hac Sancta Sede apocryphæ declaratæ fuerunt, quemadmodum videre est apud præcitatum Thiers *de Superstitione tom. 2. cap. 12.* qui etiam refert decretum de iis prolatum Anno 1678. a Congregatione S. R. E. Cardinalium Sacris Indulgentiis præposita, eodem *tom. 2. cap. 12. pag. 17. & sequent.*, & signanter *pag. 25.* Cumque introducta esset Causa de illius Ancillæ Dei Beatificatione, & ob ejusdem præclara merita, eo usque feliciter processisset, ut jam ab Auditoribus Rotæ confecta esset ipsius Relatio juxta morem ea ætate vigentem; quum deinde Causa post Decreta Urbani Papæ VIII. resumenda esset, cito consepulta remansit, propter excitatas objectiones ex præfatis gravis benedictis, & prætensis indulgentiis eidem adnexis desumptas; ut ostendit Pontificium Decretum Anno 1664. editum, & a Nobis relatum, in *Opere de Canonizatione Sanctorum lib. 2. cap. 36. num. 18. Editionis Patavinae*, præter ea, quæ in Regestis Congregationis Sacrorum Rituum adnotata reperiuntur, quæque eo loci in medium afferre opportunum non duximus.

§. 41. In eodem tamen Opere *lib. 2. cap. 8. num. 3.* videre poteris decretum Prædecessoris Nostri Urbani Papæ V. prohibens distribui numismata in eorum honorem constata, quibus aut Beati, aut Sancti cultus ab Apostolica Sede tributus antea non fuerit.


§. 42. Demum quod attinet ad expulsionem Dæmonum a corporibus obsessis, intra plura remedia in eum finem ab Ecclesia recepta, quorum copiosam seriem exhibet diligens Scriptor Martinus de Rio *Disquisitionum Magicarum c. 2. sect. 3. q. 3.* locum profecto non habet incompositus ille, & parum verecundus gestus, in præfatis manuum figuris expressus. Porro an Dæmones naturalium rerum virtute a corporibus obsessis expelli queant, Nos etiam disputavimus in sæpe citato Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 1. cap. 29. num. 7.*, partemque negantem amplexi sumus, cum majori Theologorum numero quorum auctoritates ibi retulimus; quibusque addi potest Theophilus Raynaudus in Libro inscripto *Theologia naturalis, tom. V. ipsius Operum pag. 55.* quem Librum videre Nobis contigit, dum hanc ipsam Epistolam dictaremus.

§. 43. In exorcizandis Energumenis, illud potissimum interest, ut ante omnia dignoscatur, an revera obsessus sit a Dæmone is, qui talis esse affirmatur; ubi vero ita esse constitit, eligatur ab Ordinario Sacerdos perspectæ pietatis, vitæ integritatis, atque prudentiæ; hic autem ad expellendum Dæmonem, non quidem picta, vel lignea manu, aliisve ineptis huiusmodi nugis utatur, sed præscriptas in Rituali Romano regulas adamussim servet. Magnus ille Mediolanensis Antistes S. Carolus Borromæus, quum rectam ac tutam exorcizandi rationem in Libro a se probato tradidisset in quarta Diocesana Synodo a se habita anno 1654. *Decreto 18.*, prohibuit, ne quis, occasione oblata, aliis quibuscumque exorcismis, precationibus aut ritibus uteretur, quam quæ haberentur in prædicto Libro; *cui nihil ab eo, nimirum ab Exorcizante, addi, detrabi, ac ne mutari quidem fas sit.* Postmodum vero a recollem. Paulo V. Prædecessore Nostro anno Domini 1614., publicatum fuit Rituale Romanum, in quo adest peculiaris Titulus *de Exorcizandis obsessis.* Ac fel. record. Prædecessor pariter Noster Clemens Papa XI. in quadam Epistola Ency-

PONT. Encyclica data die 21. Junii 1710. districte mandavit, ut nemo exorcizans a ANNO  
norma in prædicto Rituali Romano præscripta ulla ex parte discedere præsumat.

A. VI. §. 44. Præclarum tandem Fraternalitatis tuæ propositum, Nos satis pro merito commendare, & collaudare non valemus; quod scilicet scribis, operam 1745  
Te daturum, ut in Clero regimini tuo commisso, una cum Religionis ac Pietatis cultu, Sacrarum Literarum studia conserventur, atque in dies incrementum accipiant, additis ad Theologiam Scholasticam, Ecclesiasticæ Historiæ, & Canonice Jurisprudentiæ disciplinis. Sane hoc tibi non exiguam in præsentia laudem, perennem vero in Ecclesiæ monumentis nomini tuo gloriam comparabit. Quodque plurius est, ingens apud Pastorum Principem meritorum pondus tibi acquiret. Nec illud prætereundum est, quod si Clerum ita instructum, sanaque doctrina eruditum habueris, non ita facile te hujusmodi molestiis vexari continget, quales nuper ex tuis Literis intelleximus animum tuum veritati & Ecclesiasticæ disciplinæ integritati inhærentem fatigasse. Interea Fraternalitatem tuam sincero charitatis affectu complectimur, ac Tibi, totique Gregi tibi concredito, Apostolicam Benedictionem imeptimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 1. Octobris MDCCXLV.  
Pontificatus Nostri Anno VI.



PONT.

N U M. XLV.

ANNO

A. VI.

D E U S U R I S

1745

Aliisque injustis quæstionibus.

*Ad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos & Ordinarios  
Italiæ.*

BENEDICTUS PP. XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

VIX pervenit ad aures nostras, ob novam controversiam ( nempe, an quidam contractus validus judicari debeat ) nonnullas per Italiam disseminari sententias, quæ sane doctrinæ haud consentaneæ viderentur; cum statim nostri Apostolici muneris partem esse duximus, opportunum afferre remedium, ne malum ejusmodi, temporis diuturnitate, ac silentio, vires magis acquireret; aditumque ipsi intercludere, ne latius serperet, & incolomes adhuc Italiæ Civitates labefactaret.

Quapropter eam rationem, consiliumque suscepimus, quo Sedes Apostolica semper uti consuevit: Quippe rem totam explicavimus nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui Sacræ Theologiæ scientia, & Canonice Disciplinæ studio ac peritia plurimum commendantur: Accivimus etiam plures Regulares in utraque facultate præstantes, quorum aliquos ex Monachis, alios ex Ordine Mendicantium, alios denum ex Clericis Regularibus selegimus; Præsulem quoque Juris utriusque laurea præditum, & in Foro diu versatum adhibuimus. Diem quartam indiximus Julii, qui nuper præterit, ut coram Nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declaravimus; quod illis antea cognitum prospectumque deprehendimus.

Post hæc præcepimus, ut omni partium studio, omnique cupiditate soluti, rem totam accurate deprehenderent, suasque opiniones scripto exararent; non tamen expectavimus ab ipsis, ut judicium ferrent de contractu, qui controversia:

PONT. siæ causam initio præbuerat, cum plura documenta non suppetent, quæ necessario ad id requirebantur; Sed ut certam de usuris doctrinam constituerent, cui non mediocriter detrimentum inferre videbantur ea, quæ nuper in vulgus spargi cœperant. Iussa fecerunt universi; nam suas sententias palam declararunt in duabus Congregationibus, quarum prima coram Nobis habita est die 18. Julii, altera vero die prima Augusti, qui menses nuper elapsi sunt; ac demum easdem sententias Congregationis Secretario scriptas tradiderunt.

Porro hæc unanimi consensu probaverunt.

I. Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem, & locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipso mutuo, quod suapte natura tantundem dumtaxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quam est receptum, ideoque ultra sortem, lucrum aliquod, ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea huiusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum, & usurarium est.

II. Neque vero ad istam labem purgandam, ullum accessiri subsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens & nimium, sed moderatum; non magnum, sed exiguum sit; vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis cœmendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis, utilissime sit impensurus. Contra mutui siquidem legem, quæ necessario in dati atque redditi æqualitate versatur, agere ille convincitur, quisquis, eadem qualitate semel posita, plus aliquid a quolibet, vi mutui ipsius, cui per æquale jam satis est factum, exigere adhuc non veretur: proindeque si acceperit, restituendo erit obnoxius ex ejus obligatione Justitiæ, quam commutativam appellant, & cujus est, in humanis contractibus æqualitatem cujusque propriam & sancte servare, & non servatam exacte reparare.

III. Per hæc autem nequaquam negatur, posse quandoque una cum motui contracta quosdam alios, ut ajunt titulos, eisdemque ipsimet universim naturæ mutui minime innatos & intrinsecos, forte concurrere, ex quibus justa omnino legitimaque causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversæ prorsus naturæ a mutui natura contractus, recte collocari & impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam, & negotiationem exercendam, honestaque indidem lucra percipienda.

IV. Quemadmodum vero in tot ejusmodi diversis contractuum generibus, si sua cuiusque non servatur æqualitas, quidquid plus justo recipitur, si munus ad usuram, (eo quod omne mutuum tam apertum, quam palliatum absit) at certe ad aliam veram injustitiam, restituendi onus pariter afferentem, spectare compertum est: Ita si rite omnia peragantur, & ad Justitiæ liberam exigantur, dubitandum non est, quin multiplex in iisdem contractibus licitus modus & ratio suppetat humana commercia & fructuosam ipsam negotiationem ad publicum commodum conservandi, ac frequentandi. Absit enim a Christianorum animis, ut per usuras, aut similes alienas injurias florere posse lucrosa commercia existiment; cum contra ex ipso Oraculo Divino discamus, quod *Justitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum.*

V. Sed illud diligenter animadvertendum est, falso sibi quemquam, & non nisi temere persuasurum, reperiri semper, ac præsto ubique esse, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titulorum, vel contractuum præsidio, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram salvamque, recipere. Ita si quis fenserit, non modo Divinis Documentis, & Catholicæ Ecclesiæ de Ulu-

FONT. ra iudicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, ac naturali rationi procul ANNO  
 dubio adverbabitur. Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in  
 A. VI. casibus tenetur homo, simplici ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso præfer- 1745  
 tim Christo Domino edocente. *Volenti mutuari a te, ne avertaris*, & quod  
 similiter multis in circumstantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero,  
 iustoque contractui locus esse possit. Quisquis igitur conscientiae consultum ve-  
 lit, inquirat prius diligenter oportet, vere ne cum mutuo iustus alius titu-  
 lus; vere ne iustus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod  
 quærit lucrum, omnis labis expers, & immune reddatur.

His verbis complectuntur, & explicant Sententias suas Cardinales, ac Theo-  
 logi, & Viri Canonum peritissimi, quorum consilium in hoc gravissimo nego-  
 tio postulavimus. Nos quoque privatum studium nostrum conferre in eandem  
 causam non prætermisimus, antequam Congregationes haberentur, & quo  
 tempore habebantur, & ipsis etiam peractis. Nam præstantium Virorum Suf-  
 fragia, quæ modo commemoravimus, diligentissime percurrimus. Cum hæc  
 ita sint adprobamus, & confirmamus quæcumque in sententiis superius expo-  
 sitis continentur; Cum Scriptores plane omnes, Theologiæ & Canonum pro-  
 fessores, plura sacrarum Literarum testimonia, Pontificum Decessorum nostro-  
 rum Decreta, Conciliorum, & Patrum auctoritas, ad easdem Sententias com-  
 probandas pene conspirare videantur. Insuper apertissime cognovimus Aucto-  
 res, quibus contrariæ Sententiæ referri debent; & eos pariter, qui illas fo-  
 vent, ac tument, aut illis ansam, seu occasionem præbere videntur; Neque  
 ignoramus, quanta Sapientia, & gravitate Defensionem veritatis susceperint  
 Theologi finitimi illis Regionibus ubi controversiæ ejusmodi principium habue-  
 runt. Quorum has literas Encyclicas dedimus universis Italiæ Archiepiscopis,  
 Episcopis, & Ordinariis, ut hæc Tibi, Venerabilis Frater, & cæteris omni-  
 bus innotescerent; & quoties Synodos celebrare, ad Populum verba facere,  
 eumque sacris doctrinis instruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur  
 ab iis Sententiis, quas superius recensuimus. Admonemus etiam vehementer,  
 omnem sollicitudinem impendere, ne quis in vestris Diocæsisbus audeat Lite-  
 ris, aut Sermonibus contrarium docere: Si quis autem parere detrectaverit,  
 illum obnoxium, & subjectum declaramus pœnis per sacros Canones in eos pro-  
 positis, qui mandata Apostolica contempserint ac violaverint.

De contractu autem, qui novas has controversias excitavit, nihil in præ-  
 sentia statuimus; Nihil etiam decernimus modo de aliis contractibus, pro qui-  
 bus Theologi, & Canonum Interpretes in diversas abeunt Sententias. Atta-  
 men pietatis vestræ Studium, ac Religionem inflammandam existimamus, ut  
 hæc, quæ subjicimus executioni demandetis.

Primum gravissimis verbis Populis vestris ostendite, usuræ labem ac vitium  
 a Divinis Literis vehementer improbari; Illud quidem varias formas atque spe-  
 cies induere, ut Fideles Christi sanguine restitutos in libertatem & gratiam,  
 rursus in extremam ruinam præcipites impellat. Quocirca si pecuniam suam  
 collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte ra-  
 piantur, sed potius ab illis, qui doctrinæ ac virtutis gloria supra cæteros esse-  
 runt, consilium exposcant.

Secundo loco, qui viribus suis, ac sapientiæ ita confidunt, ut responsum  
 ferre de iis quæstionibus non dubitent, ( quæ tamen haud exiguam sacræ Theo-  
 logiæ, & Canonum scientiam requirunt ) ab extremis, quæ semper vitiosa  
 sunt, longe se absterneant. Etenim aliqui tanta severitate de iis rebus judicant,  
 ut quamlibet utilitatem ex pecunia desumptam accusent, tamquam illicitam;  
 & cum usura conjunctam; Contra vero nonnulli indulgentes adeo, remissique  
 sunt, ut quodcumque emolumentum ab usuræ turpitudine liberum existiment.  
 Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant; sed priusquam responsum red-  
 dant, plures Scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur; De-

inde




PONT. inde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligunt. Quod si disputatio insurgat, dum contractus aliquis in examen  
 A. VI. adducitur, nullæ omnino contumeliæ in eos configantur, qui contrariam Sententiam sequuntur, neque illam gravibus Censuris notandam asserant, si præsertim ratione, & præstantium Virorum testimonio minime careat. Siquidem convicia, atque injuriæ vinculum Christianæ charitatis minime careat. Siquidem Populo offensionem, & scandalum præferunt.

ANNO  
1745

Tertio loco, qui ab omni usuræ labe, se immunes, & integros præstare volunt, suamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum solummodo percipiant, admonendi sunt, ut contractum instituendum antea declarent, & conditiones inferendas explicent, & quem fructum ex eadem pecunia postulent: Hæc magnopere conferunt non modo ad animi sollicitudinem & scrupulos evitandos, sed ad ipsum contractum in foro externo comprobandum. Hæc etiam aditum intercludunt disputationibus, quæ non semel concitandæ sunt, ut clare pateat, utrum pecunia, quæ rite data alteri esse videtur, revera tamen palliatam usuram contineat.

Quarto loco vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis illorum sermonibus, qui distitant, de usuris hoc tempore quæstionem institui, quæ solo nomine contineatur, cum ex pecunia, quæ qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim perpendamus, naturam unius contractus ab alterius natura prorsus diversam & sejunctam esse; Et ea pariter discrepare magnopere inter se, quæ a diversis inter se contractibus consequuntur. Revera discrimen apertissimum intercedit fructum inter, qui jure licito ex pecunia desumitur, ideoque potest in utroque Foro retineri; Ac fructum, qui ex pecunia illicite conciliatur, ideoque Fori utriusque judicio restituendus decernitur. Constat igitur haud inanem de usuris quæstionem hoc tempore proponi ob eam causam, quod ut plurimum pecuniæ, quæ alteri tribuitur, fructus aliquis excipiat.

Hæc potissimum vobis indicanda censuimus, sperantes fore, ut mandetis executioni quæcumque per has literas a Nobis præscribuntur; Opportunis quoque remediis consulatis, uti confidimus, si forte ob hanc novam de usuris controversiam in Diocesi vestra turbæ concitentur, vel corruptelæ ad labefandum sanæ doctrinæ candorem & puritatem inducantur: Postremo vobis & Gregi curæ vestræ concedito Apostolicam benedictionem impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die prima Novembris MDCCXLV. Pontificatus Nostri anno sexto.



PONT.

NUM. XLVI.

ANNO

A. VI.

DIEBUS FESTIS

1745

Prohibentur haberi *Mercatus* rerum venalium. Tollerantur vero *Nundinæ* sub certis conditionibus.

*Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & Ordinariis Ditionis Ecclesiasticæ.*

**BENEDICTUS PP. XIV.**

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**A**B eo tempore, quo copiosus in misericordia Dominus, Nos licet immeritos, ad summum Catholicæ Ecclesiæ Pontificatum evexit, complures diversi Ordinis illustres Viri, itemque Episcopi, & Archiepiscopi in Italia, & extra commorantes, iteratis precibus institerunt, ut Dies festos, ubi-

PONT. que fere nimis auctos, quibus Christianus Populus feriatur, Apostolica Auctori- Anno  
 A. VI. tate imminueremus. Hoc enim prudenti temperamento, Pauperibus, qui quo-  
 tidiano labore sibi victum quærunt, facile consuleretur, ac simul gravia adi- 1745  
 merentur absurda, quæ ex festorum dierum multitudine, ac frequenti viola-  
 tione oriri solent, non sine aperto Religionis dispendio. Re expensa, negotii  
 difficultatem probe intelleximus: quare peculiari Scripto, publicis etiam typis  
 vulgato, rationes varias indicavimus, quibus ea immutatio fieri poterat: con-  
 silium pariter exquirentes nonnullorum S. R. E. Cardinalium, Episcoporum  
 Italiæ, aliorumque Regionum, Ecclesiasticorum Prætulorum, Theologorum, Ju-  
 risconsultorum, aliorumque Virorum doctorum, humanas, Civileque res cal-  
 lentium, an hujusmodi petitio esset exaudienda: Si vero illam exaudiri æquum  
 esset, & congruens, ipsi quoque rationes significarent, quibus utiliter, ac pru-  
 denter imminutio præscriberetur.

§. 1. Petita responsa tam varia, ut solet contingere, suo tempore accepi-  
 mus, ut fore sua cuique fuerit sententia. In aliud proinde tempus negotium  
 rejecimus, eam in spem adducti, ut Episcopi cujusque Provinciæ, vel Ditic-  
 nis, unanimi voto in sententiam imminuendi Dies festos primum convenirent;  
 deinde vero, quo commodius id fieri posset, concordi pariter suffragio me-  
 dium aliquod suggererent ex tot memoratis in Scripto Nostro, ac pro illius  
 executione Pontificium assensum exposerent. Hoc sane pacto inita ab Ordina-  
 riis consilia in re tanti momenti non illorum voluntati referri potuissent, sed  
 tantum supremæ Apostolicæ Sedis auctoritati, quam fel. record. Urbanus Papa  
 VIII. Prædecessor Noster integram esse voluit in decernenda imminutione Die-  
 rum festorum, qui in sua Constitutione recensentur. Demum una eademque  
 Episcoporum deliberatio, Apostolicæ auctoritatis testis munimine, nedum plu-  
 rimum valuisset ad compescenda Censuram ingenia, sed etiam sublata fuisset  
 disparitas illa ritus, quæ hodie viget, disciplinæ Ecclesiasticæ injuriosa, ut in-  
 tra paucorum miliarium ambitum, & inter finitimos Populos, unus idemque  
 dies ab aliquibus festus de præcepto, ab aliquibus vero ferialis haberetur.

§. 2. Hæc methodus feliciori sorte in universa fere Hispania excepta est:  
 Cum enim postremi Tarraconensis Concilii Patres regulam quamdam constitue-  
 rint dierum festorum, quibus, pro illorum conditione, atque discrimine, Po-  
 puli Divino interesse Sacrificio, & servilibus operibus abstinere debent, & alio-  
 rum, quibus Missæ tantum interesse debent, tributa postmodum libertate va-  
 candi operibus servilibus; fel. record. Benedictus XIII. Decessor, & Benefactor  
 Noster disposita in eadem Provinciali Synodo ad preces Episcoporum appro-  
 bavit. Quo exemplo alii subinde Hispaniarum Antistites excitati, Nobis hu-  
 militer supplicarunt, ut ad minuendum nimis auctum festorum numerum, li-  
 ceret ipsis etiam servare regulam in præfato Tarraconensi Concilio provide con-  
 stitutam. Annuimus instantiæ; exindeque omnium fere Hispaniarum Diœceseos  
 uniformitas in dierum festorum celebratione, & ritu exorta est.

§. 3. Aliis quoque Catholici Orbis Regionibus servata a Nobis in hoc nego-  
 tio conficiendo matura dilatio profuit. Interea, siquidem aliquot Regni Polo-  
 niæ Episcopi, mentis aciem ad substantiam, & modum imminuendi dies fe-  
 stos dirigentes, per Literas Nobis significarunt, in aliis Diœcesibus, suos late  
 fines protendentibus, æstivo tempore Incolas agrorum culturæ, & aliis servi-  
 libus operibus, quibus vivunt, & sustentantur, dantes operam, difficillime ab  
 illis abstinere posse diebus festis inter hebdomadam concurrentibus: Enixe pro-  
 pterea Nos rogarunt, ut quæ per hebdomadam æstivo tempore occurrunt festa,  
 in Dies Dominicos transferremus, excepto festo Assumptionis B. M. Dei Gene-  
 tricis, quæ quovis die accideret, religiose ab universis celebraretur. Quorum  
 petitio per Nos, maturo præmissis examine, exaudita, in Regionibus illis  
 optatam ab Episcopis & Populis tranquillitatem peperit.

§. 4. Quod vero ad Italiam pertinet, credi vix potest, quam prudens, ac reli-

PONT. religiosus de re ipsa fuerit sermo, quem Nobiscum instituit Charissimus in ANNO  
Christo Filius Noster Carolus utriusque Siciliæ Rex illustris. Non sine inti-  
mo, ac plane acerbo animi sui mœrore Nobis exposuit, dies festos, quibus  
A. VI. Christiani Populi feriari debent, in subjectis sibi Regionibus passim violari, ob  
1745 nimis auctum illorum numerum; huic porro malo non aliam adhiberi posse  
medelam, præter diminutionem suprema auctoritate Nostra opportune facien-  
dam. Significare illi non omisimus, gravem, ac molestantem utrique sollicitudi-  
nem oborituram, si rem tanti ponderis inconsultis Episcopis conficere velle-  
mus. Idcirco, ut omnia feliciter procederent, non solum exquirendas esse il-  
lorum sententias, sed oportere, ut Antistites finitimi, vel Metropolitæ cum  
suis Provincialibus, studia, & voluntates in eundem scopum dirigentes, quid  
tandem factu opus esset, ad Nostri deferrent Apostolatus auditum. Par omnium  
suffragium communem tranquillitatem subjectis populis allaturum, & quod pos-  
sissime in rebus sacris quærendum est, ritus uniformitatem, & disciplinæ  
concordiam.

§. 5. Id ipsum significavimus Episcopis temporalis Nostræ Ditionis; quorum  
nonnulli privato sermone Nobiscum habito, nonnulli vero suis ad Nos datis  
Literis, Apostolicam auctoritatem ad festos dies imminuendos enixe implora-  
runt. At cum ipsi nihil hactenus præstiterint, nihil & Nos egimus; liberam,  
prudentemque Episcoporum concordiam in hoc negotio præstolantes, non im-  
perantes, & exigentes. Etenim moderatio numeri dierum festorum non a vo-  
luntate, sed a sola pendet necessitate, quam nemo melius, quam Episcopi no-  
runt; ideoque ad eos potissimum pertinet, mali conditionem, & apta eidem  
remedia præferre: Nec facile adduci possumus, ut in hoc adeo gravi, & im-  
plexo negotio quidquam decernamus, nisi audita prius concordia quoad *substan-  
tiam*, & quoad *modum*, Episcoporum sententia.

§. 6. Hæc vobis, Venerabiles Fratres, cum in finem scribimus, ut non so-  
lum cuique Vestrum plane cognita, ac perspecta sit agendi ratio a Nobis ini-  
ta in hac gravi causa imminutionis dierum Festorum; verum etiam ut oppor-  
tune nuntiaremus, si vestra consilia ex voto nostro Nobiscum communica-  
vissetis; vel sublata prorsus, vel saltem magna ex parte submota fuissent ma-  
la, quibus curandis congruum, ac salutare remedium non semel a Nobis ex-  
postulastis.

Complures etenim Vestrum voce, aut scripto improbarunt abusum Mercan-  
num, & Nundinarum, quæ fieri solent diebus Festis, quibus feriari oportet,  
ut Populus unice in res sacras incumbat; rationem a Nobis poscentes, qua  
grassanti in diem malo occurrere possit.

§. 7. Inter modos propositos, atque servandos in imminutione ac celebratio-  
ne festorum, præcipuus ille est, quo inter ipsos festos dies discrimen constitui-  
tur. Etenim in diebus Dominicis, itemque in Celebritatibus Domini, B. M.  
semper Virginis Dei Genitricis, ac in aliis solemnioribus in memorato Scripto  
Nostro indicatis, debet Christianus Populus nedum interesse divino Sacrificio,  
sed etiam abstinere ab operibus vetitis; In cæteris vero minus solemnibus,  
qui tamen ex præcepto celebrari consueverunt, imposita est Christifidelibus ob-  
ligatio interessendi Sacrificio, tradita in reliquis cuique illorum potestate ea  
faciendi, quæ fieri solent diebus ferialibus.

§. 8. Quo cautius, ac tutius incederemus, consulere voluimus Chirographa  
Summorum Pontificum Decessorum Nostrorum, quibus peculiaribus Urbibus,  
& Oppidis, temporalis suæ Ditionis habendarum Nundinarum facultatem tri-  
buerunt. Multi iis diebus Nundinas fieri permiserunt, quibus Christifideles  
(juxta propositum Thema) servilibus operibus abstinere debebant, Divinoque  
adesse Sacrificio; Sed numerum longe majorem illarum comperimus, quæ inci-  
dunt in eos dies Festos ex præcepto, quibus, si expetita fuerit illorum immi-  
natio, satis fuisset Missam audire, excluso debito abstinendi ab operibus servi-  
libus,

PONT. libus, sublatoque onere peragendi, quæ in aliis superioris ordinis Festis Christianus Populus debet implere. ANNO

A. VI. §. 9. Hac via, si non omni, magna certe ex parte sublata essent mala, quibus, memorata de causa, congruens, & opportunum a Nobis remedium postulatis. Enim vero bifariam divisus, ut præmonuimus, diebus festis, affixoque inferiori ipsorum ordini debito interessendi dumtaxat Divino Sacrificio; celebratæ in illis Nundinæ nullum deinceps peperissent absurdum, nec libertas operum servilium, cum interessentia Missæ compatibilis, refragari potuisset præcepto ab Ecclesia Fidelibus injuncto. Præterea nullus Urbibus, & Opidis relictus fuisset timor, ne, cum Incolarum, & Concurrentium detrimento, Nundinarum frequentia immineretur. Quippe juxta hypothesim præmissam, recolente adhuc Clero solemnè ritu Diem festum intra Ecclesiam, sumptuoso ornatu, omnique nitore instructam; in ipsa Sacri concentus musices haberi de more potuissent; permitti quoque potuissent citatorum equorum cursus, aliaque id genus, quæ Populi augere solent numerum, Mercatorum frequentiam, & Nundinarum celebritatem. Sed de re hujusmodi, veluti, extranea, sermone relicto, ad propositæ quæstionis examen progredimur, dierum Festorum imminutione seclusa.

§. 10. Eruditioni vestræ, Venerabiles Fratres, ignotum non erit, quod hæc de re Theologi tradunt. S. Thomas in 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad quartum. Docet, arctiorem in antiqua Lege fuisse observantiam Sabbathi, quam sit in nova observantia diei Dominici; dieque Sabbatho vetita fuisse opera, quæ non vetantur die Dominico. Cardinalis vero Cajetanus in Commentarium ad hunc locum asserit, licere Villicis diebus Festis Urbem petere, ut calceos emant, & his similia. De Alma vero Urbe sermonem instituens, morem profert hæc tempestate jam obsoletum; Inquit enim: *Licitum est diebus festis emere, ac vendere asinos, equos, quia sic est consuetudo in publico foro in diebus festis, spectante Mundo: hæc omnia enim ubi antiqua consuetudo, ac per hoc a Prælatibus facta, cum sint omnibus notoria licita sunt ex ipsa consuetudine, fundata super libertate Evangelica, qua non tenemur stricto juri veteris Legis de observatione Festorum.* Cajetano subscribunt Sylvester in summ. verb. Negotium §. 2., Sylvius ad S. Thom. 2. tom. 3. quæst. 122. art. 4. §. Ad prius, Suarez de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 29. num. 3. ad plur. sequen., Giballin. de Negotiation. tom. 1. lib. 2. cap. 3. art. 2. n. 9. in fin.

§. 11. Eiusdem sententiæ sunt etiam Ecclesiastici Juris Interpretes, ut videre licet apud Fagnan. in cap. Multa num. 54. & seq. ne Cleric. vel Monac. Idemque sentiunt Gonzal. in cap. Omnes num. 8. de Fer., Pirhing. ad Tit. Decretal. de Feriis num. 18. Anaclet. cod. tit. num. 22., Engel. ibid. §. 2. num. 13. Pinkber. num. 9., Schmalzgrueber num. 23. aliique multi, qui facile citatis addi possent. Nonnulli vero ex Doctoribus Sacrorum Canonum inter Mercatus, & Nundinas discrimen constituunt; Ac primos quidem diebus festis ex præcepto observandis permitti non posse censent, secus tamen alias; quoniam non nisi diebus festis Populi habetur frequentia celebratione Nundinarum congrua, & necessaria, teste Cappon. discept. 91. art. ult. num. 4. Alii tandem docent, quavis consuetudine obstante, posse Episcopum in sua Diœcesi vetare, ne Mercatus, aut Nundinæ festis diebus habeantur; idque præter alios asserunt Cappon. loc. cit. num. 6. Gratian. dec. Marchiæ 21. Ventrigl. in Prax. Rer. Eccles. tom. 1. annot. 16. §. 1. num. 19. Zual. ad Statut. Favent. tom. 1. lib. 7. observat. ad rubr. 2. num. 24. Nicol. in Prax. Canonic. tom. 1. lit. C. §. 1. num. 44.

§. 12. Ne quid præteriremus, consulimus etiam illustriores Synodos Diœcesanas, habitas ab Episcopis Ditionis nostræ temporalis, in celeberrima Farsensi Synodo Cardinalis Caroli Barberini anni 1684., & in Cesenatensi Cardinalis Denhoff anni 1693. interdicatur quidem Mercatus diebus festis, nihil tamen de Nundinis constituitur. In altis nullo discrimine Mercatus prohibentur, & Nun-

PONT. & Nundinæ, ut constat ex Synodo Lauretana Cardinalis Romæ anni 1626. ANNO  
maxime vero deficiente Indulto, ut expresse decernitur in Senogallienſi Car-  
dinalis Antonii Barberini anni 1627. innovata anno 1737. ab Epifcopo Iſola- 1745  
no. Senogallienſi præterea Synodo Cardinalis Barberini conſonat etiam Synodus  
Ariminenſis Cardinalis de Via, edita anno hujus Sæculi vigefimoquarto.

§. 13. Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Reſponſa  
ad Epifcopos, qui de ſuis Diœceſibus retulerunt, pari cura a Nobis perleſta  
ſunt. De re ipſa conſulta, reſcripſit Epifcopo Placentino, juxta antiquam con-  
ſuetudinem ſineret haberi Nundinas rerum parvi pretii die feſto S. Bartholo-  
mæi Apoſtoli, dummodo id non fieret in Atrio Eccleſiæ, ut ex *lib. Decret.*  
*anni 1629., lib. 14. pag. 207.* Epifcopo Cafaleniſi anno 1665. reſponſum fuit:  
Curaret ſedulo, ne Mercatus haberentur feſtis diebus, ſed transferrentur in  
diem ſequentem, omnemque pro viribus impenderent ſollicitudinem, ut id  
ipſum impoſterum fieret. *ſi privilegium, vel immemorabilis conſuetudo non ad-  
ſit*: Anno 1697. Epifcopo Theanenſi reſpondit: *Tollerari poſſe Mercatus diebus  
feſtis, dummodo ad alium diem transferri nequeant; & ex eorum omiſſione jur-  
gia, & ſcandala exoriri poſſint.*

§. 14. Probe inſuper ſcientes, fieri non poſſe Nundinas ſine expreſſo Supre-  
mi Principis permiſſu, cum id juris pertineat ad *Regalia*, & quidem majores,  
ad tradita per *Sixti de Regul. lib. 1. cap. 6. n. 30.* Ac etiam in parte opportu-  
næ doctrinæ lumina quæſituri, non omiſimus (ut paulo ante monuimus) in-  
ſpicere Chirographa Summorum Pontificum Deceſſorum Noſtrorum, qui veluti  
Supremi Provinciarum ſuarum Domini, eam facultatem multis Urbibus, &  
Oppidis conceſſere, haberique Nundinas indulferunt etiam diebus feſtis inſtitu-  
tis in honorem D. N. J. C. & B. Genitricis ejus frequentiffime vero Sanctorum  
Patronorum Principalium, vel Titularium Locorum, & Eccleſiarum, ad ma-  
jorem populi frequentiam, atque celebritatem conciliandam.

§. 15. Quæ omnia vel ſecum pugnantia, vel implexa, viam propoſitæ diſ-  
ſolvendæ quæſtioni non compararunt, immo potius difficiliorem, & abſtruſio-  
rem reddiderunt. Ne igitur ullæ diligentiæ Noſtræ partes deeſſent pietati, &  
zelo vigilum Antifitum Reſponſa Noſtra cupientium; his omnibus ſeorſim po-  
ſitis, manus admovimus Eccleſiaſticis Hiſtoriis & Conciliis, e privatæ Biblio-  
thecæ Noſtræ penu depromptis. Quibus preſſius inſiſtentes ſemper tamen præ-  
oculis habito præſenti rerum ſtatu, longo uſu & antiquitate ſulto, ſignifican-  
dum Vobis eſſe cenſemus.

§. 16. PRIMO, Mercatus, & Nundinas Feſtis diebus non licere. Nundinas  
autem intelligimus, quæ ſunt de rebus majoribus, & ſemel in anno fiunt, vel  
raro in eodem loco, & de longinquo ibidem conveniunt homines: Mercatus vero,  
qui ſunt in rebus minoribus, ad quotidianas neceſſitates pertinentibus, & fiunt  
ſingulis ſeptimanis, & ab hominibus de vicino ibidem convenientibus: Verba ſunt  
Venerab. Servi Dei Umberti de Romanis, Quinti Magiſtri Generalis Ordinis  
Prædicatorum in egregio Opere *De Eruditione Religioſorum Prædicatorum lib. 2.*  
*traſſ. 2. num. 92. pag. 351. Edit. Rom.* Id autem pronuntiamus, non quia ven-  
dere, ac emere ſit opus ſervile, ideoque vetitum diebus feſtis; ſed quia actio-  
nes hujusmodi impediunt & ditrahunt Chriſtifideles a cultu Divino, ad quem  
dies feſti ſunt inſtituti.

SECUNDO: Antiquum proſecto eſſe abuſum Mercatum, itemque Nundina-  
rum iſſdem Diebus.

TERGIO: Eccleſiaſticis Legibus quovis tempore illas fuiſſe vetitas.

QUARTO: Hujusmodi juſtas ſanctasque Leges caruiſſe effectu.

QUINTO tandem, Quia malum univerſale eſt, ac altas radices egit, opus eſt  
prudencia, & maturitate, ne fructu careat medela, ac vulnus exalperet: quod  
poſſumus exigendum eſt, non quod optamus. Admonitionibus proinde uti ſa-  
tius videtur, quam minis, & ſi minæ quandoque intententur, ſervandum eſt

PONT. exacte monitum sapientissimum S. Augustini in Epistola 22. ad Aurelium Carthaginiensem Episcopum, qui agens de auferenda conviviorum licentia passim

A. VI. Africam fæde occupante sub inani obtentu honorandi festa Ss. Martyrum, scriptis: *Non asperere, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur; magis docendo, quam iubendo; magis monendo, quam minando; sic enim agendum est cum multitudine: Severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futurorum, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeamur. Ita prius movebuntur spirituales, vel spiritualibus proximiores; quorum auctoritate, & lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus, & cætera multitudo frangatur.* 1745

§. 17. Ad propositam a Nobis rationem firmandam sufficit legere Catechismum Tridentini Concilii part. 3. præcept. 3. n. 3., ut simul addiscatur, in quæ opera Christianifideles festis diebus debent incumbere. Ea nimirum sunt, Divino Sacrificio reverenter adesse; Dei verbum attente; pioque corde audire; Ecclesias frequentare; mundare conscientiam; Deo laudes persolvere, aliasque salutares exercitationes obire. Diu ante Romanum Catechismum id ipsum feliciter enuntiatum fuit a S. Nicolao Papa hujus nominis I. in Responsis ad Consulta Bulgarorum tom. 22. Collect. Conciliorum Editionis Regiæ n. 10. pag. 441.: *Sane, inquit, sciendum est, quoniam idcirco in diebus festis ab opere humano cessandum est, ut liberius ad Ecclesiam ire, psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis Divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus: Inde etiam coacti in Conciliis Patres rationem potissimum hausere denunciandi, illicitam esse diebus festis celebrationem Mercatus, & Nundinarum. Qua de re videnda Concilia Rhemense, ac Turonense habita Anno Domini 1583. In eandem sententiam Narbonense anni 1609. decrevit: Mercatus, Emporia, & Nundinæ nusquam fiant diebus festis, sed in antecedentem, vel subsequentem festivitatis diem transferantur. Eorum porro Conciliorum verba fidei calamo recensentur a Pouget. in Institutione Catholicæ tom. 1. pag. 724. & seq.*

§. 18. Cæterum habendarum Nundinarum, & Mercatum in diebus Festis corruptelam antiquo jam tempore invaluisse, plurima evincunt monumenta. S. Basilius Cæsarensis Episcopus, qui quarto Christianæ Ecclesiæ Sæculo vixit, in Regula Monachorum interrogatione 38. post stabilitum ipsorum laborem, propriis manibus dietim absolvendum, indicavit in sequenti interrogatione quomodo peracta opera vendi deberent, ut eorum prætio sustentarentur. Mox in interrogatione 40. scripsit: *Neque vero quoniam alii jam, quæ apud Sanctos obtinebat, consuetudinem violavere, qui cum pro se invicem orare debuissent, & una cum pluribus Deum adorare, & cum lacrymis implorare, ipsumque pro peccatis propitium reddere, gratias pro beneficiis rependere, ac verbis hortativis sese adficare (quod adhuc nostra etiam memoria usitatum, & observatum fuisse novimus; ) pro iis omnibus forum, Nundinasque, ac commune emporium, & tempus illud, & locum efficiunt continuo nos etiam hos imitari par est ejusque rei participatione absurda, & inepta confirmare: Ut videre licet in tom. 2. Operum ejusdem S. Basili editionis Parisien. pag. 346. Aurelius Cassiodorus Senator, & ab Epistolis Theodorici Regis Gothorum, qui vivebat seculo sexto, in Epistola 33. lib. 8. tom. 1. festum celeberrimum describens, quod in Lucania agebatur in honorem S. Cypriani Martyris, itemque miraculum a Deo hac occasione edi solitum ad fontem Marcellianum; mentionem pariter ingerit de Nundinis longe frequentissimis ad augendam festi celebritatem ibidem institutis. Quidquid enim (inquit) præcipuum aut industrie mittit Campania, aut opulenti Bruttii, aut Calabri pecuniosi, aut Apuli idonei, vel ipsa potest habere Provincia, in ornatum pulcherrimæ illius venalitatibus exponitur, ut merito tam ingentem capiam*

PONT. *Judices de multis Regionibus congregatam.* Jubet deinde Severo Provinciæ Præ- ANNO  
 sidi, ut vim tumultuariam villicorum quorundam comprimat, qui commeantes  
 A. VI. Mercatores spoliabant. Ad finem ejusdem sæculi vixit S. Gregorius Turonensis 1745  
 pag. 758. describit nobile festum, quod in honorem S. Thomæ Apostoli fiebat  
 Ædesæ, ubi sacræ illius exuviæ ex India translatae quiescebant. Fontem miri-  
 fice scaturientem memorat, potum confluentibus ad festum, quod triduo age-  
 batur, tribuentem: nec reticet liberas a vestigalibus Nundinas, quæ sacram  
 celebritatem illustriorem reddebant: *In supradicta igitur Urbe, in qua beatos ar-  
 tus diximus tumulatos, adveniente festivitate, magnus aggregatur Populorum cæ-  
 tus, ac de diversis Regionibus cum votis, negotiisque venientibus, vendendi com-  
 parandique per triginta dies sine ulla telonii exactione licentia datur.* Rumartius  
 in notis ad hunc locum animadvertit, in quibusdam exemplaribus legi: *Nego-  
 tiatoribusque venientibus*; in aliis vero: *Negotiisque venientes*: negotiique no-  
 mine res venales indicari. Tandem undecimo ineunte sæculo, cum Mediolani  
 in Templo S. Mariæ ad Portam septimo Idus Maji aliquot insignes Sanctorum  
 Reliquiæ fuissent inventæ, constitutum est a Clero, ut ad perennem rei me-  
 moriam dies ipse quotannis festus haberetur; Populusque universus ferietur,  
 tanquam in die Resurrectionis, & Nativitatis D. N. J. C. Quo etiam die, ad  
 frequentationem solemnitatis, statutum est, annuale esse Mercatum, teste Landul-  
 pho Juniore cap. 2. Itæ Historiæ, apud Muratorium tom. 5. Collect. script.  
 rer. Italic.

§. 19. Quod autem vigiles Ecclesiarum Præsides nunquam omiserint, in hu-  
 jusmodi abutum celebrandarum Nundinarum atque Mercatum diebus festis,  
 invehere, agnoscere potestis ex tom. 4. *Anecdotorum Parisii editorum a Mar-  
 tene, & Durand. pag. 335. & 1133.* Ex amplissima collectione Scriptorum, &  
 monumentorum ab eisdem publicata, præsertim tom. 7. pag. 1401., & tom. 8.  
 pag. 1006., 1560. & sequent.; Itemque ex Labbeana collectione Conciliorum  
 editionis Parisiensis tom. 7. pag. 1177. tom. 8. pag. 111., & 127. tom. 9. pag.  
 422., & 584 tom. 13. pag. 1380. & tom. 14. pag. 702. Inter Acta Medio-  
 lanensis Ecclesiæ id ipsum linquet, ex tertio Provinciali Concilio, & Undeci-  
 ma Synodo Dicaesana S. Caroli. Quod si id genus testimonia ex Canonico  
 quoque Jure petenda sint, in prima Decretali sub titulo *de Feriis* vobis occur-  
 rit præceptum, quo jubentur Christiani diebus Dominicis ab omni illicito  
 opere abstinere, ut in eis mercatum minime fiat. Quo nomine comprehendun-  
 tur etiam Nundinæ, ut in Commentariis ad allegatum Textum docent plerum-  
 que Canonici Juris Interpretes. Præterea in Bullario Romano extat Constitu-  
 tio quinta S. Pii V., in cuius §. 8. Pontifex vigilantissimus cavet: *Ut omnes  
 dies Dominici, & præcipue in honorem Dei, B. M. Virginis, SS. Apostolorum  
 feriati, cum omni veneratione observentur, & omnes in diebus præfatis Ecclesias  
 frequentent, Divinis Officiis devote intendant, ab omni illicito, & servili opere  
 abstineant, Mercatus non fiant, profanae negotiationes, & Judiciorum strepitus  
 conquiescant.*

§. 20. Adversus tot saluberrimas Ecclesiæ Sanctiones provide editas, suborta  
 jam diu corruptela adhuc perseverat, & a Populis pertinaciter retinetur non  
 in nostra solum temporali Ditione, verum etiam in tota Italia, ut testatur  
 Muratorius tom. 2, *Antiquitatum Italicarum dissertat. 32.* Ubi postquam asseruit  
 magnis Mercatibus tributum fuisse nomen *Feria*, vulgo *di Fiera*: *Hiscæ vero  
 hoc nomen indium, quod plerumque diebus feriatis haberentur, hoc est, in Natali  
 alicujus Sancti, aut Dominicis festivitatibus, opportune ad rem profequitur:  
 Quem morem parum aliqui laudabilem adhuc Italia servat.* In Transalpinis  
 quoque Provinciis idem abusus, antiquo tempore in vestus, hodie viget; quem-  
 admodum videre licet apud Theologos, & Sacri Juris Interpretes a Nobis pau-  
 lo ante memoratos, qui tamen patrium morem, & si minus probum, excusant

PONT. obtentu Indultu, vel consuetudinis antiquæ constanter tolleratæ. Quapropter ANNO  
 suspicari merito possumus, toti fere Orbi Christiano accidisse, quod in Anglia  
 A. VI. contingit duodecimo Christi Sæculo. Abbas Flajensis, ut refert Matthæus Pa- 1745  
 risius subjettæ sibi regionis Populis vetaverat Mercatus, & Nundinas diebus  
 Dominicis, quamvis illæ in tota Anglia fierent; sed vix aliquandiu relicto abu-  
 su; in vetitum morem Gentes illæ rediere; *Veruntamen tempore procedente,*  
*plerique, ut canes, ad vomitum sunt reversi.*

§. 21. Reliquum modo est, ut dispiciamus, quod ultimo tandem loco expen-  
 dendum proposuimus, quo scilicet remedio prudenter ac salubriter uti debemus,  
 ut grassans ætate nostra tollamus absurdum.

§. 22. Debito procedentes ordine, Mercatus a Nundinis distinguimus. Tex-  
 tus Juris Canonici paulo ante allegatus in *cap. 1. de Feriis* loquitur de Mer-  
 catu. Idem quoque verbum in Constitutione sua usurpat S. Pius V. Commu-  
 nis præterea sententia est, (quidquid sit de Nundinis) Mercatum haberi non  
 posse diebus festis, sed esse transferendum in antecedentem, vel in subsequen-  
 tem diem, si in festum inciderit. Huic regulæ Nos inhæsimus, facultatem tribu-  
 entes *die 9. Maji 1742.* Viro Nobili Fer. habendi Mercatum in suo Rure quali-  
 bet feria quinta, dummodo in illam non incideret festum servandum ex præ-  
 cepto; quo casu Mercatus transferretur in feriam quartam. Quia de re omnem  
 dubitandi ansam præcidentes, Vobis, per hæc Apostolica scripta mandamus,  
 ne in Diœcesium vestrarum Urbibus, & locis *Mercatus* fieri festis diebus pa-  
 tiamini.

§. 23. Libentius præterea id vobis præcipimus, quia post sedulum ac matu-  
 rum examen, consentaneæ id ipsum decrevit die 2. Maji 1711. Congregatio Car-  
 dinalium Concilii Tridentini Interpret in *Causa Ripana Mercatus*, ut *ex lib.*  
*61. Decret. p. 203. a terg.* Quod Decretum Apostolica auctoritate Nostra com-  
 probantes, instar regulæ esse volumus, ac in omnibus Temporalis Ditionis No-  
 stræ Provinciis, Urbibus, ac Locis S. Sedi Apostolicæ mediate, vel imme-  
 diate subjettis, inviolabiliter observari præcipimus. Decreti hujusmodi  
 sequens est exemplum: *Cum modernus Episcopus Ripanus de Mense Septembris*  
*1709. Edictum typis mandaverit super observantia dierum festorum, in quo signan-*  
*ter illud præscripsit §. 2. Le Fiere, che sogliono farsi in alcune Feste determina-*  
*te dell' anno, si tolerano dopo celebrata la messa Maggiore; Ma i Mercati, che si*  
*fanno in g orno sso della Settimana cadendo in questo qualche festa, si trasferiscano*  
*nel giorno antecedente, o susseguente non festivo, secondo la disposizione di tutti*  
*i Sinodi Diocesani da nostri Antecessori stampati sotto le infrascripte pene &c. Ni-*  
*hilominus Civitas, & Homines Ripani ad impediendam ejusdem edicti promulga-*  
*tionem, ex asserta immemorabili consuetudine habendi Mercatum in die Sabbati,*  
*etiam si in eum incidat dies festus, obtinuerunt ab A. C. Monitorium super ma-*  
*nutentione cum inhibitione. Sed R. P. Auditoris Sanctissimi Decreto Causa remis-*  
*sa fuit ad hanc Sacram Congregationem, in qua concordato infrascripto dubio, con-*  
*tingit hodie ex deducendis hinc inde a Partibus momentis disputari: An liceat*  
*Communitati, & Homibus Ripæ habere Mercatum die Sabbati, intus, vel ex-*  
*tra Civitatem, quando occurrit quod sit dies festivus in casu &c.: Die 2. Maji*  
*1711. Sacra Congregatio Concilii respondit NEGATIVE, & hujusmodi causam*  
*amplius non proponi mandavit.*

§. 24. Et sane nullum hic locum habet quævis consuetudo, etiam imme-  
 morabilis, ut, omittis generalibus Jurisprudentiæ Regulis, perspicue liquet ex  
 aliis monumentis mox adducendis. Ante memoratam causam Ripanam, præ-  
 posita in Congregatione Concilii fuit alia, inscripta *Barchinonen. Observationis*  
*Festorum.* Contendebant Mercatores Barchinonenfes, vendere posse Merces suas  
 diebus festis, consuetudine sulti immemorabili, rite probata, ac etiam spe-  
 ciciem, & imaginem necessitatis præferente. Finitimorum siquidem Locorum  
 Incolæ reliquis hebdomadæ diebus victui quærendo, ac laboribus intenti, non



PONT. nisi die Festo ad Urbem accedebant. Adversante nihilominus Episcopo, **CAUSA ANNO**  
 proposita fuit in Congregatione, quæ die 13. Maji 1699. respondit: Id Mercatoribus non licere, quacumque consuetudine immemorabili nequaquam ob- **1745**  
**A. VI.** stante, Putarunt tamen Mercatores succumbentes, hujusmodi rescripto funda-  
 mentum præbuisse opinionem ingestam fore Partibus: *Se distrabere velle Merces aperitis Apothecarum Foribus.* Instaurato proinde judicio ac mente patefacta, validiore conatu objectæ consuetudini immemorabili institerunt. Congregatio tamen die 27. Martii 1683. in priori sententia, & Decreto perstitit, silentiumque Mercatoribus imposuit.

§. 25. Mercatibus succedunt Nundinæ, quarum respectu propositum nostrum esset ea decernere, quæ de Mercatibus statuimus pleno corde illis inhærentes, qui festos dies, qua decet cura ac sedula Religione, sanctificari a Christianidelibus cupiunt, & pro viribus enituntur. Sed ne pejora contingant absurda, præcipimus quod possumus, non quod optamus.

§. 26. Neminem certe latet, quo flagraverit zelo, quantumque Divini honoris fuerit studiosus, celebratissimus Pontifex Alexander III. Noster Prædecessor: Ratione tam pari ac necessitate compulsus indulgit quibusdam Populis, ut diebus Dominicis, aliisque festis, piscarentur, majoribus dumtaxat Solemnitatibus exceptis; dummodo piscatione peracta congruentem elemosynam impertirent vicinis Ecclesiis, & pauperibus Jesu Christi, ut habetur *in cap. licet de Feriis.*

§. 27. Dum in minoribus constituti a Secretis eramus memoratæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis, præ manibus habuimus Indultum fel. record. Sixti Papæ V. Prædecessoris Nostri, qui ad preces cujusdam Abbatis Ordinis S. Benedicti Diocæf. Gerund. facultatem impertitus est piscandi diebus festis Habitatoribus Castri, Mari adjacentis, post auditam Missam, & post meridiem, adjecto onere tribuendi Abbati, ejusque Monasterio tertiam lucri partem, in Ecclesiæ instaurationem pie erogandam. Quæ conditio progressu temporum cum nimis onerosa visa sit Piscatoribus, paupertate præssis, & exhaustis dispendio, quod Naves Piscatoriæ exigebant; re ad Sacram Congregationem delata, imminutum fuit primævum onus ad septimam partem, ut ex Decreto edito die 24. Augusti 1720.

§. 28. Fatemur sane, necessitatem, quæ se se Alexandro III. objecerat, cum illa, in qua versamur, non esse conferendam. Nostra tamen gravis est, si illa fuit gravissima. Durum enim est, atque asperum id Populis adimere, quod Decessores Nostri peculiaribus Literis indusserunt. Res præterea hujusmodi conditionis est, quæ pluries vetita, atque sublata, denno in pristinum morem emerfit. De ipsa non una est Theologorum, & Canonistarum sententia: Quinimo aliquot doctrina, & pietate illustres illam illicitam non habent. De re tan dem agitur, qua sublata, minuerentur Populorum commoda, atque commercia, humanæ vitæ longe opportuna. E contra vero retineri alio modo non potest, quam quo viget; etenim difficillimum, ne dicamus impossibile, deprehenditur, frequentes haberi posse Nundinas extra dies festos, quibus confertim Populi confluunt, quovis alio soluti labore, ac negotio.


§. 29. Inter Nundinas, quæ in Provinciis Nostris aguntur, illustriores, ut bene nostris sunt Senogallienles protractæ multis diebus. Cum Anconitanam Ecclesiam Senogalliensi finitimam regeremus, non sine mœrore intelleximus, tempore Nundinarum ea omnia fieri festo etiam die, quæ aliis hebdomadæ diebus divino cultui non consecratis, peragebantur. Huic malo occurrere satagentes, die 24. Augusti superioris anni Constitutionem Nostram de Nundinis Senogalliensibus publicavimus, qua præter cætera jussimus, ut diebus festis Apothecæ cluderentur; neque Matutinis horis, aut Vespertino tempore, quibus Divina Officia in Ecclesiis celebrantur, vel Dei verbum Populo nunciatur, contractus fierent. Imminutum vero hac de causa sæcularibus negotiis tempus com-

PONT. compensaturi, Nundinarum dies, cum iisdem Privilegiis & immunitatibus, op- ANNO  
portune multiplicavimus. Exequutioni debitæ jussa nostra hoc anno mandata,  
A. VI. meliorem, atque utiliorem rerum ordinem pepererunt, magno omnium ci- 1745  
vium, & pene moratorum hominum solatio.

§. 30. Id ipsum, Venerabiles Fratres & vos agite. Constituite auctoritate Nostra, Matutinas, & Vespertinas horas, quibus festo die, quo Nundinæ habentur, claudi debeant Apothecæ, nec publica possint exerceri commercia, ut qui ad nundinas confluerunt, Missæ Sacrificio, & Divinis Officiis intersint, aliisque Christianis operibus festum sanctificent. Vigilate, ut omnia plene, & exacte impleantur. Nos autem per publicum Edictum non prætermittimus extendere Nundinarum privilegia ad diem sequentem, qui festus non erit; ut temporalia negotia paucarum horarum spatio, propter Dei cultum & animarum salutem, intermissa integri diei accessione commode peragantur.

§. 31. Hæc sunt, Venerabiles Fratres, quæ post maturum examen, audiamque gravium, atque doctorum Virorum sententiam, de proposita quæstione Vobis significanda censuimus, quibus omnibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 5. Novembris 1745. Pontificatus Nostri anno Sexto.



PONT.

N U M. XLVII.

ANNO

A. VI.

D I V I S I O M A T E R I A R U M

1745

Et Gratiarum Apostolicarum, quæ per Datariam Apostolicam, quæque per Secretariam Brevium Secretorum sunt expediendæ.

B E N E D I C T U S E P I S C O P U S

S E R V U S S E R V O R U M D E I .

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**G**RRAVISSIMUM Ecclesiæ universæ, rei que publicæ regimen humilitati Nostræ concreditum, optima, quantum Nobis ex alto conceditur, ratione moderari; simulque ab omnibus iis, quorum opera ac ministeriis utimur, concordibus atque in unicum publicæ utilitatis scopum collineantibus studiis procurari cupientes; id maxime interesse arbitramur, ut singulis Officiis, quibus tam justitiæ administratio, quam Gratiarum dispensatio continetur, proprias atque distinctas in Republica partes, certosque tum auctoritatis tum jurisdictionis limites designemus. Constat enim, non aliunde certiolem gubernii concordiam, quam ex recta divisione munerum, & Officiorum partitione coalescere, nec magis firmam corporis stabilitatem, quam ex apta atque ordinata membrorum omnium distinctione consistere. Quapropter, cum Anno proxime elapso, editis Apostolicis Literis XII. Kalendas Januarii, quarum initium est: *Romanæ Curia præstantiam*, hujusmodi munerum & jurisdictionum divisionem pro Judicibus & Tribunalibus hujus Nostræ Curia, in iis, quæ pertinent ad legitimam causarum judicia, opportune statuerimus: animum in præsentia adjicimus ad certos constituendos fines, intra quos ea quoque Officia se in posterum continere debeant, quibus demandata est expeditio Gratiarum, quæ de Apostolicæ Sedis liberalitate tam in Universos Christianifideles, quam in Subditos Ditioni Nostræ Populos assidue diffundantur.

§. 1. Porro ad expedienda complura hujusmodi Gratiarum genera, inter cæteros

PONT. teros Apostolicæ Sedis Ministros, & Officiales, unus in Dataria Apostolica ab ANNO  
 A. VI. immemorabili tempore extitit, Magister Brevium nuncupatus, cujus electionem ante Pontificatum fel. rec. Prædecessoris Nostri Pauli Papæ V. ad Colle- 1749  
 gium Secretariorum Apostolicorum absque controversia pertinuisse dignoscitur. Verum quum de anno 1614. post obitum olim Joannis Mileti ab hujusmodi Officium Magistri Brevium a prædicto Collegio Secretariorum Apostolicorum electi, super jure Novum Magistrum Brevium eligendi, & deputandi, triangularis orta esset lis & controversia; num scilicet ad Datariam Apostolicam, an vero ad prædictum Collegium Secretariorum Apostolicorum, vel potius ad Collegium Scriptorum Brevium, prædicti Officialis electio & deputatio spectaret; eaque Lis & Causa coram bon. mem. Marco Aurelio Maraldo tunc temporis Datario discuteretur, atque adhuc indecisa penderet, idem Prædecessor Paulus hujusmodi Litem & Causam auctoritate Apostolica ad se avocavit, & que omnibus rite perpensis, per suam Schedulam motus proprii decrevit, & declaravit, electionem personæ, quæ Officium Magistri Brevium exerceret, a prædicto Collegio Secretariorum Apostolicorum semper faciendam esse, & fore, factamque tum ab ipso Collegio electionem in persona Joannis Jacobi Bulgarij ratam habuit, approbavit, & confirmavit.

§. 2. Postea vero recolend. mem. Prædecessor pariter Noster Gregorius Papa XI. anno MDCXXI. Officium hujusmodi Magistri Brevium in Officium Vacabile sub eodem titulo, cum adnexis Prælaturæ insigniis, & honoribus, & cum facultate illud resignandi pro justo pretio, ad instar aliorum Officiorum Vacabilium, erexit, ipseque pro tempore Prælato hujusmodi Officii Possessori, omnia & singula emolumenta, quæ de cætero in Gratiarum expeditionibus a Magistro Brevium percipi & exigi consueverant, perpetuo cessit & assignavit; atque ita de una in alteram personam transeundo, Officium prædictum in proprietatem devenit Venerabilis Fratris Alexandri de Abbatibus, nunc Viterbensis Episcopi. Cum Nos, conservandis augendisque Apostolici Ærarii utilitatibus sollicitè intenti, uberes ejusdem Officii redditus, cum primum illud ex persona Moderni ipsius Possessoris vacare contigisset, Cameræ nostræ Apostolicæ in perpetuum applicare & appropriare statuissimus; ut etiam citius hujusmodi applicatio & appropriatio suum sortirentur effectum, Officium ipsum a prædicto Alexandro Episcopo pro competenti pretio resignari curavimus. Quod quum ipse de facto in manibus Nostri sponte resignasset; Nos resignationem hujusmodi admittentes ad commodum & favorem ejusdem Cameræ Apostolicæ, per speciale Chirographum, manu Nostra signatum sub die 6. Junii Anni Domini 1742., mandavimus, ipsi Resignanti perfolvi ex pecuniis prædictæ Cameræ tredecim millia scutorum monetæ Romanæ de Julii decem pro quolibet scuto, pro pretio convento prædicti Officii, quemadmodum soluta fuerunt; & ex tunc hujusmodi Officii Magistri Brevium nuncupati annum fructuum, & emolumenta ex ipsius Officii exercitio pro tempore redigenda, eidem Cameræ Apostolicæ applicavimus, & perpetuo incorporavimus; ita tamen, ut a Nostro & Pontificum Successorum Nostrorum pro tempore Datario, unus aliquis Officialis eligi, & cum congrua mercedis assignatione deputari debeat, ad hoc ut sub ejusdem Datarii directione, nomine vero Cameræ Apostolicæ, Officium ipsum fideliter exerceat, & administret, pro ut supradictus Alexander Episcopus ejusque in dicto Officio Prædecessores pro tempore exercuerunt; ac de perceptis seu exactis emolumentis, statutis temporibus, & quandocumque oportunum visum fuerit, rationem reddat, pro ut in prædicto Chirographo manu nostra signato, & in Instrumento indidem per Acta dilecti Filii Gregorii Castellani unius ex ejusdem Cameræ Apostolicæ Secretarii sub die quinta Julii ejusdem anni confecto & stipulato, latius & uberius continetur.

§. 3. Ut autem certa ratione constet, quænam gratiarum, & concessionum genera per Datariam prædictam & per organum hujusmodi Magistri Brevium  
 in

PONT. in posterum expediri oporteat; quænam vero sint expeditiones, quæ per ANNO  
 Literas sub Annulo Piscatoris, & per Secretariam Brevium Nostrorum Secre-  
 A. VI. torum fieri permittuntur; omnisque inordinatio & confusio tollatur, quæ ex 1745  
 promiscuo recurſu ad prædictas Datariam, & Secretariam Brevium, alias uſi-  
 tato, oriebatur, non sine fraudum periculo, & officiorum vacabilium de ex-  
 peditionibus participantium, adeoque ipsius Cameræ Nostræ Apostolicæ detri-  
 mento; Mandavimus Dilecto Filio Noſtro Dominico Tituli Sancti Bernardi ad  
 Thermas S. R. E. Presbytero Cardinali Passioneo nuncupato Brevium Noſtro-  
 rum secretorum Secretario, necnon Dilecto Filio Magistro Joanni Jacobo Mil-  
 lo Datario Noſtro, ut unamini studio, perpensis veteri ſilo & consuetudine,  
 atque etiam ipsa multiplicis generis Gratiarum & Concessionum natura, con-  
 ſilium suum Nobis apperirent super hujusmodi negotiorum divisione, & con-  
 grua partitione inter prædicta Officia inviolabiliter in posterum ſtabilienda &  
 respective ſervanda.

5. 4. Ipsi vero præmissa omnia ſedulo & accurate penſantes, & auditis eti-  
 am utriusque Officii prædicti Ministris in eorum praxi, ſilo & consuetudini-  
 bus; respective peritis; post maturum examen, Elenchum quemdam, commu-  
 ni ipſorum conſensu conceptum, & utriusque ſubſcriptione ſignatum Nobis ob-  
 rulerunt, in quo ſingillatim continebantur materiarum ſeu Gratiarum Apoſto-  
 licarum genera: Primo quidem earum, quarum expeditionem ad dictam Secre-  
 tariam Brevium secretorum privative; Secundo earum, quarum expeditionem,  
 tam ad ipſam Secretariam, quam ad Datariam Apoſtolicam promiscue; Tertio  
 demum earum, quarum expeditionem ad ipſam Datariam privative ſpectare  
 debere convenientius judicant.

5. 5. Porro conſeſſiones & gratiæ, quarum expeditio, juxta prædictum Elen-  
 chum, Secretariæ Brevium secretorum privative tribuitur, tales ſunt: *Altaria*  
*Portatilia: Altaria Privilegiata: Conſeſſiones Habitus Militiæ D. N. J. C., aut*  
*alterius Militiæ ſimilis: Avocaciones Cauſarum, & extinctions litium: Abbrevia-*  
*toriarum Nuntiaturarum: Indulta gaudendi privilegio anzictatis pro Advocatis Con-*  
*ſiſtorialibus Coadjutoribus: Creationes in Militem auratæ Militiæ: & in Comitum*  
*Palatinum: Licentiæ ingrediendi in Monasterium educationis cauſa: Facultates*  
*permanendi in Monasterio in habitu ſeculari: Capiendi poſſeſſionem nomine Came-*  
*ræ: Veſcendi prohibitis: Brevia facultativa Magnis Magiſtris cuſtibus Ordinis*  
*Equeſtris, vel Militiæ: Benedictiones agrorum contra Animalia nociva: Commu-*  
*tationes voluntatis: Confirmationes Decretorum Congregationum. Et Literarum Pa-*  
*tentium Nuntiorum, aut Legatorum Sedis Apoſtolicæ: Commutationes Officii Divi-*  
*ni in alias præces: Creationes in Generalem, aut alios Officiales Regulares: Cleri-*  
*catus Cameræ: Admiſſiones ad privilegia Civitatis, vulgo Cittadinanze: Depu-*  
*tationes Coadjutorum in Officiis & muneribus ſecularibus: Communicationes privi-*  
*legiorum, & indulgentiarum: Confirmationes electionum perſonarum, non tamen*  
*ſuper re Beneficaria: Creationes Magiſtrorum, Abbatum & aliorum Graduatorum*  
*Regularium: Commiſſiones contra Episcopos: Dispensationes ſuper defectu ætatis tre-*  
*decim meſium, vel alterius temporis, ad effectum ſuſcipiendi Ordines: Declara-*  
*tiones Cappellæ publicæ: Derogationes Fideicommiſſorum: Doctōratus: Deputaciones*  
*Commiſſariorum, Viſitatorum, Collectedorum, Auditorum, & Notariorum, Nuncia-*  
*turarum & aliorum ſimilium: Dispensationes ſuper Bigamia: aut alio ſimili im-*  
*pedimento obſtente receptioni in Militiis & Ordinibus Equeſtribus: Licentiæ conce-*  
*dendi bona Eccleſiaſtica in Emphyteuſim ad tempus, & ad tertiam generationem,*  
*dummodo tamen Canon, aut Cenus annuus, ſummam decem Ducatorum auri de*  
*Camera non excedat, prout reperitur in Regeſtis: Erecciones Marchionatus in Prin-*  
*cipatum, aut Ducatum, vel Comitatum: Erecciones Montium, Collegiorum, &*  
*Provinciarum pro Regularibus: Diſmembrationes Conventuum ab aliqua Provincia*  
*ad effeſum erigendi aliam: Oeconomatus: Erecciones Archiconfraternitatum cum*  
*facultate aggregandi: Facultates Univerſitatibus Studiorum: Facultates Episcopis*  
 Juſci-

PONT. suscipiendi munus consecrationis Licentiæ patrocinandæ in Causis Civilibus: Retinendi famulam in Monasterio: Facultates absolvendi a Casibus reservatis: Retinendi Sacrum Oleum Infirmorum: Et asservandi SS. Eucharistiæ Sacramentum: Facultates S. R. E. Cardinalium, Legatorum, Nunciorum, & Episcoporum Pontificio Solio assistentium: Facultas assumendi Nomen & Titulum Archiepiscopi, etiam si Pallium quis non habeat: Gubernia: Indulgentiæ ordinariæ, & extraordinariæ: Indulta: emittendi Professionem ante completum annum Novitiatus: Emittendi pariter Professionem in Conventu non destinato: Utendi Birettino: Non incedendi in habitu ratione pensionum, juxta Constitutionem Sixti V., ad triennium: Impositiones super Ecclesiasticis: Cruciatæ: Prorogationes Pensionum: Exemptiones a vectigalibus, processionibus, & oneribus: Licentiæ ingrediendi Monasteria & pernoctandi in eis. Creandi census, eosque extinguendi: Permutationes Bonorum non tamen super materia Beneficiali vel Ecclesiastica: Indulta capiendi Possessionem post signatam supplicationem, & ante expeditionem Literarum, tam pro Episcopis, quam pro quocumque Beneficio Ecclesiastico, ad sex menses: Percipiendi fructus in absentia, & non residendo: Permanendi extra statum Ecclesiasticum: Habendi Fenestram, Cancellos, & Januam in publicis Ecclesiis: Recipiendi Sacram Communionem in privatis Domus Oratorii: Retinendi, & legendi Libros prohibitos: Exercenti opera servilia diebus festivis: Celebrandi in loco patrati delicti: Incedendi in habitu laicali, ad effectum dumtaxat gaudendi privilegio Fori, & retinendi pensiones, ut supra: Legitimationes: Concessionem habendi locum in Concilio Ferrar., aut alterius Civitatis, & Terræ Status Ecclesiastici: Dispensationes, Matrimoniales pro Principibus Supremis: Oratoria Privata: Creationes Prothonotariorum Apostolicorum non participantium: Prohibitiones extrahendi Libros, Paramenta, & Uensilia Sacra: Revocationes talium prohibitionum: Prorogationes ad tempus, non tamen ad presentandum, aut publicandum, vel ad suscipiendos Ordines, sive aliquem gradum, juxta Decretum appositum, in supplicatione per Datariam: Facultates privative imprimendi Libros: Revalidatoriæ seu perinde valere super Brevibus jam expeditis: Loca seu Officia Quadraginta virorum Reformatorum status libertatis Civitatis Bononien. & Resignationes eorundem Locorum seu Officiorum: Restitutiones in integrum, dummodo non sint in materia Beneficialia: Reductiones onerum & Missarum: Concessionem privative venerationis Provisiones Ecclesiarum in Partibus Infidelium ad instantiam vel commodum Congregationis de Propaganda Fide, favore Vicariorum, nec non Ecclesiarum Scotiæ, & Hiberniæ, quæ a prædicta Secretaria gratis conceduntur: Auditoratus Rotæ Maceraten. Ferraren. & Bononien. Officia Signaturæ: Alia Officia, & munera Sæcularia, quæ a Romano Pontifice Sæcularibus conferuntur, & quæ per Breve expediri consueverunt, & similia, quæ respiciunt secularitatem sine ulla connectione cum re Beneficialia, cujusmodi sunt Capitaneatus, Baroncellatus, Fiscalatus, & similia; nec non Deputationes Coadjutorum in eisdem: Licentiæ Personis Ecclesiasticis suscipiendi tutelam Minorum, & nobilibus Mulieribus Viduis suscipiendi tutelam Filiorum: Item Personis Ecclesiasticis, studendi Juris in publicis Studiorum Universitatibus. Extraendi reliquias: Versandi cum Hereticis: Locandi ad tempus: Et indulta liberandi Reos pro Confraternitatibus.

§. 6. Gratix autem & Concessionem, quæ tam per Secretariam Brevium prædictorum, quam per Datariam Apostolicam promiscue, juxta dictum Elenchum, poterunt expediri sunt, quæ sequuntur.

- „ Confirmationes Contractuum, Statutorum, Privilegiorum, Ordinationum,
- „ Concordiarum, & Transactionum, tam in forma communi, quam in forma
- „ specifica. Absolutiones cum dispensationibus ad Ordines super Irregularitate
- „ proveniente ex defectu corporis, vel ex delicto, non tamen homicidii in Sta-
- „ tu Ecclesiastico commissi: Confirmationes Decreti Judicis: Derogationes Sta-
- „ tutorum Urbis Spoletan. & aliarum Civitatum super excessu Dotis. Dispensationes super præmissis Irregularitatibus cum prædictis restrictivis: Extra
- „ Tem-

PONT. „ Tempora, tam pro Italis, quam pro Ultramontanis: Erecciones Confraternitatum: Indulta medendi, & exercendi Chirurgiam: Indulgentiæ perpetuæ pro Confraternitatibus: Licentiæ transeundi ad Ordinem strictiorem: Licentiæ se immiscendi in Criminalibus: & restitutiones adversus lapsum quinquenni.

ANNO

1749

§. 7. Denum Concessionones, & Gratiæ, quarum expeditio, juxta relatum Elenchum, Dataria Apostolicæ privative quoad Secretariam prædictam reservata, sunt generaliter quæcumque aliæ Concessionones & Gratiæ, in superioribus non comprehensæ nec expressæ, & signanter illæ omnes, in quarum expeditione, de stylo & consuetudine immemorabili, solvenda est Compositio in ipsa Dataria, aut Taxa Cancellariæ, sive Jocalium.

§. 8. Nos igitur, quum præmissam materiam, & Gratiarum Apostolicarum divisionem & partitionem juxta lance libraverimus, eandemque rationabilem, & æquitati consonam, & tam Secretariæ, & Dataria prædictarum juribus congruenter distinguendis, quam Cameræ, & Cancellariæ Apostolicarum, illarumque respective Ministrorum, Officialium, & Collegiorum indemnitatibus conservandis, & stabiliendis, aptam, opportunamque agnoverimus, non modo ipsam, prout superius expressa est, ratam, & gratam habemus; verum etiam perpetuæ ipsius firmitati, & observantiæ consulere, & providere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, eandem, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, in perpetuum approbamus, & confirmamus, illique inviolabilem Sanctionis Nostræ firmitatem, & robur adjicimus. Decernentes, & eadem auctoritate statuentes, quod gratiæ, & concessionones Apostolicæ alterutri ex Secretaria Brevium, & Dataria prædictis privative, ut præmissimus, attributæ, si quas forte per alterum ex dictis Officiis, contra hujusmodi partitionis, & divisionis præscriptum, expediri quandocumque in posterum contingat; necnon ipsa Literæ Apostolicæ super iisdem confectæ; nullitatis & invaliditatis vicio subiceant: pro ut Nos illas ex nunc, pro ut ex tunc, & e contra, tamquam non rite, & legitime, seu etiam nullo modo expeditas, processusque forsan habitos, vel habendos per easdem, cum omnibus, & singulis inde quomodolibet secutis, & sequendis, dicta Apostolica auctoritate, ipsarum tenore præsentium, annullamus, irritamus, & invalidamus, neminique ad quemcumque effectum ullatenus suffragari posse decernimus.

§. 9. Quamobrem iisdem Dominico Cardinali, & Magistro Joanni Jacobo Datario, eorumque pro tempore in muneribus hujusmodi respective successoribus, per easdem præsentibus districte præcipimus & injungimus, ut ipsi in posterum in quarumcumque Gratiarum & Concessionum Apostolicarum expeditione, superius præscriptam divisionem & partitionem præ oculis habentes, eam firmiter observent; ac ab omnibus & singulis sibi respective subjectis Personis, Officialibus, vel Ministris inviolabiliter observari faciant. Et pro hujusmodi observantia, omnes, & quascumque petitiones, aut supplicationes pro impetratione Gratiarum in alterutro ex dictis Officiis per Sollicitatores, Agentes, negotiorum Expeditores, aut alios quoscumque contra præscriptæ petitionis normam, forsan porrectas & præsentatas, seu quandocumque porrigendas & præsentandas, ad alterum ex iisdem Officiis, ad quod juxta præmissæ partitionis continentiam, pertinere dignoscuntur, fideliter dirigant, & remittant: Non obstantibus aliis quibuscumque ipsarum petitionum, aut supplicationum remissionibus, quæ forsan ab alio quolibet ex Nostris Administris & Officialibus, etiam a Secretaria Nostra supplicum Libellorum, ac Nostræ & Romani pro tempore Pontificis nomine, ac etiam a quacumque ex Congregationibus S. R. E. Cardinalium emanaverint, vel extortæ fuerint. Nos enim remissiones ejusmodi, contra memoratæ partitionis præscriptum quomodolibet pro tempore emanatas, vel obtentas, nisi illæ de speciali Nostræ aut Successorum nostrorum

PONT. firorum mandato, expressa ipsarum præsentium derogationem contineant, ANNO  
 tamquam per errorem factas, sive per subreptionem aut obreptionem obten-  
 A. VI. tas, ab ipsis Brevium Secretario, atque Datario, eorumque Successoribus præ- 1745  
 dictis, omnino spernendas, & nullatenus attendendas fore declaramus.

§. 10. Præsentibus quoque Literas de subreptionis, obreptionis, aut cujuscum-  
 que nullitatis vel invaliditatis vitio, intentionisque Nostræ, ac quocumque alio  
 defectu, etiam ex eo, quod in præmissis quomodolibet interesse habentes, vel  
 habere prætendentes, illis non consenserint, ac de ea vocati, & auditi non  
 fuerint, vel quocumque alio colore, prætextu, occasione, vel causa a quoque  
 notari, impugnari, in jus vel controversiam revocari nullatenus unquam pos-  
 se, sed eas semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces esse fore, suos-  
 que plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab omnibus & sin-  
 gulis, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter  
 observari: Sicque, & non aliter in præmissis, per quoscumque Judices Ordina-  
 rios, aut Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ  
 S. R. E. Cardinales, & alios quoscumque quavis auctoritate, & potestate fun-  
 gentes, & functuros sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi,  
 declarandi, & interpretandi facultate judicari, declarari, & interpretari debe-  
 re, & si secus super his, a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoran-  
 ter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

§. 11. Non obstantibus quibuscumque Constitutionibus, & Ordinationibus Apo-  
 stolicis, ac quatenus opus sit, de non tollendo jure quæsto, aliisque Nostris,  
 & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, necnon Privilegiis, Indultis, Facultatibus,  
 & Literis Apostolicis ejusdem S. R. E. Cardinali Brevium prædictorum Secre-  
 tario, ac Datario, seu Pro-Datario pro tempore existentibus, quomodolibet,  
 & ex quacumque causa hic forsan de necessitate exprimendi, respective forsan  
 concessis, approbatis, & innovatis, usibus quoque, stylis, tollerantiis, permis-  
 sionibus, & consuetudinibus etiam diuturnis, & inveteratis, in contrarium  
 præmissorum quomodolibet forsan facientibus, vel extantibus. Quibus omni-  
 bus, & singulis, illorum omnium, & singulorum tenores, etiam veriores præ-  
 sentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in  
 suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, specialiter, & expresse,  
 motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, derogamus, cæterisque con-  
 trariis quibuscumque.

§. 12. Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc Nostræ Approbatio-  
 nis, Confirmationis, Constitutionis, Irritationis, Annulationis, Præcepti,  
 Statuti, & Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis  
 autem hoc attentari præsumserit, indignationem Dei Omnipotentis, ac Bea-  
 torum Petri & Pauli Apostolorum, ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ  
 MDCCXLV., & sexto Kalendas Decembris Pontificatus Nostræ Anno Sexto,

D. Card. Passionens.

J. Datarus.

Visa de Curia.

J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 9. Decembris ejusdem Anni.

Bb

NUM.

PONT.

NUM. XLVIII.

A. VI.

1746

## SUPER CELEBRATIONE

*Duarum Missarum eadem die per unum Sacerdotem.**Venerabili Fratri Antonio Episcopo Oscensi.*

## BENEDICTUS PP. XIV.

*Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**D**ECLARASTI Nobis, in sacra Visitatione, qua Diocesim tuam perlustrasti, deprehendisse nonnullos Rectores Ecclesiarum Parochialium, quibus alia quoque Ecclesia a parochiali longe sejuncta commendata est, quam ob exiguos proventus alii Sacerdoti committere nequeunt, qui pro Rectoris munus sustineat: hinc fieri, ut Rectores ipsi rem Divinam in utraque Ecclesia Festis diebus conficere non dubitent, ut populus uterque parere possit Ecclesiae præcipienti Fidelibus, ut festis diebus Missæ Sacrificio intersint. Nobis etiam exposuisti, decrevisse in tua Synodo id minime licere Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, quoties alius Sacerdos præsto sit, qui Sacrum facere possit in una ex iis Ecclesiis, quæ Rectoribus subjiuntur; id autem attulisse tam gravem Rectoribus ipsis molestiam, ut Synodalis Decreti executionem parumper differre censueris, donec sententiam in hac re Nostram, Nostramque voluntatem intelligeres. Quamobrem prudentiam quam in primis commendamus, totiusque Hispanæ gentis in hanc Sedem Apostolicam observantiam, ob quam, si forte aliquid incerti dubique contigerit, ad Romanum Pontificem confugere, consiliumque ad explicandas difficultates deponere consuevit. Deindæ tuæ Synodi Decretum æquitati ac disciplinæ Ecclesiae maxime consentaneum esse respondemus; ita ut demandari executioni debeat, nec vanis omnino Rectorum querimoniis imminui, vel labefactari.

Quamvis nonnulli ex Theologis Moralibus (& quidem nimis indulgenter) plures rationes & causas excogitaverint, ob quam Sacerdos eodem die Sacrificium Missæ bis offerre posse videatur, quemadmodum facile videri potest 3. Summæ Sancti Antonini tit. 3. cap. 6. n. 5. item lib. 3. Summæ Sancti Raymundi tit. 24 & in Summa Hostiensis ad tit. de celebratione Missarum num. 14. & seq. & in Summa Sylvestrina in verb. Missa primo. §. Septimo queritur, & in Summa Armilla in verb. Missis n. 15. id tamen unanimi consensu permittitur Sacerdoti, qui duas Parochias obtineat, vel duos populos adeo sejunctos, ut alter ipsorum Parocho celebranti per dies festos adeire nullo modo possit, ob locorum maximam distantiam, tunc enim absque ulla dubitatione licere existimant ejusmodi Rectori, cum festi dies incidunt, bis Sacrum conficere, ut populo utrique satisfaciatur. Et Suarez in 3. part. Divi Thom. qu. 73. art. 2. disput. 80. sect. 3. de hac hypothese loquens, inquit, in ea tantum hodie licere duas Missas eodem die celebrare: *Casus de pluribus Parochiis est proprius, ac fore solus in usu.* At vero si in altera ex his Parochiis Sacerdos aliquis deprehendatur, qui rem Divinam facere possit, tum illarum Rectori nequaquam licet in utroque loco Sacrificium iterare, eo quod alterius Sacerdotis opera populi necessitati satis consulatur. Ita probant unanimes Patuliquis de Sacrificio Missæ tom. 1. qu. 381. n. 2. Vericellus de Apostolicis Missionibus tit. 1. de Privilegiis Regularium dub. 18. §. 31. n. 201. Giribaldus de Sacramentis tract. 5. cap. 7. dub. 2. n. 13. Rotarius in Theologia Morali Regularium tom. 3. cap. 2. punct. 11. n. 5. Tournelius in Prælectionibus Theologicis, de Sacramento Eucharistiæ part. 2. juxta tantientem editionem pag. 346. Schmalzgrueberius tit. de cele-



PONT. *celebratione Missarum n. 41.* Quod si Scriptores isti vestras in manus nondum pervenerint, aliorum testimoniis rem plane cognoscetis, nempe Cardinalis Zabarellæ in *cap. Consulisti, nu. 3. de celebratione Missarum*, ubi hæc habentur: *Si est alius, qui celebrare possit, non celebrabit Sacerdos alia vice, dummodo ille alius sit paratus celebrare, & sit jejunus: Petri de Ancharano in Commentariis ad eundem Textum n. 1. Intellige, si non sit alius ibi paratus ad celebrandum, & ille sit jejunus; Cardinalis Toleti in Summa lib. 2. cap. 3. n. 4. Layman in Theolog. Morali lib. 5. tract. 5. cap. 4. n. 6. Salmanticensium Theol. Mor. tom. 1. tract. 5. de Sacrificio Missæ cap. 5. punct. 1. nu. 12. juxta quartam editionem, quæ Matrili facta est anno 1717. Gavanti ad Rubricas Missalis part. 3. tit. 12. n. 12.*

ANNO  
1746

At supervacaneum est plures auctoritates præstantium virorum congerere, cum id satis, superque constet ex septima Synodo Diocesana, quam Sanctus Turribius anno 1592. celebravit *cap. 3. tom. 4. Conciliorum Hispanorum*, quæ simul collegit vir eximius inter Hispanos Cardinalis de Aguirre *pag. 587.* Porro hæc sunt verba: *Juxta dispositionem Concilii Provincialis celebrati in hac Civitate anno 1567. quantum convenit, & per locum juris possumus, licentiam concedimus omnibus Indorum, Hispanorumque Parochis nostri districtius, ut diebus Dominicis, & festivis ex præcepto servandis, possint celebrare duas Missas in duabus Ecclesiis tam inter se distantibus, ut qui loco unius Ecclesiæ assistunt, non possint commode accedere ad audiendam Missam in altera.*

Ex his apertissime deprehenditur concedi Parocho, qui duas Ecclesias distantibus omnino locis positas habeat, bis Sacrificium Missæ instituire, ne diebus festis Ecclesiæ præceptum a populo violetur; ea tamen conditione, ut legitimam pro re gerenda facultatem prius obtinuerit, uti Nos inferius explicabimus. Ex verbis autem depromptis ex eodem Capite tertio Limanæ Synodi, quæ mox subjiciemus, certi limites eidem Parocho statuuntur, ipsique præscribitur, ut uno tantum loco Sacrum conficiat, si in altero Sacerdos occurrat, qui populo rem Divinam operari possit: *Cum autem habuerint alium Sacerdotem, qui possit celebrare in altera dictarum Ecclesiarum, non poterit Parochus celebrare in utraque, sed unam Missam tantum in una, quandoquidem alter Sacerdos possit satisfacere necessitati alterius populi.*

Non ignoramus, auctoritatem Limanæ Synodi suæ Diocesis finibus solum concludi. At, cum Sanctus Turribius regendæ Ecclesiæ peritissimus, & virtutum omnium gloria clarissimus semper habitus sit, ipsius legibus, ac Diocesanis institutis eam saltem fidem atque auctoritatem, vimque, ut ajunt, directivam, adhibendam & adscribendam nemo inficiabatur, quam Itali omnes, aliique extra Italianam S. Caroli Borromæi Synodis omni tempore præstiterunt: neque in dubium quis revocare poterit, Sanctum Turribium, virum adeo singularem ( pro cujus Canonizatione cum Promotoris Fidei munus adhuc in minoribus gereremus, plurimum laboris impendimus ) conferre plurimum, ut, si propositæ rei examen instituamus, illius sententia reliquis anteponatur; lætandumque idcirco Nobis jure merito videmus, qui Commentarium *de Sacrificio Missæ* in lucem proferentes, Italico sermone a Nobis conscriptum, cum Bononiensem Sedem administrarem, idem plane asseruimus, quod pro illustranda præsentis quæstione superius attulimus, & opinionem nostram auctoritate confirmavimus ejusdem Synodi, Sancti Turribii, ut liquido constat ex nostro Commentario, quod commemoravimus *tom. 2. part. 4. sect. 2. num. 38. & seq. & præcipue num. 40.* quod quidem primo Bononiæ Typis evulgatum fuit, ac nuper latine redditum, ac typis impressum Patavii, lucem publicam rursus aspexit.

Quod si Limanæ Synodo alia quoque Concilia adjungi velint, illud in medium proferri poterit, quod sub Mauritio Archiepiscopo Rothomagensi anno 1231. coactum est, quemadmodum legitur in Collectione Regia Maxima Con-

PONT. ciliorum ab Harduino compilata tom. 7. pag. 186. — Nullus audeat Missam bis Anno  
 in diem celebrare, aut cum duplici Introitu, nisi in humana necessitate &c., &  
 A. VI. hoc, ubi non est, nisi unus Sacerdos: alterum, quod Nemaufi anno 1284. coa- 1746  
 ctum fuit, cum Martinus IV. Apostolicam hanc Sedem obtineret, uti patet ex  
 Collectione Labbeana tom. II. part. 1. pag. 1213. -- Si omnes Parochiani ad  
 unam Missam simul non possint convenire, eoquod in diversis locis habitant distan-  
 tibus ab Ecclesia & remotis, sicut est in montanis, nec sunt in Ecclesia duo Sa-  
 cerdotes, & dicta prima Missa, postmodum Parochiani venientes postulant Mis-  
 sam aliam sibi dici, poterit tum Sacerdos Missam aliam celebrare. Tamen si in  
 prima Missa, post receptionem Corporis, & Sanguinis profusionem acceperit, non de-  
 bet secundam Missam in prædictis casibus celebrare.

Ea pctissimum verba diligenter observari debent: Ubi non est, nisi unus Sa-  
 cerdos: nec non alia: nec sunt in Ecclesia duo Sacerdotes: ex quibus clare per-  
 spicimus, non licere Parocho, si alius Sacerdos præsto sit, duo Sacra perficere  
 diebus festis, ut populus Missæ Sacrificio intersit, sive Missa celebranda sit in  
 duabus Ecclesiis inter se distantibus, ut in supra citata Synodo Limana, sive  
 una tantum sit Ecclesia, in qua Missa celebratur, & ad quam insimul univer-  
 sus populus convenire non potest, ut in Synodo Nemaufensi. Hi quippe duo  
 casus eodem jure censendi sunt, uti præcipue advertit Theophilus Raynaudus  
 tom. 27. Operum ditionis Lugdunensis pag. 8.

Quæ huc usque dicta sunt, Canonicis etiam generalibus sanctionibus innitun-  
 tur. Neque vero copiam Ecclesiasticæ eruditionis ostentabimus, ut cognitum  
 id perspectumque faciamus, quod tamen facili negotio, si opus esset, conse-  
 queremur, cum duo præclari Scriptores postremis his temporibus congerierint  
 casus omnes, quibus ante Decretales Prædecessorum Nostrorum Innocentii III.,  
 atque Honorii III. plures uno die Missæ ab eodem Sacerdote celebrantur. Hi  
 sunt Saintbeuvius tom. 3. Resolutionum casuum conscientie cas. 83. & Pontas in Dictiona-  
 rio casuum conscientie, in verb. Missa cas. 15. De hoc ipso argumento luculen-  
 ter disseruit is, qui suis adnotationibus undecimam Sancti Leonis Epistolam il-  
 lustravit, juxta editionem, quæ ultimo facta est. De ipso Nos quoque verba  
 fecimus in Commentario de festis diebus Domini Nostri, ac Beate Virginis Mariæ  
 part. 1. n. 667. & seq. Quamobrem, his prætermittis, illud affirmabimus, ex  
 communi totius Ecclesiæ disciplina permitti tantum Sacerdotibus hoc tempore,  
 ut die Natali Salvatoris Nostri ter Sacrum faciant, vel quia institutum id fuit  
 a S. Telesphoro Pontifice, ut eam celebritatem singulari honore prolequerentur  
 Fideles, uti ostendit Canon: Nocte sancta de Consecratione dist. 1. vel quia (si  
 plurimi facienda videantur argumenta, quibus author Telesphorus illius Canonis  
 impugnatur) Parens ac Magistra Ecclesia eum ritum die Natali Domini con-  
 servandum censuit, ut posteris perpetuo commendaret veterem disciplinam, ob  
 quam Sacerdos idem plura Sacra conficiebat, cum alii quoque festi dies per  
 annum occurrebant. Id Nos testimoniis præstantium virorum indicavimus in  
 Commentario nostro, quod superius nominavimus, part. 1. num. 665. & seq.

Excepta die Dominicæ Nativitatis, juxta hodiernam disciplinam non licet  
 Sacerdoti eodem die Sacrificium iterare. Argumenta minime desumimus ex  
 Decreto Alexandri Papæ II. Can. Sufficit, de Consecratione, dist. 1. ubi Ponti-  
 fex ita decrevit: Sufficit Sacerdoti unam Missam in die una celebrare, quia Chri-  
 stus semel passus est, & totum Mundum redemit. Non modica res est unam Mis-  
 sam facere; & valde felix est, qui unam digne celebrare potest: etenim Pontifex  
 ita rem prosequitur: Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, & alteram de  
 die, si necesse fuerit: quibus verbis Alexander II. non improbare videtur eum  
 Sacerdotem, qui saltem ob allatam causam bis uno die celebraret. Deinde sic  
 Pontifex concludit: Qui vero pro pecuniis, aut adulationibus secularium una die  
 præsumunt plures facere Missas, non estimo evadere damnationem. Porro ex his  
 facili conjectura perspicere quisque potest, Alexandrum II. Decreto solum ca-  
 vere,

PONT. vere, ne fordida utilitatis, sive assentationis gratia Sacrificium iteretur. Val- ANNO  
 quefius idem Decretum sic explicat in 3. part. D. Thome tom. 3. quæst. 83. art. 2. cap. 5. num. 43. -- In prædicta epistola solum damnantur, qui pro pecuniis aut 1746  
 adulationibus sæcularium una die præsumunt plures Missas celebrare: de iis vero, qui ex sola devotione plures celebrarent, nihil dicitur. Eadem rem maxime declarant ea, quæ Thomalinus scripta reliquit De veteri & nova Ecclesiæ disciplina part. 3. lib. 1. cap. 72. n. 6. ubi clare ostendit, libertatem pluries una die celebrandi, necessario coercendam fuisse, ut quorundam Sacerdotum avaritiæ modus imponeretur.

Igitur omittentes Alexandri II. Decretum, ulterius Prædecessoris nostri, nimirum Innocentii III. auctoritate, ac Decretali rem nostram comprobamus, Cap. Consulisti, de celebratione Missarum: Respondemus, inquit, quod excepto die Nativitatis Dominicæ &c. sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare. Equidem Alexander II., uti superius commemoravimus, & Innocentius II. usi sunt hoc eodem verbo sufficit: at secundo tantum loco per id verbum præceptum indicitur: nam si quis integram Innocentii Decretalem percurrat, apertissime cognoscet, id petiitum fuisse a Pontifice, utrum Presbyter duas Missas in eadem die valeat celebrare. Porro illud valeat idem prorsus significat, ac liceat. Cum igitur responsum dederit Pontifex, sufficere Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare; illud sufficit Sacerdotes adigit præcepto, ne plura Sacrificia uno die faciant.

Ita Valquesius interpretatur eo loco, quem paulo ante indicavimus n. 44. Nam quod questum fuit, utrum valeat celebrare, idem est, ac si quaereretur, utrum liceat ei celebrare. Cum ergo respondit Pontifex, sufficit &c. hoc verbum denotat præceptum prohibens plusquam semel celebrare. Neque mirari quis debet, si idem verbum sufficit continuò uno loco, alio autem præceptum præferat. Id ipsum quippe etiam contingit in verbo non oportet: quod juxta varias rerum circumstantias, in Jure Canonico modo solum honestatis officium ac decetiam denotat, modo vero necessitatem atque præceptum, uti pluribus exemplis demonstrat Baldellus disput. Theolog. tom. 1. lib. 5. dub. 21. num. 4. Verum ex Honorio III. qui post Innocentium III. Pontifex renunciatus fuit, in textu Te referente, sub eodem titulo de celebratione Missarum, manifesto deprehenditur, illud verbum sufficere, de quo in Decretali Innocentii III., cum præcepto conjungi. Rem totam, sicuti gesta est, recensebimus, uti constat ex Gonzalez, qui Decretalem integram ejusdem Honorii describit.

Sypontinus Archiepiscopus (eam modo civitatem vulgo Manfredoniam appellant) feria quinta majoris hebdomadæ Sancta Olea de more in Ecclesia Cathedrali rite consecravit. Eadem die mane se contulit ad Montem Garganum, ut peregrinos exciperet, qui magna frequentia in eum locum Religionis causa contuebant. Ejus loci Clerus ac populus Archiepiscopum magno studio rogarunt, ut Sacrum iteraret; quod tamen ille facere reculavit, donec super hac re Pontificis Honorii III. responsum sibi redderetur: Pontifex initium desumit a verbis ipsis Innocentii III. Prædecessoris sui, nempe: Cum cuilibet Sacerdoti, quacumque dignitate præfulgeat, unam in die celebrare Missam sufficiat, nam & valde est felix, qui celebrat digne unam. Post hæc præcipit Archiepiscopo, ut Syponti rem Divinam peragat, ubi Sacrum Chrisma conficere debebat, & in Ecclesia Montis Gargani Sacrificium offerre prætermittat; hisque utitur verbis, quibus illud sufficit ab Innocentio III. scriptum, cum præcepto omnino copulari declarat: Fraternitati tuæ mandamus, quatenus die Cane Domini in Ecclesia Sypontina dumtaxat, in qua teneris Chrisma conficere, Missarum studeas solemniter celebrare. Innocentius, qui, excepto die Nativitatis Dominicæ, prohibuit Sacerdoti plures Missas una die celebrare, in cit. Cap. Consulisti, de celebratione Missarum, addidit: nisi causa necessitatis suadeat. At Honorius, qui in Cap. Te referente, eodem tit. de celebratione Missarum, Archie-

PONT. Archiepiscopo Sypontino rescripsit, ipsi fas non esse potest rem Divinam per- ANNO  
 etiam, dum Sacrum Chrisma conficiebat in Ecclesia Sypontina, aliam Missam  
 A. VI. celebrare in Ecclesia Montis Gargani, declaravit, causam necessitatis ab In- 1746  
 nocentio admissam, nunquam adesse, cum alius invenitur Sacerdos, qui se-  
 cundam Missam celebrare potest secundam quippe Missam noluit ab Archiepis-  
 copo in Ecclesia Montis Gargani celebrari, ex quo inverisimile visum est,  
 quod alius non adesset Sacerdos, qui Missam in eadem Ecclesia celebrare pos-  
 set, juxta monitum Cardinalis de Turrecremata in *Can. Sufficit*, sub num. 4. de  
*Consecratione*, dist. 1. En ejus verba: *Quod autem in Decretali Te referente, Epi-*  
*scopus videtur reprehendi, quod bis celebraverat die Cœnæ, est propter hoc, quia*  
*non erat necesse, quod Episcopus celebrasset, nisi in illa Ecclesia, in qua de con-*  
*suetudine debebat Chrisma conficere, quia hoc non potest, nisi Episcopus, & aliam*  
*Missam celebrare poterat simplex Sacerdos, quia verosimile est, Episcopum posse per*  
*Vicarium celebrare, & in illa Ecclesia plures Sacerdotes fuisse. Quod etiam ante*  
*Cardinalem a Turrecremata, jam fuerat adnotatum ab Hostienli in Cap. Te re-*  
*ferente num. 3., ab Antonio de Butrio super eodem textu num. 3., & Abbate*  
*super eodem quoque textu in fin. tit. de celebratione Missarum.*

Præterea casum proponunt Episcopi, qui præisset duobus Episcopatibus in-  
 ter se vicinis; ut in Archiepiscopo Sypontino contigisset, si Summi Pontifi-  
 ces Alexander III., & Innocentius III. sententiam non protulissent contra  
 Garganicos contendentes, Ecclesiam suam Episcopalem esse, & unitam Eccle-  
 siæ Sypontinæ, quemadmodum legitur apud Ughellium de Metropoli Sypontina  
 tractantem tom. 7. *Italiae Sacræ*; quæruntque, an sub obtentu Chrisma  
 conficiendi in utraque Ecclesia, quod sine celebratione Missæ consecrari decen-  
 ter nequit, posset, ea die bis Sacrificium offerre; & umaniter respondent;  
 id non licere: & sic rem componunt, quod uno anno in una Ecclesia celebret  
 Missam feria quinta in Cœna Domini, & conficiat Chrisma; & alio anno id  
 ipsum faciat in alia Ecclesia; & ab una ad aliam Chrisma consecratum, uti  
 moris est, transmittat; Reque sic composita, asserunt, nullam ex suis Eccle-  
 siis Chrismate carituram esset, subditosque unius vel alterius Episcopatus nul-  
 latenus excludi a commoditate audiendi Missam quinta feria in Cœna Domi-  
 ni, in qua maximopere expedit, ut audiant Missam; ea quippe celebrari po-  
 terit a Sacerdote in Ecclesia, in qua eo anno Episcopus Chrisma non confi-  
 cit, cum verisimile non sit, alium non reperiri Sacerdotem, qui ea ipsa die  
 Sacrum in ea facere possit; veluti prosequuntur Hostiensis, Antonius a Bu-  
 trio, & Abbas *loc. cit.*

Hæc sunt, quæ ex Jure Canonico desumpsimus. Sed cum Glossa in *Cap.*  
*Consulvisti*, in verb. *necessitatis de celebratione Missarum*, necessitati addat utili-  
 tatem, & vel utilitatem, vel necessitatem satis esse dicat, ut unus Sacerdos  
 eodem die bis Missam celebrare possit, bene deprehendimus, Patochos de qui-  
 bus agitur, posse tum utilitatem, tum necessitatem prætexere, ut sibi putent  
 fas esse bis in die celebrare, etiamsi alius sit Sacerdos, qui Sacrum facere va-  
 leat: utilitatem quippe in eo constituent, quod, bis ipsi celebrando non sub-  
 ministrabant Sacerdoti celebraturo eleemosynam pro Missa, quam celebrabit;  
 necessitatem in sua inopia constituent, ob quam nequeunt prædictam ele-  
 emosynam alteri Sacerdoti Missam celebranti largiri. At neutrum eis suffra-  
 gari potest.

Et utilitas quidem non suffragatur: quidquid enim sit de titulo utilitatis,  
 qui illum admittunt, illum explicant & intelligunt, non de utilitate celebran-  
 tis sed Missam audientis. Sic docet Cardinalis Zabarella in *Cap. Consulvisti*,  
 num. 3. de *celebratione Missarum*. En ejus verba: *Considera, quod in hoc atten-*  
*ditur causa utilitatis respectu audientis, non celebrantis.* Et concordant super  
 eodem Capitulo Antonius a Butrio n. 4. Abbas n. 2., & cæteri, quos vocant  
 Repetentes, & præclare inter recentiores docuit Verricellus de *Apostolicis Mis-*  
*sioni-*

PONT. *fontibus tit. I. de privilegiis Regularium dub. 18. n. 201.* Utilitas autem proposita ANNO non populum, sed Parochum respicit, & sic celebrantem, & non audientem.

A. VI. Minus quoque prodest necessitas ex inopia desumpta; cum plura sint expen- 1746  
denda, antequam titulus necessitatis ex inopia desumptus admittatur. Primo, an revera Parochi tanta premantur egestate, ut alteri Sacerdoti stipendium Missæ nequeant suppeditare: si enim inopia adeo magna non sit, Episcopali auctoritate, juxta Caput quartum Concilii Tridentini *sess. 21. de Reformatione*, adigi poterunt, ut Sacerdoti Missam celebraturo eleemolynam largiantur, ut sapienter admonet Engel *ad tit. Decretalium de celebratione Missarum num. 3.* Secundo, si Parochis tenues omnino angustique proventus obveniant, videndum, an populus etiam in eadem paupertate versetur; quemadmodum enim Episcopus adigere potest Sacerdotem, ut populo Sacrum faciat diebus festis, ita etiam potest indicere populo, ut celebranti Sacerdoti consuetum stipendium largiatur. Id etiam ex Tridentino Concilio desumitur *sess. 21. c. 14. de Reformatione*, ubi hæc leguntur: *Curet autem Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus &c. Missas celebrent: siquidem illud verbum Curet, præceptum inferre in hac gravissima causa, non est dubitandum. Hoc pacto Concilii sententiam explicat Pasqualigus, qui scriptum ita reliquit de Sacrificio Missæ q. 844. n. 11. -- Si in aliquo Oppido sit unus tantum Sacerdos, qui teneatur celebrare diebus festis, & adsint alii simplices Sacerdotes, poterit Episcopus eos cogere ad celebrandum diebus festis. Ratio est, quia adest indigentia populi, eo quod difficile sit, quod omnes eadem hora conveniant ad audiendam Missam; & ideo cum Sacerdotes habeant ratione Ordinis munus suum additum populo, poterit Episcopus eos cogere, ut impendant officium suum populo, offerendo Sacrificium, ut absque difficultate possit adimplere præceptum audiendi Sacrum. In tali tamen casu tenebitur populus aliquid contribuere iis Sacerdotibus pro sustentatione; quia cum ministrent populo, æquum est: quod accipiant aliquid pro sustentatione.*

Porro difficile prorsus videtur, omnia hæc simul copulata deprehendi. Quod si res ita se haberet, tunc, Ven. Frater, ex iis eleemosynis, quas ipse egenis largiri large consuevisti, stipendium pro re Divina facienda Sacerdotibus erogare deberes, nec ullo modo perferre, ut Sacrificium iterent Parochi, quibus non deest alius Sacerdos, qui diebus festis populo ministret.

Post hæc, quæ a Nobis prolata ad veritatem illustrandam dici possint, ad ea sermonem transferrimus, quæ ab ipsi Parochis proponi audimus. Vehementer ipsi conqueruntur, si facultas iterandi Sacrificii diebus festis ipsi adimatur; eo quod munere suo perfungi nequeant, quod non solum constituitur in celebranda & applicanda Missa pro populo, cum festi dies peraguntur, sed etiam in explicandis Religionis mysteriis, tradendaque pueris Christiana disciplina, cum ad Sacrum audiendum in Ecclesiam conveniunt.

Incredibilem ex hoc voluptatem sane percepimus. Etenim quum olim fel. record. Prædecessor Noster Innocentius Papa XIII., ad discutiendam Hispani Cleri gravissima negotio ab insigni viro bonæ memoriæ Ludovico hujus S. R. E. Cardinali Belluga nuncupato proposita, peculiarem Congregationem præstantium aliquot ejusdem S. R. E. Cardinalium deputasset, Nobisque tunc in minoribus constitutis ipsius Congregationis Secretarii munus demandasset; meminimus non parum temporis, plurimumque laboris Nobis opus fuisse, ut falsam omnino probarem opinionem, ob quam Parochi Hispani se immunes ac liberos distabant ab edocendis instruendisque Christiana doctrina pueris, eo quod hujusmodi exercitationes in aliis quoque Ecclesiis haberentur; aut quia Concionatorum opera studioque satis fideles instruerentur; aut etiam ob vetustissimam consuetudinem, quæ Parochos ipsos ab hoc onere vindicare videbatur. Quæ omnia leguntur in Constitutione, quæ incipit *Apostolici ministerii*, quam præfatus Innocentius Prædecessor promulgavit, in qua s. 9. recensentur ac rescinduntur ea omnia, quæ modo commemoravimus.

His

PONT. His autem per transfennam adnotatis, jam responsum quæstioni faciamus, ANNO  
videlicet non esse iterandum die festo Sacrificium, si Parocho alius Sacerdos  
A. VI. operam suam navare possit, etiamsi Catechismus eodem die, Fideique myste- 1746  
ria populo explanari debeant. Hæc enim fieri possunt ejusdem Sacerdotis mi-  
nisterio, qui ad Sacrum conficiendum inducitur: quemadmodum Nos ipsi sta-  
tuimus in Bononiensi Diœcesi, cum in ea sedem haberemus, haud ignorantes,  
id consentaneum esse Decretis, quæ super hac re Pontifices Romani non semel  
ediderunt. Id Nos ostendimus *Instit. 3. t. 3. nostrarum Institutionum Ecclesiasti-  
carum*, quæ Bononiæ imprenæ fuerunt. Accedit, quod Parochus, qui die festo  
fideles instituendos in utraque Ecclesia libenter suscipiet, si iterandi Sacrificii  
facultas traderetur, id facilius consequi possit, si in altera solum Ecclesia rem  
Divinam faciat, ac populum edoceat, deinde ad aliam se conferat Ecclesiam,  
ubi a Sacrificio absteat, & Christianæ Legis instituta dumtaxat populo  
declaret.

Tui præterea Parochi queruntur, quod ipsis hanc facultatem imperiri dubi-  
tes, quam a tuis Decessoribus semper impetrarunt. Certissimum illud est Mis-  
sionariis tantum a Sede Apostolica potestatem aliquando fieri, ut uno die  
Sacrificium bis operentur; reliquis vero Sacerdotibus opus esse, ut hac de re  
facultatem ab Episcopo consequantur, etiamsi causa necessitatis intercedere videat-  
ur; cujus sane iudicium ad ipsos Sacerdotes nequaquam pertinet. Ita testatur  
Verricellus de *Apostolicis Missionibus tit. 4. de privil. Regularium qu. 19. num.  
202. Quæres primo, an ad celebrandas duas Missas in locis, ubi adest talis neces-  
sitas, requiratur licentia Episcopi? Respondetur affirmative, sed claus privilegii  
Missionariorum. Ita a Sacra Congregatione resolutum. Certum quoque est, facul-  
tates ejusmodi, nisi necessitas id postulet, nunquam concedi; vel, si aliquando  
concedantur, non haberi tamquam alicujus Sacerdotis privilegium sed tantum  
ob causam peculiarem necessitatis. Fagnanus id fatetur *Cap. In ordinanda, n.  
37. de Simonia: Miratur Sacra Congregatio agi de his licentiis concedendis;  
nam id non nisi ex magna necessitate fieri debet, & magna cautela, ut puta in  
locis, ubi perpauissimi sunt Sacerdotes, vel adsunt impedimenta adversariorum  
Fidei, vel quid simile, &c. Nec concedi potest hæc licentia ab Episcopo generali-  
ter, quasi privilegium alicujus Sacerdotis, sed tantum in aliquo casu particulari,  
necessitatis causa ab Episcopo examinanda. Itaque cum ejusmodi causam necessi-  
tatis haud deprehenderit, nunquam Parochos tuos probabimus, si ipsi de te  
conquerantur. Nos prudentiam Fraternalitatis Tuæ magnopere commendamus,  
Teque agnoscimus animum, mentemque tuam conformasse exemplo prædicti  
Sancti Caroli Borromæi, qui in prima Synodo Provinciali cap. 5. abrogavit li-  
centias a suis Prædecessoribus concessas plures Missas celebrandi.**

Parochi postremo, ut causam suam tueantur, vetustissimam adducunt consue-  
tudinem. Nos, utrum ratione, an temere id asserant, examinare prætermittimus.  
Solum inquirimus, utrum, ea consuetudo rationem præscriptionis, aut  
præsumptionis sibi comparaverit; & utrumque falsum, & alienum iudicamus.  
Non utique Jus Divinum, sed Jus Ecclesiasticum prohibet, eadem die ab eodem  
Sacerdote Sacrificium iterari. At non omnia, quæ Juris tantum Ecclesiastici  
sunt præscribi possunt. Si etenim juxta Civiles Leges, sanctæ res præscribi  
non possunt, absolum utique est asserere, fuisse per præscriptionem aliquid  
obtentum, vel acquisitum, quod adversetur sanctionibus universalibus Ecclesiæ,  
quarum observantiam Sacrum Tridentinum Concilium in Missarum celebratio-  
ne Sacerdotibus omnibus præcipit, uti colligitur ex Decreto de observandis, &  
existendis in celebratione Missæ.

In nonnullis regionibus mos inoleverat, quod Parochi duarum Parochiarum  
feria sexta majoris hebdomadæ Officium faciebant, primum in una ex Paro-  
chiis, & deinde illud iterabant in altera. Jejunii præceptum in sumptione Eu-  
charistiæ non est Juris Divini, sed Ecclesiastici, teste Cardinali Bona *Rerum*

PONT. *Liturgicarum lib. 1. cap. 21. n. 2.* ubi refert, initio non omnibus in locis uni-  
 versos prædicta lege obstrictos fuisse: cumque, hoc minime obstante, animad-  
 A. VI. versum fuisset, Parochum celebrantem Officium in secunda Parochia, non je-  
 junum sumere Eucharistiam sub specie panis; sumpserat enim in Officio, quod

1746

celebravit in prima Parochia, particulam Hostiæ consecratæ die præcedenti, una cum vino non consecrato, & sic jejunium fregerat naturale; reprobata fuit consuetudo, etsi, uti asserbatur, pietati & devotioni innixa. Hoc exemplo perculsi alii Parochi duarum Parochialium, aliam induxerunt consuetudinem, ut in utraque Parochia Officium feriæ sextæ majoris hebdomadæ celebrare possent; præterbant, sumentes tantummodo speciem panis, ut jejuni in secunda Parochia Officium facerent, Missamque quæ dicitur Præsanctificatorum, celebrarent. At hæc quoque consuetudo fuit reprobata, utpote contraria ritui Ecclesiastico, quem & Ordo Romanus, & Sacramentarium Sancti Gregorii præscribunt, & adhibet universalis Ecclesia. Franciscus Sylvius magni nominis Theologus *tom. 5. suorum Operum* editionis Antuerpiensis *Orat. 1.* quæ est unica de Officio Parasceves, rem graphice exponit, nec Parochorum consuetudini censet esse ullo modo deferendum. De hac eadem re plura habentur apud Suarez *in 3. part. Divi Thomæ tom. 3. qu. 73. art. 2. disp. 80. sect. 3.* Et Nos ipsi hæc omnia exposuimus *in nostro Tractatu de Sacrificio Missæ*, typis Patavinis edito, *sect. 2. §. 39.* Et *in alio Tractatu de Festis Domini Nostri Jesu Christi part. 1.* typis quoque Patavinis edito. §. 336. & seqq. confutavimus errorem Græcorum Schismaticorum, qui volunt, in Missa Præsanctificatorum, per immersionem Particulæ in Calicem ex Sacratissima Hostia detractæ, transubstantiationem fieri vini in Sanguinem Christi: & diximus, Sacerdotem in Officio feriæ sextæ majoris hebdomadæ, sumere Christi Corpus & Sanguinem, cum utrumque revera sit sub specie panis, præcedenti licet die consecrati.

Præscriptionem excipit præsumptio, de qua modo sermo habendus est. Equidem non ignoramus Jurisperitorum commune adagium, nempe ratione consuetudinis immemorabilis afferri posse in medium quemcumque gratiosum titulum, & etiam privilegium Apostolicum, quod utpote nullo certo documento probatum, præsumptum appellatur. Sed, cæteris prætermisissis, ne hæc epistola longior evadat, subdimus, hæc intelligi posse de illis privilegiis, quæ impetrari potuissent a Sede Apostolica, si quis ea postulasset, non vero de illis, quæ cum postulantur, negari omnino consueverunt; ne præsumptio plus habeat roboris, & momenti, quam veritas.

Romanis Pontificibus mos est, ut ea negotia, quæ ipsi per se expedire nolint, ad Congregationes rejiciant examinanda, ut earum consilio rem expediant. Anno 1657. cum in Civitate, quam dicunt de *Assumptione*, in Provincia Paraguarienti, pars magna Nobilium domi se continerent, utpote decenti apparatu vestium carens, nec accederet ad Ecclesiam, ut Sacrum die festo audiret, Episcopus exoravit, ut sibi facultas daretur celebrandi Missam antelucanam Nobilium prædictorum gratia, & aliam ante meridiem, ut reliquus populus Missæ præcepto diebus-festis satisfaceret. Da hac re actum fuit in Congregatione Concilii die 1. Septembris 1657. nec petitio fuit exaudita, ea potissimum de causa, quod imperceptibile visum est, alium non adesse Sacerdotem, qui Missam antelucanam celebraret pro Nobilibus, quemadmodum colligitur *ex lib. 21. Decretorum pag. 56.*

Præterea vobis omnibus notum est, in Regnis Aragoniæ, Valentia, & in Comitatu Catalauniæ, die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum; quemlibet Sacerdotem Sæcularem bis Missam celebrare posse, & ter quemlibet Sacerdotem Regularem; quod singulare privilegium concessis vel a Julio III., vel a Paulo III. Summis Pontificibus innititur. De dicto privilegio egimus *in supra citato nostro Commentario de Sacrificio Missæ sect. 2. §. 31.* & latius dum mu-

PONT. nere fungebamur Secretarii Congregationis Concilii , cum Cauſa quædam Caſtellana pertractaretur , quemadmodum videri poteſt in Theſauro Reſolutionum prædictæ Congregationis tom. 2. pag. 168. , & plura quoque de dicto privilegio relata fuerunt a bonæ memoriæ Cardinali Lanfredino , dum ipſum Secretarii munus obiret , & de quadam Cauſa Oriolen. ageret , da qua tom. 5. ejuſdem Theſaur. pag. 384. & ſeqq. Viri , qui dignitate , & præſtantia ſuper cæteros eminebant , Summis Pontificibus humillime ſupplicarunt , non ut quidem rem novam permitterent , ſed ut tantum ad quaſdam alias regiones memoratum privilegium extenderent , ob quod Presbyteri tum Sæculares , tum Regulares in die Commemorationis omnium Defunctorum rem Divinam iterato faciebant , preceſque ſuas ſingulari pietate , & rationibus undequaue petitis cohoneſtarunt : negotioque a Summis Pontificibus remiſſo ad Congregationem Concilii , hæc precibus huiusmodi morem haud geſſit , ſed petentes , ut fieri cum principibus viris conſuevit , urbane dimiſit , quemadmodum reſenſimus in cit. noſtro Tract. de Sacrificio Miſſæ ſect. 2. §. 22. editionis Patavinæ.

Porro ſi denegatum fuit Epiſcôpo petitum privilegium celebrandi bis in die feſto , ut Nobiles ſatisfacerent præcepto audiendi Miſſam , eo quod alius aderat Sacerdos , qui Sacrum facere poterat ; ſi principum virorum vota exaudita non fuerunt , qui tantum pro extensione privilegii , quod unicam tantum diem quolibet anno reſpiciebat ; unuſquiſque facili negotio cognoſcere poterit , quid a Sede Apoſtolica factum eſſet , ſi ſimplices Parocho facultatem petiſſent bis celebrandi , ubi alius non deeſſet Sacerdos , qui Parocho operam ſuam præſtare poſſet , & bis celebrandi , non unica die intra annum , ſed tot diebus , quot per anni curſum feſti dies celebrandi fidelibus præcipiuntur.

Ut Fraternitati Tuæ poſtulatæ reſponderemus , negotium unico verbo cognoſcimus Nos abſolvere potuiſſe , dicendo nimirum , tuam Conſtitutionem Synodalem obſervandam eſſe . Henricus enim Boich , antiquus Juris Canonici Profeſſor , in Comment. ad Cap. Te referente , n. 2. de celebratione Miſſarum , docet , a nemine binas Miſſas eadem die celebrari poſſe , ſi id ſit vetitum in Conſtitutione Synodali . Sed hæc ſcribenda ad te putavimus , ut tuum religionis eximium ſtudium noſtris laudibus proſequeremur , certamque normam , ac rationem ante oculos propoſitam haberes , ad quam conſilia tua , tuamque mentem tutiſſimam conformares . Quapropter tres dies in privata noſtra Bibliotheca inane inſumpſimus , quos vacuos , ac liberos ab audiendis Miniſtris , moleſtiſque negotiis naſti ſumus , ut has literas conficeremus . Poſtremo te ſummo pere iterumque commendantes , qui huius Sedis Apoſtolicæ in dubiis rebus ſententiam conſiliumque exquiſieris , Benedictionem Tibi noſtram , Venerabilis Frater , peramanter impertimur .

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die xvi. Martii MDCCXLVI. Pontificatus Noſtri Anno Sexto .



## DE PRÆSENTATIONE

*Dignioris inter approbatos ab Examinatoribus ad Parochiales Ecclesias Juspatronatus Ecclesiastici, cum resolutione nonnullorum dubiorum.*

*Venerabili Fratri Archiepiscopo Florentino.*

## BENEDICTUS PP. XIV.

*Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**R**EDDITÆ Nobis sunt Literæ Tuæ quibuscum una ad Nos misisti disceptationem Advocati Petri Brogiani, ut de iis, quæ a Te proponebantur, quæ nostra sententia sit, diceremus.

Primum: *An Patronus Ecclesiasticus teneatur in foro externo præsentare ad Beneficium Curatum eum, qui inter approbatos ab Examinatoribus magis idoneus, & magis dignus est?*

Secundum: *An Episcopus, ad quem spectat dare institutionem, debeat sequi iudicium Patroni de magis idoneo, magisque digno, an potius inquirere, rectumne sit Patroni iudicium, an secus.*

Tertium: *Si appellaverit, qui se digniorem esse putat, & posthabitus est; an suspendi debeat institutio præsentati, an vero hæc debeat suum effectum sortiri; paucis, an appellatio interposita locum habeat in devolutivo tantum, an potius etiam in suspensivo?*

Ut igitur exordiamur a prima quæstione, in qua quæritur; an Patronus Ecclesiasticus teneatur in foro externo præsentare ad Beneficium Curatum, eum, qui magis idoneus, magisque dignus est inter approbatos ab Examinatoribus; respondemus, teneri. Nam antiquis omnibus disputationibus omissis, cum juxta Concilii Tridentini præscriptum in Beneficiis Curatis coram Examinatoribus Synodalibus concursus haberi debeat, debeantque Examinatores Synodales eos, qui magis idonei sunt, quorum deinde unum debet Patronus Ecclesiasticus Episcopo præsentare, ut ei institutionem præbeat, hæc agendi ratio, ac methodus necessario secum fert, ut Patronus Ecclesiasticus teneatur præsentare eum, quem digniorem inter probatos ab Examinatoribus existimat.

Verba Concilii satis per se clara sunt in cap. XVIII. sess. 24. de Reform.: *Si vero Juspatronatus Ecclesiastici erit, loquitur de Beneficio Curato, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, is, quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus iudicabit, Episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituat.*

Quod procedit, etiamsi Episcopus Patrono non intimaverit, ut digniorem præsentet, quam cautionem memorat Abbas in cap. Constitutis 2. de Appellationibus. Quoniam quidquid sit de utilitate hujus cautionis ante Concilium Tridentinum, superflua certe est post idem Concilium, a quo in Beneficiis Curatis Patronatus Ecclesiastici demandatus est concursus; & injunctum suit Patrono Ecclesiastico, ut eum præsentet, quem inter probatos ab Examinatoribus digniorem, magisque idoneum censebit, quod valet amplius quacumque admonitione, seu interpellatione, quam Episcopus Patrono Ecclesiastico faciat.

Expediti a prima quæstione ad alteram transibimus in qua quæritur: *An Episcopus ad quem pertinet instituere, sequi debeat iudicium Patroni circa magis idoneum, magisque dignum, an potius inquirere, iudicium ejusdem Patroni rectumne sit, an non, & quod ad hanc quæstionem attinet, censemus necesse esse unum ab altero casum distinguere.*

Nam, aut inter probatos ab Examinatoribus nemo est, qui de Patroni iudicio

PONT. dicio queratur, a quo, puta Titius magis idoneus, magisque dignus æstimatus est, ilque Episcopo præsentatus, & tum Episcopus sequi debet iudicium ANNO  
A. VI. Patroni, neutiquam vero in ejus iudicium inquirere. Nam a Sacro Concilio 1746  
non præscribitur, ut digniorem instituat, sed quem Patronus inter approbatos ab Examinatoribus digniorem judicaverit: *quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit*. Ut bene animadvertit Fagnanus in suis manuscriptis, quæ apud Nos extant *super cap. XVIII. sess. 24. de Reformatione*. Et non potest Episcopus apponere, quod Patronus Ecclesiasticus non vere digniorem, sed quem ipse Patronus digniorem arbitratur, elegerit, & Episcopo præsentaverit, quia Concilium voluit absolute institui illum, quem Patronus tanquam digniorem elegerit.

Et in hujusmodi facti specie locum habet rescriptum Congregationis Concilii ann. 1573. ut videre est *lib. 1. Decretorum pag. 167.* verba autem hæc sunt: *Sacra Ec. censuit, si Parochia sit Jurispatronatus Ecclesiastici, & institutio ad Episcopum pertineat, facultatem judicandi digniorem inter idoneos probatos ab Examinatoribus, spectare ad Patronum Ecclesiasticum, & Episcopum ieneri instituire eum, quem dictus Patronus judicaverit digniorem, & ipsi Episcopo præsentavit.*

Aut inter ab Examinatoribus idoneos probatos aliquis est, qui iudicio Patroni minime acquiescens coram Episcopo, cujus est dare institutionem, queritur, se posthabitu fuisse, licet magis dignus, & idoneus altero sit, quem Patronus tanquam digniorem, & magis idoneum Episcopo præsentavit, & hoc secundo casu cum Episcopus Judicis Personam sumere cogatur, sequi non debet Patroni iudicium circa magis idoneum, magisque dignum, sed priusquam institutionem concedat, in Patroni iudicium inquirere, ut inter alios recte considerant Garzia de Benefic. part. 9. cap. 2. num. 205. & seq. & præcipue num. 268. & seq. & Ventrilia in prax. rer. Eccles. tom. 2. adnot. 5. §. 2. n. 5. 6.

Non obstat, si quis assereret etiam hoc secundo casu clausis oculis sequendum esse Patroni iudicium de magis idoneo, magisque digno, perinde ac si id consentaneum sit verbis Concilii superius laudatis: *Quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit*. Nam prætermisiss, quæ a Doctoribus dicuntur, nempe ea verba intelligenda esse de iusto, vero, proboque iudicio, ut videre licet apud Massobrium in praxi habendi concursus requis. 5. dub. 1. n. 43. 44. Concilium agens de Beneficio Curato Patronatus Ecclesiastici inquit: *quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit*. Non multo autem superius loquens eodem loco de Beneficio Curato liberæ collationis Ordinarii, his verbis utitur: *Episcopus, inter eos, qui probati sunt, tanquam idonei ab Examinatoribus Synodalibus, eum eligat quem cæteris magis idoneum judicaverit.*

At vero si quis ab Examinatoribus probatus tanquam idoneus contra iudicium, quod secundum alterum tulit Episcopus eum præeligendo, insliterit, auditur, & ab appellationis Iudice expenditur, Episcopi iudicium rectumne probumque sit, an pravum, atque injustum, ut quotidie re ipsa contingit, & definitum legitur a San. mem. Pio V. Prædecessore Nostro in sua Constit. XXXIII. In Conferendis. Multo magis quæviscumque sint Concilii verba: si quis inter probatos ab Examinatoribus actionem moveat contra iudicium a Patrono latum, æquum justumque erit, ut audiatur, & munus erit Episcopi, ad quem instituire in beneficio pertinet, diligenter inquirere, Patroni iudicium utrum valeat, nec ne, regulisne iustitiæ, an secus innitatur.

Supereff tertia quæstio, in qua, ut superius diximus, queritur, si is, qui se digniorem existimat, & posthabitus est, suspendi debeat institutio præsentati, an potius eam exequi oporteat, paucis, si appellatio interposita locum habeat in devolutivo dumtaxat, an etiam in suspensivo. Et hic etiam opus esse videtur unum casum ab altero distinguere. Nam aut iudicium Episcopi convenit cum illo Patroni Ecclesiastici, adeo ut is, qui præsentatus est a Patro-

PONT. no Ecclesiastico tanquam magis idoneus, & dignus, talis etiam ab Episcopo ANNO  
 judicetur, & isti institutio ab Episcopo concedatur, si posthabitus a Patrono;  
 A. VI. & ab Episcopo appellet, ejus appellatio in devolutivo tantum locum habe- 1746  
 bit, & illi, qui institutus est ab Episcopo, Parochiæ possessionem minime re-  
 tardabit.

Et quidem si agatur de Ecclesia Parochiali liberæ collationis Episcopi, & ab Episcopo uni ex approbatis ab Examinatoribus Synodalibus, tanquam digniori, & magis idoneo institutio detur, is, qui inter probatos ab eisdem Examinatoribus se injuste posthabitus ab Episcopo contendit, sibi que, & non alteri debitam esse institutionem, appellans obtinere nequit, ut sua appellatio suspensiva sit, quæ non alia ratione admittitur, nisi in devolutivo juxta paragraphum octavum laudatæ Constitutionis in *Conferendis San. mem. Pii V.* multo magis cum agitur de Ecclesia Parochiali Jurispatronatus Ecclesiastici, & in digniori magisque idoneo judicando Patronus, & Episcopus consentiunt, qui inter probatos ab Examinatoribus Synodalibus contendit, a Patrono & ab Episcopo injuriam sibi illatam esse, si appellationem interponat, ejus appellatio non in suspensivo, sed dumtaxat in devolutivo admittetur. Nam primo casu appellanti judicium solius Episcopi; secundo autem casu præter Episcopi judicium etiam Patroni ei adversatur.

An enim, ut alteram distinctionis partem prosequamur, in ferendo judicio de magis digno, magisque idoneo sententiæ Episcopi, & Patroni Ecclesiastici minime concordant, & tam si quis ex approbatis ab Examinatoribus, & tanquam magis dignus præelectus est a Patrono, putet se gravatum esse ab Episcopo, neque ejus judicio acquiescere vult, & ideo provocet, ejus appellatio ad suspensionis effectum operari debet, & Ecclesia Parochialis sub Oeconomio remanere, donec lis inter eum, qui dignior habitus est a Patrono, & alterum, qui ab Episcopo, & ideo ut dignior in Parochiali Ecclesia institutus est, finiatur. Nam hoc casu considerari debet præelecto ab Episcopo refragari judicium Patroni, nempe ejus, cui præcipue Concilium electionem inter idoneos elargitum est; cujus judicio, si nemo sit, qui adversetur, standum esse voluit, ut paulo ante adnotavimus; ejus demum, ad quem in paritate meritorum pertinet uni, vel alteri gratificari, ut apud *Grantian. loc. laudat. n. 264. & apud Ventrill. loco pariter cit. n. 5.*


Quæ cum ita se habeant, nimis durum esset, si quis Causa cadens in secundo judicio, quod fert Episcopus, & propterea appellationem interponeret; deinde ejus appellatio non operaretur nisi in devolutivo, & non etiam in suspensivo cum regula in jure certa sit, cum aliquis in primo judicio victor in altero succumbit, si a secundi Judicis sententia appellet, ejus appellationem non solum in devolutivo, sed etiam in suspensivo valere.

Si opponeretur in hujusmodi Causis omne appellandi jus sublatum esse a Concilio Tridentino *cit. cap. 18. vers. in omnibusque sess. 24. de reformatione*, scire oportet, Concilium ibi loqui de eo, qui a relatione Examinatorum Synodaliū provocat, a quibus idoneus probatus non est, cum se talem esse existimet, quod nihil pertinet ad speciem facti a Nobis propositam, in qua agitur de appellante ab irrationabili judicio Episcopi, cujus generis appellatio ignota fuit Sacro Concilio, sed usu introducta est a *San. mem. Pii V.* in laudata Constitutione, ut bene etiam considerat Fagnanus in suis MSS. superius citatis. Insuper & illud, opus est intelligere, si quis contenderet argumentari posse a casu appellantis a mala relatione Examinatorum ad casum appellantis ab irrationabili judicio Episcopi, ejus argumentatio longius procederet, quam vellet, cum nec ipse velit provocantem ab irrationabili judicio Episcopi non audiri saltem in devolutivo, & Doctores doceant appellantem a mala relatione Examinatorum, ejus appellationem aut neque in devolutivo admitti, aut certe ad eum dumtaxat finem, ut famæ, atque existimationi suæ appellans consulere

PONT. fulere possit, amovendo notam ab Examinatoribus sibi injunctam, nunquam ANNO  
 vero ut Ecclesiam Parochialem consequi possit, ut ad propositum nostrum be-  
 A. VI. ne differit *Masobrius in praxi habendi concursum requis. 5. dub. 4. Ventrill. in 1746*  
*praxi rerum Ecclesiasticarum part. 2. annot. 5. 6. 2. n. 48.*

Hæc quidem sunt, quæ opportunum esse duximus exponere, ut respondere-  
 mus iis, quæ a te quærebantur ea hebdomada, quæ Nobis omnium totius anni  
 laboriosissima est, nempe Hebdomada Sancta. Te autem interea benevolo ani-  
 mo in caritate Dei complectentes, tibi tuisque omnibus in Florentina Diocesi  
 commorantibus Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem die 9. Aprilis 1746. Potifica-  
 tus Nostri anno sexto.



PONT.

N U M. L.

ANNO

A. VI.

C H R I S T I F I D E L E S

1746

*Indulgentias visitantibus Ecclesiam concessas, etiam Sanctissima Eucharis-  
 tia non exposita, lucrantur: & de frequenti ejusdem San-  
 ctissimæ Eucharistiæ expositione.*

*Venerabili Fratri, Episcopo VVarmiensi.*

B E N E D I C T U S P P. X I V .

*Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**A** CCEPIMUS in Civitate vestra frequenter exponi publice Divina Mysteria,  
 & imperitam multitudinem in eo orrore versari, ut arbitretur, non  
 lucrari Indulgentias, quæ conceduntur Christifidelibus ad Ecclesiam ac-  
 cedentibus, nisi publicæ venerationi in iisdem sacris diebus Divina Eucharistia  
 proponatur.

Tam falsa opinio dissimulari non debet, cum Indulgentias assequantur illi,  
 qui omni peccati labe expiati satisfaciunt universis operibus, quæ præscribun-  
 tur ab eo, qui sacras Indulgentias elargitus est. Quamobrem si minime præ-  
 cipiatur fidelibus, ut sacra Mysteria publice exposita venerentur, apertissime  
 constat in errorem maximum adduci eos, qui asserunt Indulgentias, quæ tri-  
 buuntur Fidelibus Ecclesiam invisentibus, haud comparari, nisi sacrum Eucha-  
 ristia Sacramentum in ipsa adorationi publicæ exhibeatur.

In Diocesi Tullensi (uti deprehenditur ex Rituali probati Viri Cardinalis  
 de Bissy pag. 255.) quidam Regulares contenderunt se posse Divina Mysteria  
 publice exponere, licet Episcopi facultas non intercederet ob eam causam, quod  
 Indulgentias ipsorum Ecclesiis concessas lucrari populus minime posset, nisi  
 cum ad easdem Ecclesias accederet, Divinam Eucharistiam publice expositam  
 adoraret. Itaque Cardinalis de Bissy in Rituali, quod superius nominavimus,  
 inanem prorsus ipsorum opinionem demonstravit, eo quod in illis Indulgentiis  
 concedendis indicium non fuerat, ut Fideles pro Indulgentiis lucrandis ante  
 Sacramentum Eucharistiæ publice expositum preces effunderent.

Porro id necessario requiritur ad consequendas eas Indulgentias, quæ Fide-  
 libus conferuntur, qui Deum precantur in illis Ecclesiis, ubi Divina Mysteria  
 spatio continuo quadraginta horarum exposita publice sunt; etenim id omni-  
 no præcipitur in hac Indulgentia concedenda, quæ a quadraginta horis con-  
 tinuis nomen accepit. Equidem veteris disciplinæ severitate remissa, nunc ea-  
 dem Indulgentia concedi intelligitur, etiamsi Sacramentum Eucharistiæ per  
 horas

PONT. horas quadraginta continuas gravissimis de causis minime proset, modo tamen ANNO  
 horis diurnis semper expositum publice relinquatur. De hac re plura tradita  
 A. VI. sunt in libro Patris Theodori a Spiritu Sancto Carmelitæ discalceati adhuc su- 1746  
 perstitis, qui inter Consultores Congregationis Indulgentiarum adnumeratur,  
*tom. 2. art. 3. §. 2.* Ipse quoque commemorat in eadem Congregatione proposi-  
 tum, ac dilceptatum fuisse, utrum abroganda videretur inducta jam consue-  
 tudo, ob quam peculiare quædam Indulgentiæ concedi solent, cum Divina  
 Mysteria minori pompa in Ecclesiis adoranda proponuntur, responsumque fuisse,  
 nihil certi statui oportere, cum a diversis rerum, ac temporum circumstantiis  
 id omnino pendeat, ac dijudicandum sit.

Hactenus de illorum errore, qui se carere Indulgentiis putant, nisi Eucha-  
 ristia Sacramentum proset in Ecclesia, licet inter opera perscripta id mini-  
 me recenseatur, nunc ad alia, quæ a nobis postulantur, respondeamus, vide-  
 licet, an sacra Eucharistia, quæ frequentissime in ista Civitate publice exponi  
 solet, deinceps adorationi Fidelium rarius exponenda videatur; an etiam Ec-  
 clesiæ, an dies, in quibus id permittendum judicabitur, ab Episcopo designa-  
 ri debeant.

Illud in primis certissimum est huic Sedi Apostolicæ, in quibuscumque Ec-  
 clesiis etiam privilegio immunibus sive sæcularibus, sive Regularibus, non li-  
 cere exponi publice Divinam Eucharistiam, nisi causa publica, & Episcopi  
 facultas intervenerint; solius autem Episcopi partes esse, ut causæ publicæ  
 meritum expendat, ac declaret. Id nos ipsi luculenter offendimus in nostra  
 Institutione, quam Bononiæ in lucem emisimus, cum illam Ecclesiam præ-  
 sentes administrarem, & quæ italico sermone a nobis confecta decimo loco  
 tomi secundi continetur. Ipsa nuper cum reliquis latine reddita fuit, quæ  
 omnes typis quamprimum committentur. In illa igitur Institutione cogni-  
 tum perpectumque fecimus, quam difficile re ipsa sit decernere, utrum pro-  
 banda, an improbanda sit Eucharistici Sacramenti frequens expositio. Hæc  
 sane quæstio conferri potest cum alia quæstione, utrum consentaneum magis  
 judicetur rem Divinam singulis diebus conficere, an vero aliquando intermit-  
 tere; utrum pariter illi, qui Sacerdotes non sunt, & tamen ad percipien-  
 dam Eucharistiam, quotidie accedunt, laude, an censura digni videantur.  
 Nullum his quæstionibus responsum fieri potest, nisi antea declarentur  
 peculiare rerum circumstantiæ, ex quibus omnis solutio difficultatis de-  
 sumenda est.

II, qui frequentes Eucharistiæ expositiones improbant, in medium afferunt  
 irreverentiam, quæ plerumque cum ejusmodi frequentia conjungitur. Contra  
 vero intelligimus veteri consuetudine factum esse, ut frequenter in ista Civi-  
 tate Sacra Mysteria publice exponantur, quæ si abrogetur, fore ut populi Re-  
 ligio, ac pietas imminuatur, ac turbæ concitentur. Itaque, qui præsens isthic  
 versaris, & animarum curæ ac gubernio præpositus es, omnem operam, stu-  
 diumque impendere debes, ut populus cultu, quo decet, ac veneratione Di-  
 vinam Eucharistiam prosequatur. Quod si pro re consequenda opportunum  
 existimes, frequentes Eucharistiæ expositiones diminuere, ea prudentia consi-  
 lioque hoc negotium administras, itaut Pusilli nullum scandalum, & offensio-  
 nem patiantur; Rectores Ecclesiarum convocas, cum quibus tempus idoneum  
 constituas, quo sacra Mysteria exponenda in qualibet Ecclesia sibi videantur,  
 ipsas Divinæ Eucharistiæ expositiones ita distribuas, ut in singulis urbis Regio-  
 nibus sacra Mysteria publicæ venerationi quotidie exhibeantur, ne populus  
 cultum deserat, quem Sacræ Eucharistiæ præstare consuevit. Interim, si ple-  
 bem in eodem errore permanentem deprehendas, videlicet Indulgentiam nul-  
 lam haberi, nisi in Ecclesia Divinum proset Eucharistiæ Sacramentum, tum  
 populo pollicearis te rogaturum abs Sede Apostolica, ut novam, ac veram  
 Indulgentiam elargiatur illis, qui deinceps Ecclesiam, vel Ecclesias invisent,

PONT. ubi Sacra Myſteria expoſita publice fuerunt. Quod ſi a nobis hæc poſtulentur, ANNO  
 populi votis obſecundabimus, eumque Theſauris Indulgentiarum cumulare non  
 A. VI. omittemus. Hæc ſcribenda ad te putavimus, ut reſponſum propoſitis quæſtionibus 1746  
 reſponderemus. Poſtremo Tibi Benedictionem Apoſtolicam impertimur.  
 Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 16. Aprilis 1746. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.



PONT.

N U M. L I.

ANNO

A. VI.

D E R E G U L A R I B U S

1746

*Extra Clauſtra degentibus, & ſe ſe translatos aſſerentibus.*

*Venerabili Fratri Bernardo Epifcopo Sancti Pauli in America Luſitana.*

B E N E D I C T U S P P. X I V.


*Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

PONTIFICIA commendatione noſtra proſequimur debitum tuæ erga Apoſtolicam hanc Sanctam Sedem obſtrictæ obedientiæ obſequium, & laudabile paſtoralis ſollicitudinis, ac vigilantæ officium, quo ſupplex ab eadem Apoſtolica Sede conſulta petis, quibus inſtructus in commiſſa Tibi iſtius Diœceſis adminiſtratione Te pro munere Fraternitati Tuæ inſuncto provide ſapienterque cum æterna Chriſtidelium ſalute gerere debeas. Reperiri liquidem, ad Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epifcoporum, & Regularium præpoſitam refers, quamplurimos in ipſa Diœceſi Tua Regulares Viros, qui habitu, & ſuper habitu Mozzettam induti extra Clauſtra in Sæcularium Hominum domibus degentes, ad Terram colendam, ſæcularia negotia obeunda, ac mercaturam faciendam incumbant; adeoque mores a Religioſa vita longe alienos pravosque non ſine bonorum offenſione, ac ſcandalo præſerunt. Alios præterea ſignificas Regulares Viros eſſe, qui ex uno ad alterum Religioſorum Ordinem ſe Apoſtolica auctoritate translatos fuiſſe aſſerunt; atque adeo in hoc altero Ordine conſtituti, facultatem licentiamque ſibi ineſſe iactant, qua ſibi liceat extra Clauſtra itidem commorari, agriculturam pariter exercere, & mercaturæ operam navare. Nos itaque Fraternitati tuæ in memoriam revocamus, omnes & ſingulos Regulares Epifcopo in Civilibus ſubjectos eſſe, eodemque Religioſos, cujuſvis Ordinis, & Inſtituti ſint, extra Clauſtra degentes, & delinquentes ſubjectos eſſe Ordinario Loci, uti Sedis Apoſtolicæ Delegato, qui eos viſitare, punire, & corrigere poteſt, uti conceptis verbis ſtatutum eſt a Concilio Tridentino ſeſſ. 4. cap. 3. de Reformatione. Præterea laudatum Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. de Reformatione cap. 11. quoad translatos ſtatuit, ac præſcribit, ut quilibet translatus in Ordine ipſo, ad quem transfertur, ſub ſui Superioris obedientia in Clauſtro perpetuo maneat. Unde fit, ut ſuper quolibet translatorum huiſmodi extra Clauſtra commorante, ac degente Antifites loci Ordinarius vigore memorati Decreti Concilii Tridentini ſeſſ. 6. cap. 3. de Reformatione, omnem habeat iuriſdictionem, illamque libere, & licite exercere poſſit, & valeat. Quo autem pacto Te cum translatis quibuſcumque qui Apoſtolica auctoritate, ut extra Clauſtra libere vivant, indultum fuiſſe aſſerentibus agere oporteat, certiore facimus, nemini juxta ordinatas, ſtatutaſque regulas ex una ad aliam Religionem, niſi in illa, ad quam quemvis transferri contigerit, vigeat Clauſtralis, ac Regularis obſervantia, & quæ non ſit hoſpitalaria

PONT. laria, aut militaris, transitum impertiri. Quod si vero aliquando audiris cum ANNO  
 aliquo Religioso Viro ab Apostolica hac Sancta Sede benigne dispensatum fuisse, ut vel in habitu Sacerdotis Sæcularis permanere, vel ad aliam Religionem, 1746  
 A. VI. in qua Claustralis, & Regularis observantia non vigeat, transire possit, Te doctum volumus, id sane per raro, & gravissimis, rationalibusque de causis fieri. Hisce demum ita expositis, cum ad Fraternitatem Tuam relatum fuerit, esse ac reperiri quemlibet Religiosum Virum, qui se Indulto quocunque hujusmodi donatum uti, frui, ac gaudere contendat, eundem opus est, ut ad tale Intultum Tibi ostendendum primum, etiam adhibita vi, compellas, atque insimul, postquam illud perlegeris, diligenter expendas causas in ipso Indulto contentas & expressas, veræ ne, an falsæ sint. Quod si illud Indultum commonstrare, & tradere detrectaverit, adversus ipsum, juris ordine servato, statim procedas juxta facultatem Tibi attributam in suprascripto Tridentinæ Synodi c. 3. sess. 6. de Reformatione. Et si Indulti causas minime veras esse compereris, ne dubites super ejus subreptione, seu obreptione pronuntiare, & adversus Religiosum procedere extra Claustra sine facultate degentem. Cæterum Fraternitati Tuæ persuasum esse optamus, Nos nunquam passuros esse, ut quæcumque Apostolicæ nostræ caritatis supremæque auctoritatis ad oves Tibi creditas, de quibus districta a Te non minus Nobis, quam Pastorum Principi JESU CHRISTO Æterno Judici ratio reddenda est, saluberrime pascendas regendasque conducentia exoraveris, officia a Fraternitate Tua desiderantur. Interim Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter elargimur.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis sub Annulo Piscatoris die xxvii. Maji MDCCXLVI. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Cajetanus Amatus.



PONT.

N U M. LII.

ANNO

A. VI.

L I T E R Æ

1746

*Jam editæ adversus Confessarios exquirentes a Pœnitentibus complicum nomina confirmantur; & pœnæ in delinquentes statuuntur, cum præsumptione Ordinis procedendi in hujusmodi Causis.*

**B E N E D I C T U S E P I S C O P U S**

**S E R V U S S E R V O R U M D E I.**

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**U**BI primum de perversa quadam, & absurda praxi in Sacramento Pœnitentiæ administrando apud nonnullos Confessarios in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis introduci cœpta, non sine animi Nostri dolore, nuntium accepimus non levi aliquo incertoque rumore ad Nos perlatum, sed ita gravibus, solidisque fundamentis innixum, ut prudentem omnino fidem de periculi cum veritate, tum magnitudine facerent; prætermittere non potuimus, quin continuo datis ad Venerabiles Fratres eorundem Regnorum, ac Ditionum Archiepiscopos, & Episcopos Apostolicis Nostris Literis, remedium nascenti malo quam promptissime adhiberemus. Earum vero Literarum die septima mensis Julii superioris anni millesimi septingentesimi quadragesimi quinti editarum, quas præsentī huic nostræ Constitutioni inferendas existimamus, hic tenor erat.

*Pars I.*

D d

B E-

*Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**S**uprema omnium Ecclesiarum sollicitudo, & Divina JESU CHRISRI omnium Pastorum Principis, cujus vices plane immerentes gerimus, charitas assidue urget Nos, ut pro commissa divinitus imbecillitati Nostræ universi Domini gregis cura semper advigilantes, periculis animarum, sicuti forte super impenderint, per omnes Christiani Orbis Populos ac Nationes opportune, quantum cum Domino possumus, occurramus; atque iis præcipue Regnis, & Locis peculiari quodam Apostolicæ Nostræ charitatis studio, auctoritatisque providentia consulamus, in quibus, cum Fideles, Religio, Pietas quam maxime floreat, callidus humani generis hostis nocere Fidelibus, dum aperto bello desperato, per insidias molitur, in Angelum scilicet sese lucis transfigurans, & eminentis boni specie incautus illudens; quæ ex arte non minora sæpe animarum detrimenta, quam ex aggressionem manifesta, esse preventura nequissimus veterator confidit. In harum autem fraudum numero compertissimus, quod in florentissimis Portugallie, & Algarbiorum Regnis, & ditionibus, quibus Vos Antistites summa cum Sacerdotalis virtutis vestræ commendatione præsidetis, & quibus pro singulari erga Catholicam Ecclesiam, atque Apostolicam hanc Sanctam Sedem observantia meritæ debentur laudes, nuper evenisse non sine ingenti animi nostri dolore cognovimus. Pervenit enim haud ita pridem ad aures Nostras, nonnullos istarum partium Confessarios sola zeli imagine seduci se passos, sed a zelo secundum scientiam longe aberrantes, perverſam quandam, & perniciosam praxim in audiendis Christifidelium confessionibus, & in saluberrimo Pœnitentiæ Sacramento administrando, invehere atque introducere cœpisse; ut videlicet, si forte in pœnitentes incidissent socium criminis habentes, ab iisdem pœnitentibus socii hujusmodi, seu complicitis nomen passim exquirerent; atque ad illud sibi revelandum non inducere modo suadendo conarentur; sed, quod destabilius est, denunciata quoque, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione, prorsus adigerent, atque compellerent; immo etiam complicitis ejusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum, sibi exigerent designari. Quam illi quidem intolerandam imprudentiam tum procurandæ complicitis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum specioso prætextu colorare, tum emendicatis quibusdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones hujusmodi vel falsas, & erroneas sequendo, vel veras, & sanas male applicando, perniciem tam suis, quam pœnitentium animabus consciscerent; ac sese præterea plurium gravium damnorum, quæ inde facile consecutura fore prævidere debuerant, eos coram Deo æterno Judice constituerent. Et vero jam secuta fuisse multa ejusmodi damna infelici experientia compertum est. Nec fieri potuit quin ea de causa & oblocutiones, & scandala, & non Ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius ministerii odium, & animorum ingens conurbatio in Populo fidei exorta sint. Tristia Nos hæc nuntia cum accepimus, simul audivimus, contra exitalem hujusmodi abusum protinus justa indignatione pro munere suo commotos fuisse dilectos Filios Noſtros Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Nunnum a Cunha in iisdem Portugallie, & Algarbiorum Regnis Generalem Inquisitorem, & Thomam de Almeyda Patriarcham Lisbonensem; atque utrumque sollicitè gliscenti malo compescendo, atque eradikando adlaborasse. Nos autem, ne in tam gravi animarum discrimine ulla ex parte Apostolico Noſtro Ministerio deesse videamur, neve mentem hac super re Noſtram apud Vos obscuram, & ambiguum esse sinamus; notum Volis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobendam esse, eandemque a Nobis per præsentem Noſtras in forma Brevis litteras reprobari, atque damnari, tamquam scandalosam, & perniciosam, ac tam famæ proximorum, quam ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli Sacramentalis violationem, atque ab



PONT. ejusdem Pœnitentiæ Sacramenti tantopere proficuo, & necessario usu Fideles abalie. ANNO  
 nantem. Quapropter, Venerabiles Fratres, quamquam de Pastoralis vestra vigilan-  
 A. VI. tia nihil est, quod dubitemus; Supremi tamen Officii quoque Nostri esse censemus, 1746  
 alacritatem ipsam vestram hac mentis Nostre aperta significatione, & Apostolicis  
 insuper hortationibus nostris intentius acuerit, & excitare, ut pro se quisque vestrum  
 opportunioribus, quascumque prudentia suggererit, in his rationibus, & efficaciori-  
 bus quibusque juris remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes Ministros ad-  
 hibitis, noxiam hujusmodi novitatem strenue insectemini, ac pene nascentem oppri-  
 matis, neque patiamini traditis curæ vestræ, ovibus ibi offendiculum parari, ubi  
 salus a CHRISTO posita est, ab eoque divinæ misericordiæ fonte illas averti, ac  
 deterri, ad quem ab eodem REDÈMPTORE Nostro ad abluendas, dealbandas-  
 que in sanguine suo animas amantissime invitantur. Interea, dum a zelo vestro,  
 ac prudentia luculentiora Nobis certo pollicemur vestræ pietatis, & observantiæ  
 argumenta, Apostolicam Benedictionem cum uberrima cœlestium charismatum copia  
 conjunctam Vobis, Venerabiles Fratres, ex animo imperitumur. Volumus autem, ut  
 presentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii pu-  
 blici subscriptis, & Sigillo personæ in Dignitatē Ecclesiasticā constitutæ munitis,  
 eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ presentibus adhiberetur, & adhiberi  
 possit, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum apud Sanctam Mariam Majorem  
 sub Annulo Piscatoris die VII. Mensis Junii MDCCXLVI. Pontificatus Nostri  
 Anno quinto.

Cajetanus Amatus.

Has porro Nos Literas in forma Brevis tunc datas iterum præsentibus No-  
 stris, confirmamus, & roboramus, easque ab omnibus, & singulis fideliter,  
 exacteque observari injungimus, atque præcipimus.

Statuentes insuper, ac decernentes, ut quicumque cujusvis status, gradus,  
 conditionis, dignitatis, & ordinis, etiam speciali & individua, ad effectum  
 ut hi ce Nostris præsentibus comprehendantur, mentione & expressione digni,  
 ausus in posterum fuerit docere licitam esse hujusmodi praxim, prout ea in  
 relato Nostro Brevis exponitur ac reprobatur; vel scribere, aut loqui præsum-  
 pserit in ejusdem damnatæ praxis defensionem; vel ea, quæ in dicto Brevis con-  
 tra eandem praxim decreta sunt, impugnare, aut in alienos sensus temere  
 detorquere, seu interpretari; incidat ipso facto in excommunicationem, a  
 qua non possit, præterquam in articulo mortis, ab alio, quacumque etiam  
 dignitate fulgente, vel auctoritate suffulto, nisi a Nobis, vel a pro tempore  
 existente Romano Pontifice, absolvi.

Et quia non modo cavendum est, ut, quæ sunt a Nobis in præinfertis Li-  
 teris decreta, ab omni impugnatione, contradictione, pravaque interpretatio-  
 ne salva sint, & immunia; verum etiam ne quis in Sacramenti Pœnitentiæ  
 administratione ab eorum omnimoda observantia unquam recedat; idcirco  
 omnibus & singulis Confessariis utriusque Cleri tam Sæcularis, quam Regula-  
 ris, quantumvis exempti, & quacumque speciali & expressa mentione alias  
 fortasse nominandi, graviter & districte, Divini interminatione judicii, at-  
 que in virtute sanctæ obedientiæ prohibemus, ne, conformiter ad prædictam  
 reprobam praxim; pœnitentes, qui peccatum, seu crimen aliquod, cujus  
 socium, aut socios habuerint, ipsis in Tribunali Pœnitentiæ confiteantur; in-  
 terrogare præsumant de nomine socii, seu complicitis, loco habitationis, vel  
 aliis hujusmodi adjunctis, sive circumstantiis; expressionem magis indivi-  
 duam ejusdem complicitis manifestationem concernentibus; eidem pœnitenti, si  
 manifestare renuerit, sacramentalem absolutionem denegando: alioquin nove-  
 rint sese, ultra peccati lethalis incursum, suspensioni ab officio audiendarum  
 confessionum, aliisque etiam gravioribus pœnis fore subjiciendos.

PONT. Præterea quoniam contra damnatum hujusmodi exitialem abusum, ne cum ANNO  
 animarum pernicie radices agat, necesse ducimus modum, ac formam etiam  
 A. VI. in foro externo procedendi, & ultlices adversus reos pœnas imponendi, sta- 1746  
 tuere, atque ordinare; omnesque super hoc exorituras, vel etiam jam exor-  
 tas disensiones componere, & penitus amputare; volumus, decernimus, ac  
 declaramus, quod docentes, ut supra, licitam esse praxim a Nobis jam repro-  
 batam, vel in ejusdem praxis defensionem scribentes, aut loquentes, vel  
 ejusdem reprobationem in memorato Nostro Brevi contentam impugnantes,  
 aut perverse interpretantes, in Officio Sanctæ Inquisitionis prædictorum Re-  
 gnorum atque Ditionum severe puniantur, & contra eos, & eorum quemli-  
 bet in eodem Officio procedatur, non minus ac contra illos ibidem procedi  
 solet, qui asserunt, tradunt, tuentur opiniones scandalosas, perniciosas, &  
 uti tales a Sede Apostolica rejectas, & condemnatas.

Similiter in eodem Officio procedendum erit, & procedi volumus ac statui-  
 mus contra Confessarios quoque, ut supra, delinquentes, ac de nomine com-  
 plicis pœnitentem interrogantes, eidemque pœnitenti, nisi illud sibi manife-  
 stet, absolutionem denegantes: Dummodo tamen hujusmodi interrogandi, ac  
 denegandi actus talibus circumstantiis conjunctus sit, ac convestitus, quæ sic  
 agentem Confessarium de adhæsiōe ad prædictam reprobata praxim, tamquam  
 ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddant.

Itaque contra prædictos omnes & singulos Delinquentes tam sæculares, quam  
 quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate  
 subjectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regula-  
 res, cujuscumque dignitatis, ac præminentix, aut quovis privilegio muniti  
 existant, & quorum specialis & nominatim mentio facienda sit, prædictorum  
 Regnorum ac Ditionum Inquisitores, potestate a Nobis tradita, & quatenus  
 opus sit, præsentium tenore de novo concessa, prout in causis Fidei, juxta  
 Sacrorum Canonum formam, nec non Sancti Officii Inquisitionis hujusmodi  
 constitutiones, privilegia, consuetudines, & decreta, diligenter inquirent, &  
 procedant, & quos in aliquo ex ejusmodi excessibus culpabiles repererint, in  
 eos, pro criminum qualitate & circumstantiis, suspensionis ab officio confessio-  
 nes audiendi, vel etiam ab executione Ordinum, privationis Beneficiorum,  
 Dignitatum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, ac pas-  
 sivæ, si Regulares fuerint, aliasque pœnas decernant; omnes etiam, vel ea-  
 rum tantum aliquas, in perpetuum, vel ad tempus infligendo.

Quicumque vero alium quemlibet aliquo ex supradictis modis deliquisse co-  
 gnoverint, eum, intra terminum dierum, in Edictis Sancti Officii ejusmodi  
 Inquisitionis præfigi solitum, eidem Sancto Officio denunciare teneantur: alio-  
 quin pœnas non denunciatis per eadem Edicta infligi consuetas incurrant.  
 Verumtamen ab hujusmodi onere denunciandi jussis de causis eximi volumus  
 & eximimus personam ipsam pœnitentem dumtaxat in causa propria, idest  
 in casu, quod suum peccatum confitens, a Confessario adigatur ad sibi mani-  
 festandum nomen complicis in eodem peccato: tunc enim pœnitentem hujus-  
 modi ab obligatione eundem Confessarium denunciandi liberamus. Sed quan-  
 do aliunde, quam ex propria, ut dictum est, confessione, noverit Confessa-  
 rium aliquo ex superius enumeratis, & Sancto Officio denunciandis modis de-  
 liquisse, tunc eum & ipse denunciare ex ista aliunde habita notitia teneatur.

Quod si Confessarii de complicis nominis perperam interrogantis, absolutionem-  
 nemque, ni sibi detegatur, denegantis actum contingat ejusmodi esse, ut,  
 quamvis imprudens, & malus, simplex tamen quidam, & nudus actus fuerit,  
 idest iis circumstantiis destitutus, quæ de prava credulitate, vel de mala ad-  
 hæsiōe ad praxim in sæpe dicto Nostro Brevi reprobata, tamquam ad lici-  
 tam, eundem Confessarium suspectum reddant; tunc istiusmodi delictum, ne-  
 que denunciationis oneri, neque Sancti Officii prædicti cognitioni subjectum  
 erit;

PONT. erit; sed de illo cognoscere, atque in delinquentem Confessarium, per suspensionem ab audiendis confessionibus, vel alias canonicas, & legitimas pœnas ANNO  
 A. VI. pro delicti modo animadvertere, ad locorum Ordinarios in sua cujusque Diœ- 1746  
 cesi omnino spectabit.

His igitur circa ordinem, formam, modumque contra ejusmodi delinquentes procedendi, ut præfertur constitutis, ac suis unicuique Judici Ecclesiastico juribus assignatis, & distributis; hanc Nos deinceps regulam ab omnibus observari ac custodiri volumus & mandamus, si quando talia delicta deprehendi contigerit; quæ tamen haud unquam posthac eventura in Domino confidimus, accedente insuper præclara inclitæ Lusitanæ Nationis universæ erga Sedem Apostolicam observantia & obedientia, nec non eximia tum istius Sanctæ Inquisitionis Officii, tum cujusque loci Ordinarios nunquam desutura vigilantia. Quapropter quæcumque aliter, quam præsentibus Nostis decrevimus & constituimus, sive in Edictis præfati Officii Inquisitionis, sive in quibuslibet quorumvis Ordinarios Mandatis, aut Pastoralibus Literis, vel Decretis ante hac statuta prodierint, ea Nos, quoniam post Apostolicam hanc a Nobis propositam agendi, seu judicandi normam minus necessaria fore censemus, desinere jam, & cessare, ac, veluti nunquam emanassent, omnem obligandi vim amittere, Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, statuimus, atque sancimus.

Decernentes easdem præsertas, nec non præsentis nostras Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumque cujusvis status, gradus, ordinis, præminentia, & dignitatis existant, seu alias speciali & individua mentione & expressione digni, in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & audiri, neque causæ, propter quas tum præsertas, tum præsentis emanaverint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet etiam privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu, notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed ipsas præsentis, easdemque præfatas in forma Brevis Literas, firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, & ab omnibus & singulis præmissis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit, exacte, & inviolabiliter observari.

Sicque & non aliter in præmissis censi, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, & contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, Legatos quoque de Latere, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quæcumque auctoritate, potestate, & præminentia fungentes & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibusvis Apostolicis, & Universalibus, sive Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis, editis generalibus, sive specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, Edictis quoque prædicti Inquisitionis Officii, & quorumcumque Ordinarios, etiam Episcoporum, & Metropolitanorum Mandatis, Literis Pastoralibus, sive Decretis; nec non ejusdem Officii, & quarumcumque Ecclesiarum etiam Episcopaliū & Metropolitanarum, & quorumcumque Ordinum, Congregationum, Religionum, & Institutum, etiam Societatis Jesu, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stilis, usibus, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgentiis, & Literis Apostolicis eidem Inquisitionis Officio, illiusque Inquisitoribus, Commissariis, aliisque Officialibus, tum etiam Ecclesiis, eorumque Prælatibus, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, Societatibus, illorumque Superioribus, & personis quibuslibet, sub quibusvis verborum tenoribus

PONT. bus & formis, & cum quibuscumque etiam efficacissimis & insolitis derogatio- ANNO  
 A. VI. tudine similibus, seu ad quarumcumque personarum, etiam Regia, aliave qual- 1746  
 libet mundana, vel Ecclesiastica potestate fulgentium instantiam, vel alias quo-  
 modolibet in contrarium præmissorum conceitis, confirmatis & innovatis.

Quibus omnibus & singulis, etiam si pro illorum sufficienti, derogatione, de  
 illis, eorumque totis tenoribus specialis & individua, ac de verbo ad verbum,  
 non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia  
 expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores  
 prædictos pro sufficienter, & de verbo ad verbum expressis & insertis, for-  
 masque huiusmodi pro plene & exacte observatis habentes, ad præmissorum  
 effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus.

Volumus autem, ut earundem præsentium transumptis, sive exemplis, et-  
 iam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ec-  
 clesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio & ex-  
 tra ubique habeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ,  
 vel ostensæ.

Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc nostrarum condemnationis,  
 reprobationis, confirmationis, sanctionis, prohibitionis, ordinationis, abrogatio-  
 nis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.  
 Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei,  
 & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diocesis Anno Incarnationis Domi-  
 nicæ Millesimo septingentesimo quadragesimo sexto. Quarto Nonas Junii,  
 Pontificatus Nostri Anno Sexto.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

PONT.

N U M. LIII.

ANNO

A. VI.

O C C U R R I T U R

1746

*Abusibus in expeditione resignationum Beneficiorum inductis ad eludendam  
 Constitutionem Gregorii PP. XIII. incipien. Humano.*

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad perpetuam Rei Memoriam.*

**E**CCLESIASTICA ministeria & officia nec ab obtinentibus temere deseri, aut  
 minus recta ratione vel causa dimitti, nec a minus idoneis assumi &  
 exerceri, neque demum ullo pacto in cupiditatis & avaritiæ fomentum  
 transferri volentes Prædecessores Nostri Romani Pontifices, plura peculiariter  
 obser-

PONT. observanda statuerunt in admittendis Beneficiorum sive Officiorum Ecclesiasticorum dimissionibus, ac cessionibus, & eorundem sic per resignationem vacantium provisionibus, & concessionibus, quæ omnia non modo Nostram approbationem & confirmationem promereri, sed etiam quo certius propositum re ipsa sortiantur effectum, uberius providentiæ Nostræ conciliis, prout rerum necessitas suavit, stabilienda & amplianda Nobis esse judicavimus.

Postquam enim beatæ memoriæ Sanctus Pius Papa V. Prædecessor Noster per suam Schedulam Motu proprio, quæ incipit, *Cogit Nos*, Anno Domini MDLXVII. die XIII. Martii, Pontificatus sui Anno II. editam, methodum & formam designaverat servandam in expeditione Literarum Apostolicarum, super gratis Resignationum quorumcumque Beneficiorum sive Officiorum Ecclesiasticorum, certasque opportunas clausulas, expressiones, & limitationes, in hujusmodi Literis respective apponendas provida ordinatione præscripserat; sequenti anno MDLXVIII., per suam Constitutionem, quæ incipit: *Quanta Ecclesiæ Dei* - datam apud S. Petrum Kalendis Aprilis, definivit & declaravit, quænam Beneficiorum, & Officiorum hujusmodi resignationes seu dimissiones ab Episcopis, & aliis ad id facultatem habentibus, quibusque ex causis recipi & admitti possent, aliaque in ipsis dimissionibus, seu resignationibus, necnon eorundem Beneficiorum resignatorum collationibus respective cavenda decrevit; censuras in contravenientes pronunciando, aliaque pœnas respective statuendo, prout in Scheda, & Constitutione prædictis plenius continetur.

Cum vero adhuc præfati Sancti Pii Prædecessoris Leges & Ordinationes, ad compescendas fraudes & simulationes, quæ in hujusmodi Resignationibus hominum malitia committebantur, non satis prodesse, experiendo compertum esset, placuit felicis recordationis Gregorio Papæ XIII. Prædecessori pariter Nostro in sua Constitutione, quæ incipit: *Humano vix judicio* -, data apud S. Petrum Nonis Januarii, Anno Incarnationis Dominicæ MDLXXXIII. Pontificatus sui XII., decernere & constituere, ut omnes & quæcumque resignationes, cessiones, sive retrocessiones, quæ deinceps de quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus tam Virorum, quam Mulierum, Dignitatibus, Officiis, & Beneficiis Ecclesiasticis sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Militarium, Regularibus, etiam electivis, & manualibus, ac etiam de jurepatronatus Laicorum illustrium, & alias quomodocumque existentibus, sive pacificis, sive in petitorio, aut in possessorio litigiosis, etiam de quibus in Consistorio disponi contuevit, seu debet, in manibus Romani Pontificis pro tempore existentis, ex quacumque causa, & quolibet modo fierent, & ab illo, seu illius mandato admitterentur, & super eis provisiones, & quæcumque aliæ dispositiones, sive temporales, sive perpetuæ, aut ad id mandata Apostolica, sub quacumque forma, & quibuscumque, etiam S. R. E. Cardinalibus, ac piis Locis quantumvis privilegiatis, facta, publicari deberent, unacum Literis Apostolicis desuper confectis, intra sex menses, si Beneficia citra Montes essent, ultra vero Montes, intra novem menses, a data concessionis Gratiæ numerandos. Cumque de forma & loco hujusmodi publicationum explendarum, plura distincte præscripsisset; illud etiam provide constituit, ut iis, in quos de Beneficiis hujusmodi resignatis, seu cassis, sub quacumque forma disponi vel mandari contingeret, intra dictum respective tempus, eorundem Beneficiorum possessionem, vigore Literarum Apostolicarum desuper confectarum, apprehendere deberent, vel, si propter litem, aut aliud legitimum impedimentum, hujusmodi possessionem re ipsa apprehendere non potuissent, saltem Literas Apostolicas cum earum publicatione, si tunc facta esset, Judici, seu Executori illarum, vel aliis ad quos pertineret, intra illud tempus præsentare, & apud illum, vel illos, pro ipsarum Literarum executione instare, & possessionem hujusmodi instanter petere tenerentur. Quod si quicquam præmissorum omnium omissum fuisset, dictis terminis, ut cuique præscripti sunt,

PONT. sunt, elapsis, voluit & decrevit, omnes depositiones & gratias resignatorum Anno  
& cessorum Beneficiorum hujusmodi, cum omnibus inde sequutis, irritas &  
A. VI. inanes esse, nullamque aliam gratiam super iisdem, his quibus concessa fuisse  
1746 sent, suffragari, sed eos ad hujusmodi Beneficia quancumque obtinenda inhabiles & incapaces fore & esse: ipsaque Beneficia ceteri statim a prima resignatione seu cessione, eo ipso vacavisse, & vacare; & tamquam sic a principio vacantia, a Sede Apostolica dumtaxat impetrari, & respective concedi posse; & alias, prout in prædicta Constitutione latius & uberius continetur.

Nos ipsi demum ad Romanæ & Universalis Ecclesiæ gubernacula, licet immerentes, evecti, hanc ipsam Resignationum materiam retractare coacti sumus, propter delatam ad aures Nostras nonnullorum malitiam, qui malis artibus, & per illicita pacta, fraudulento verborum & formalitatum circuitu tecta, hujusmodi Beneficiorum Resignationes cum reservatione Pensionum, per anticipationem deinde pecuniarum solutiones extinguendarum, in detestabilem negotiationem convertebant; quapropter hujusmodi Pacta & Conventiones pro abolitione, seu cassatione Pensionum, per anticipatas vel anticipandas terminorum earundem Pensionum solutiones, contemporanee ad ipsas Beneficiorum Resignationes inita, atque conventa, per aliam Constitutionem Nostram, quæ incipit - *in sublimi* - datam IV. Kalendas Septemb. Anni MDCCXLI. Pontificatus Nostri Anno secundo, damnavimus, improbavimus, & omnino irritavimus; pluraque desuper opportune statuimus atque sancivimus, per quæ illicitarum pactationum hujusmodi exterminationi satis consultum esse & fore in Domino confidimus.

Sed neque tot salubres & providas Ordinationes, & Constitutiones valuisse ad eliminandas omnis generis fraudes & corruptelas, quas hominum malitia & radix malorum omnium cupiditas in hac Resignationum materia invenit, magno cum animi Nostri mœrore accepimus. Siquidem ad eludendam præfati Gregorii Prædecessoris consultissimam Legem & Constitutionem, plures adinventæ sunt artes, quarum præsidio Resignatorum Beneficiorum possessio, eorumque fructuum & reddituum perceptio, vel nunquam, durante Resignantium vita, vel nonnisi diuturno tempore elapso, contra Pontificis opinionem & voluntatem, & contra ipsam admittæ Resignationis naturam, in Resignatarium cum effectu transiret.

Nonnulli enim negotiorum Datarie Nostræ Expeditores, postquam super brevi & compendiaria supplicatione, in qua Resignantis & Resignatarii nomina, cognominaque, ac Titulus, & qualitas Beneficii resignandi adscripta sunt, obtinuerunt *Præsentatam*, quam vocant, a Substituto Subdatarii semel apponi, mox ad Libellum supplicem super ipsa Resignationis gratia exhibitum emanare curarunt Rescriptum Datarii, seu Pro-Datarii, Pontificiæ voluntatis & annuentiæ testem; vel etiam supplicationem in forma a Nobis, sive a Romano pro tempore Pontifice signari; nil amplius solliciti de expeditione Literarum Apostolicarum (quas intendunt sub Data illius diei, qui in prædicta *Præsentata*, seu deinceps in supplicatione adscriptus fuit, quancumque sibi libuerit, expedire), compluribus Prorogationibus successive se muniant; quarum quidem terminos quum ad diem illum initio sibi Propositum accommodaverint, minime dubitant de validitate gratiæ Resignationis, quantumvis longe post assensum Pontificis, Apostolicas super ea Literas expedire distulerint.

Alii vero quum supradictam tantummodo *Præsentatam* in Officio Subdatarii reportaverint, minime urgent pro obtinendo Rescripto Datarii, aut signatura supplicationis: neque pro expeditione Literarum Apostolicarum, aut pro Prorogationibus, vel in integrum restitutionibus ullo pacto insistant; sed retento apud se mandato Procuræ ad resignandum, novas identidem *Præsentatas*, tanquam ex integro iterum iterumque referre curant, usque dum, Resignantis

PONT. ANNO  
 A. VI. 1746  
 tis vita ad interitum vergente, vel alias quodcumque ipsi maluerint, Resignationis negotium ulterius promovendum sibi esse ducant; tuncque dumtaxat deprompta una ex obtentis Præsentatis, quam sibi magis expedire judicaverint, sub illius data, & vigore prioris illius Mandati, requisitum consensum præstant, atque Apostolicas Literas expediunt.

Alii demum, præfato Rescripto obtento, signataque supplicatione, non desistant ante vel post expeditionem Literarum Apostolicarum multiplices Prorogationes ad eas publicandas, aut etiam elapso ipsarum prorogationum termino, restitutiones in integrum adversus hujusmodi publicationis omissionem, petere & obtinere; ut interim, publicatione prædicta minime sequuta, nec possessione Beneficii per Resignatarium adepta, ipsius detentio, fructuumque perceptio penes Resignantem, quamvis jampridem se Beneficio abdicaverit, usque ad ejus obitum remaneat; nec nisi eo defuncto, vel saltem morti proximo, hujusmodi possessio in Resignatarium seu Cessionarium (cui, favore obtentorum prorogationum, vel restitutionum in integrum, nihil de suo jure deperit) cum effectu tandem transferatur.

Nos igitur hujusmodi fraudes, & collusiones, in quibus cum animarum pernicie, & recti ordinis subversione, jurium quoque Apostolicæ Sedis detrimentum conjunctum esse animadvertimus, & quarum aliquas judicialibus controversiis non ita pridem locum dedisse, eaque ratione detectas fuisse novimus, de medio tollere, atque in futurum præcavere volentes, Motu proprio, ac certa scientia, & matura deliberatione Nostri, memoratam Gregorii Prædecessoris Constitutionem de publicandis intra certum tempus prædictarum Resignationum gratis, & de capienda resignatorum Beneficiorum possessione, in omnibus & per omnia approbamus, confirmamus, & innovamus. Utque relatis artibus eadem Constitutio in posterum dolere, ut præfertur, eludi, & effectu fraudari amplius non valeat, hac Nostra pariter perpetuo valitura Constitutio in primis Datarie Nostre Notario (seu Notario), quos de excipiendis sive extendendis consensibus pro quorumcumque Beneficiorum sive Officiorum Ecclesiasticorum cujuscumque qualitatis & naturæ existant, resignationibus, etiam ex causa permutationis, ac cessionibus, & retrocessionibus quibuscumque, tam simplicibus, quam cum pensionis, aut fructuum, vel alia qualibet reservatione, quæ in manibus Nostri, aut Successorum Nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium a quibuscumque, etiam S. R. E. Cardinalibus, sub quacumque forma, & quolibet ex causa, & favore cujuscumque personæ, etiam S. R. E. Cardinalium prædictarum, ac etiam Locorum piorum quantumvis privilegiatorum, ad quemcumque effectum fient, pro parte cujuscumque Personæ etiam specifica mentione dignæ, ut supra, in posterum rogari continget, districte vetamus, atque interdiciamus, ne hujusmodi consensus admittere, recipere, & extendere, ac super ipsis instrumenta conficere, seque de iis rogare audeant seu præsumant, quoties Mandata Procuræ, quæ ad hujusmodi consensus præstandos exhibebuntur, adscriptam habeant Datam seu diem anteriorem octo mensibus, quoad personas existentes citra Montes, vel duodecim, quoad personas ultra Montes constitutas; quos quidem menses ab ipso die, quo hujusmodi mandata ad consentiendum eidem Notariis actu exhiberi continget, numerandos & computandos esse decernimus, non obstante quacumque anteriori Præsentata, seu Rescripto obtento, aut etiam Supplicatione sub quacumque data jampridem manu Nostra aut Successorum Nostrorum signata.

Insuper volumus & mandamus, post Rescriptum a Nostro, & Romani pro tempore Pontificis Datario factum super admissione cujuscumque Resignationis, sive cessionis, aut retrocessionis hujusmodi, a quocumque, & favore cujuscumque Personæ, vel Loci pii, ut supra, intra duos ad summum menses, a data rescripti hujusmodi decurrendos remota omni mora & prætextu, signandam

PONT. dam esse Supplicationem, & successive expediendas esse Literas Apostolicas, ANNO  
 A. VI. itaut intra sex menses a Data concessionis Gratia numerandos, quoad Benefi- 1746  
 cia citra Montes posita, & intra novem, quoad ea quæ ultra Montes exi-  
 stunt, eorundem resignatorum Beneficiorum possessio capi, ipsaque Resignatio-  
 num Gratia cum Literis Apostolicis desuper confectis publicari valeant, & cum  
 effectu possessio capiatur, & Literæ respective publicentur, ad normam prædi-  
 ctæ Gregorianæ Constitutionis, & juxta formam sibi præscriptam.

Ubi vero iustis & rationabilibus de causis aliquam prorogationem ad publi-  
 candum postulari necesse sit, nolumus hujusmodi prorogationes, ne pro prima  
 quidem vice, amplius concedi, nisi docto prius in Officio Subdatarii, non au-  
 tem alterius cujuscumque Dataria prædictæ Officialis, de Apostolicis Literis  
 expeditis. Post primam autem aut secundam ad summum Prorogationem hu-  
 jusmodi; alias posteriores Prorogationes ad publicandum, etiam quoad Gratias  
 Resignationum ad hunc diem de præterito admittas, seu concessas, & nondum  
 executioni demandatas, aut publicatas, nemini amplius in posterum concedi  
 volumus, nisi (præter expeditionem Literarum Apostolicarum, ut supra) co-  
 ram Datario pro tempore justificatum fuerit legitimum impedimentum, pro-  
 pter quod eadem Apostolicæ Literæ executioni mandari, aut publicari non  
 possint. Hoc enim concludentur probato, & non alias, eidem Datario reli-  
 ctam volumus facultatem concedendi tot posteriores Prorogationes ad publican-  
 dum, quot necessariæ erunt usque ad hujusmodi legitimi impedimenti remo-  
 tionem.

Quod si consiterit vel, post elapsum tempus, ut supra, præscriptum, præ-  
 fatos consensus super Beneficiorum resignationibus præstitos, sive admissos, &  
 extensos, vel intra aliud præfinitum tempus, aut Supplicationes minime si-  
 gnatas, aut Literas confectas & expeditas in posterum non fuisse, vel etiam,  
 elapso tempore in Constitutione Gregoriana præfixo aut alio ulteriori termi-  
 no per concessas rite Prorogationes obtento, non fuisse captam Possessionem,  
 vel factam Literarum publicationem, ut supra; aut demum, ad novas obti-  
 nendas Prorogationes, falsum, & insubsistens impedimentum dolose allegatum  
 fuisse; in quolibet ex hisce casibus, volumus, & decernimus, ipsas Resigna-  
 tionum gratias, cum omnibus inde sequutis, nullas, irritas, cassas, & inanes  
 esse, & censeri, perinde ac si nunquam admittæ, & concessæ fuissent; nec  
 ullam aliam gratiam super hujusmodi Beneficiis, aut etiam restitutionem in  
 integrum, his quibus concessa fuerat, concedi debere, aut concessam ullatenus  
 suffragari; sed eosdem inhabiles & incapaces esse ad hujusmodi Beneficia  
 sic resignata & cessa, quandocumque obtinenda; ipsaque Beneficia tamquam  
 ab initio vacantia apud Sedem, ab alio quolibet impetrari, & respective ad  
 libitum ejusdem Apostolicæ Sedis alteri cuilibet conferri posse.

Præsentem quoque Literas, & in eis contenta quæcumque nullo unquam  
 tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis  
 Nostræ, vel quovis alio defectu notari, impugnari, infringi, invalidari,  
 aut in jus, vel controversiam revocari posse, sed illa semper & perpetuo va-  
 lida, & efficacia fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & ob-  
 tinere, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios vel Delegatos, etiam  
 Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de La-  
 tere Legatos, Vice Legatos, distaque Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum  
 cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judi-  
 cari & definiti debere, & si secus super his a quoquam quavis auctoritate  
 scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Non obstantibus quibusvis Resignantium aut cedentium voluntatibus, & con-  
 ditionibus, prætestationibus, & clausulis in ipsismet resignationibus, seu cessio-  
 nibus, aut Procuratorum constitutionibus & mandatis, ac alias etiam ad præ-  
 servationem suorum jurium, & significationem, quod non aliter, nec alio  
 modo



PONT. modo resignant, seu cedunt, appositis, omnibusque & singulis aliis, quæ idem ANNO  
Gregorius Prædecessor in relata Constitutione voluit non ob stare; Dataræ quo-  
A. VI. que usibus, stilis, tolerantis, permissionibus, & consuetudinibus, etiam diu- 1746  
vel extantibus. Quibus omnibus & singulis, illorum omnium & singulorum  
qualitates præsentibus pro sufficienter expressis habentes quatenus eisdem præ-  
sentibus aduertantur, specialiter & expresse, motu, scientia, & potestatis ple-  
nitudine paribus, derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Cæterum Dilecto Filio Magistro Joanni Jacobo Millo Datario Nostro, ejus-  
que in Officio hujusmodi Successoribus in perpetuum, cæterisque ejusdem Da-  
taræ Nostræ Officialibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in futu-  
rum, ipsarum tenore præsentium injungimus, & mandamus, ut hanc præce-  
pti Nostri formam & methodum a Nobis præscriptam præ oculis habentes,  
eam pro virili parte singuli adamussim observent, & ab aliis exactissime obser-  
vari faciant; pœnales quoque Sanctiones Nostras adversus temere contravenien-  
tes, executioni cum effectu demandent.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ confirmationis,  
approbationis, innovationis, inhibitionis, irritationis, annullationis, volunta-  
tis, præcepti, decreti, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu teme-  
rario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem  
Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit  
incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Domi-  
nicæ MDCCXLVI. decimo septimo Kalendas Junii, Pontificatus Nostri An-  
no Sexto.

D. Cardinalis Passioneus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA


J. C. Boschi.

Loco ✠ Plumbi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicata die 25. Januarii 1746.



PONT.

NUM. LIV.

ANNO

A. VI.

DE RETINENDA

1746

*Crucifixi Salvatoris Imagine palam, & visibiliter exposita super Alta-  
ribus, ad quæ Missarum Sacrificia peraguntur.*

*Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & Ordinariis Ditionis  
Ecclesiasticæ.*

BENEDICTUS PP. XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**A**CCEPIMUS præstantium Virorum testimoniis jampridem in quibusdam Pon-  
tificæ Ditionis Civitatibus inductam esse consuetudinem, quæ licet pie-  
tatem, ac religionem præferat, Ecclesiæ tamen institutis, ac disciplinæ  
plurimum adversatur. Idem Nos ipsis deprehendimus in aliquibus Ecclesiis hu-  
jus

PONT. jus nostræ Romanæ Urbis, & aliis pariter, quæ Episcopis Suburbicariis sub- ANNO  
 jiciuntur. Quapropter muneri Nostro deesse magnopere videremur; nisi de hac  
 A. VI. re monerentur illi, qui pro spirituali hujus Civitatis regimine Ministri a No- 1746  
 bis constituti sunt, & alii qui Suburbicarios Episcopatus, vel alterius Civitatis  
 in Ditione Pontificia Sedem obtinentes curam gerunt animarum.

In Altaribus, quæ per Ecclesias erecta sunt, & in quibus Sacrum fieri con-  
 suevit, præter majorem Tabulam, quæ vel depictam, vel incisam exhibet ima-  
 ginem Sancti, in cuius nomen & memoriam Altare consecratum est, adjungi  
 cœpit alia minor Tabula, in qua vel coloribus exprimitur, vel ære, ligno,  
 aut marmore inciditur Effigies alterius Sancti, itaut Crux auferatur, quæ jux-  
 ta Rubricas inter Candelabra collocari debet. Cum vero neminem lateat, rem  
 Divinam confici non posse, nisi Crux cum Imagine Sanctissimi Crucifixi super  
 Altari constituatur, hinc minori Tabulæ superadditur exiguus adeo Crucifixus,  
 ut neque Presbyteri celebrantis oculis facile occurrat, neque ab ullo alio distin-  
 gui ferme possit, nisi hic diligenter perscrutetur, utrum super Altari revera  
 Crucifixi Imago proposita fuerit.

Equidem non improbamus, quod idem Altare plurium Sanctorum nomine  
 ac memoria dedicetur, quodve in majori Tabula aut unus tantum, aut plu-  
 res etiam Sancti pingantur, vel denique, quod alia minor Tabula collocetur  
 inferior, aut alio quocumque modo, ubi unus, vel plures Sancti Fidelium ve-  
 nerationi proponantur. Illud permittere nullatenus possumus, quod Missæ Sa-  
 crificium in his Altaribus celebretur, quæ careant Imagine Crucifixi, vel ipsa  
 incommodè statuatur ante Presbyterum celebrantem, vel ita tenuis & exigua  
 sit, ut ipsius Sacerdotis & Populi assistentis oculos pene effugiat. Id enim a-  
 lienum est a Legibus, & Institutis Ecclesiæ, quæ in Rubricis, aliisque Eccle-  
 siasticis Sanctionibus continentur: Id etiam maxime contrarium est Sacræ antiquita-  
 ti, & Ecclesiarum, etiam Orientalium, consuetudini; itaut certissimum sit violari  
 Leges Ecclesiæ, si exigua solum Imago Crucifixi præfigatur minori Tabulæ,  
 vel Statuæ Sancti, qui superadditur, ut illum Fideles venerentur.

In Rubricis Missalis tit. de preparatione Altaris & ornamentorum ejusdem  
 hæc leguntur: *Super Altare collocetur Crux in medio, & Candelabra saltem  
 duo cum candelis accensis hinc & inde in utroque ejus latere.* In Romano Pon-  
 tificali tit. de consecratione electi in Episcopum; cum sermo est de Altari, ubi  
 consecrandus Episcopus Sacrum operatur usque ad Offertorium, quo peracto  
 Missæ Sacrificium prosequitur in alio Altari, ubi Episcopus consecrans rem-  
 Divinam facit; in eo inquam Pontificali hæc habentur: *In Cappella vero mi-  
 nore pro Electo, quæ a majore debet esse distincta, addatur Altare cum Cruce  
 & duobus Candelabris.* Cœremoniale autem Episcoporum postquam lib. 1. cap.  
 12. commemoravit Candelabra, & Candelas, hæc addit: *In quorum medio col-  
 locabitur Crux ex eodem metallo, & opere, præalta, itaut pes Crucis æque alti-  
 tudinem viciniorum Candelaborum, & Crux ipsa tota Candelabris superemineat,  
 cum Imagine Sanctissimi Crucifixi versa ad anterioris Altaris faciem.*

Nos ipsi verba fecimus de hoc veteri ritu collocandæ Crucis in Altari, cum  
 Sacrum peragitur, in nostris Commentariis - *De Sacrificio Missæ* - quæ itali-  
 co Sermone a nobis confecta fuerunt part. 4. sect. 1. num. 17. ac seqq. Plura  
 deinde addidimus sect. 1. §. 18. & 19. cum ipsa latine reddita lucem iterum  
 publicam adspexerunt. His etiam adjungimus, obvetustatem præsertim hujus-  
 ce Ritus, tantam venerationem, cultumque semper exhibitum fuisse Cruci,  
 quæ in medio Altari collocatur, cum Missæ Sacrificium conficitur, ut Nova-  
 tores ipsi magis insensu, illam de medio auferre pertimuerint, cum suam Cœ-  
 nam instituunt; hæc testatur Gretserus in suo *Tractatu de Cruce* cap. 23. 1. I.  
 ejus editionis, quæ postremo typis vulgata fuit.

Si vero disciplinam Orientalium inspiciamus, Græcis in more positum est,  
 ut ad Portam Regiam Sanctuarii utroque latere Imagines Christi Domini, ac  
 Beatæ

PONT. Beatæ Virginis, & super Altari Crucem una cum Libro Sanctorum Evange- ANNO  
 liorum constituant: In Liturgia vero Cophto-Arabica, quæ desumpta ex ma-  
 A. VI. nuscryptis Codicibus Vaticanis impressa fuit anno 1736. in Collegio Urbano 1746  
 de Propaganda Fide, pag. 33. indicitur Sacerdoti celebranti, ut Benedictionem  
 cum Cruce Populo impertiat, eam deinde osculetur, ac Diacono tradat, qui  
 ipsam super Altari collocat. Postremo Ritus Syriacus Maronitarum eadem  
 prorsus decernit, quæ in Rubricis Romani Missalis præscribi superius indicavi-  
 mus. Nam Patriarcha Stephanus *lib. 4. tract. 2. sect. 4.* ita scriptum reliquit.  
*Mos iste in omnibus Ecclesiis inolevit, ut super Altaris gradum salutiferæ Crucis*  
*vexillum collocetur.* In Synodo etiam Nationali, quæ coacta fuit anno 1736.  
 in Monte Libano, quam Literis Apostolicis Nos ipsi confirmavimus, *part. 2.*  
*cap. 13. de Sacrosancto Missæ Sacrificio can. 8.* ita sancitum est -- *Super Altare*  
*collocetur Crux in medio, & Candelabra saltem duo cum Candelis accensis hinc*  
*& inde in utroque ejus latere.*

Scriptores, qui sacros Ritus explicarunt, nonnullas disputationes instituunt;  
 ac primo utrum satis sit nudam Crucem in Altari statuere, an Imago Cruci-  
 fixi addenda simul videatur. Equidem Rubricæ Missalis solam Crucem com-  
 memorant. Cum tamen Cœremoniale Episcoporum Crucem una, & Crucifixum  
 nominet, idque communi Ecclesiæ consuetudini consentaneum sit, hanc ideo  
 sententiam probandam nemo sapiens dubitabit. Ita sentiunt Gavantus, Clau-  
 dius la Croix, qui *lib. 6. part. 2. de Sacrificio Missæ num. 318.* fatetur, ob  
 veterem communemque usum, sine Imagine Crucifixi, quæ pendeat e Cruce,  
 rem Divinam fieri non posse, nisi necessitas intervenerit. Et profecto initio Eccle-  
 siæ, cum Fideles concitare ad furorem Gentiles magnopere timerent; si Chri-  
 stum Crucifixum publice adorandum proponerent; Crucem tamen pluribus mo-  
 dis exornatam palam exponebant, atque incisum vel depictum Cruci appone-  
 bant Agnum, qui Typus amantissimi Salvatoris semper habitus est, ut eo sal-  
 tem modo Crucifixi Imaginem exhiberent. Id conspicitur adhuc in nonnullis  
 hujus Civitatis Ecclesiis, & testimonio etiam Macrii comprobatur *in ejus Hie-  
 rolexico, in vocabulo CRUX.*

Secundo loco inquiritur, utrum Crucifixus pendens a Cruce debeat in Alta-  
 ri constitui, etiamsi Salvator noster Crucifixus in majori Tabula Altaris depi-  
 ctus, aut cælatus appareat. Gavantus id quidem probat; alii vero necessarium  
 id minime arbitrantur, dummodo tamen Crucifixus in majori Tabula vel pi-  
 ctus, vel cælatus, primum locum obtineat præ cæteris omnibus, quæ in ea-  
 dem Tabula exprimentur. Ita censet Pasqualigus *de Sacrificio Missæ quæst. 716.*  
*Quartus ad Rubricas Missalis p. 1. tit. 20. dub. 10.*; & Giribaldus *de Sacramen-  
 tis in tract. 5. de Sacrificio Missæ cap. 9. dub. 2. num. 20.* Huic pariter sen-  
 tentiæ se conformavit Congregatio Sacrorum Rituum, uti constat ex respon-  
 sione, quam ipsa promulgavit anno 1663. & quam Meratus recenset *tom. 1.*  
*part. 1. tit. 20. de præparatione Altaris, num. 6.* & in Indicem Decretorum  
*eodem com. part. 2. num. 400.*

Tertio loco quæritur, utrum Crucifixus in Altari collocari debeat, cum Sa-  
 crificium Missæ in eo conficitur Altari, ubi positum est Tabernaculum, in  
 quo Pyxis cum Sacris Particulis continetur; cum præsertim eidem Tabernaculo  
 parva Crux cum Imagine Salvatoris Crucifixi semper præfigatur. Equidem in  
 Cœremoniali Episcoporum hæc habentur -- *Non incongruum, sed maxime de-  
 cens est, ut in Altari, ubi Sanctissimum Sacramentum est, Missæ non celebrentur,*  
*quod antiquitus observatum esse credimus --;* In veteri Cœremoniali cum Cle-  
 mens VIII. Pontificatum gereret, ita legebatur, -- *quod antiquitus observatum*  
*esse videmus.* Attamen id prorsus difficile nonnullis videtur, ob eam causam,  
 quod ut ipsi argumentantur, cum unicum Altare in veteribus Templis extrui  
 soleret, aut Divina Eucharistia in eis conservata non fuisset, aut nullum Mis-  
 sæ Sacrificium in eis esset institutum. Aliter vero sentiunt ii, quibus cogni-  
 tum

PONT. tum perspicuumque est, eum morem fuisse antiquitus, ut Sacra Eucharistia in Anno  
 Ecclesiæ Sacrario servaretur, vel in decenti Armario, quod parieti configeba-  
 A. VI tur, uti nunc etiam perspicimus in Basilica Sanctæ Crucis in Jerusalem; Idem 1746  
 perpendit Mabillon in *Museo Italico tom. 1. pag. 89. ac tom. 2. pag. 139.* At  
 quod in præsentem ingerit difficultatem, nec ullum ab examine propositæ con-  
 troversię liberum faciat, illud est, quod juxta vigentem disciplinam Sacra Eu-  
 charistia conservatur in Tabernaculo, quod est positum super uno ex Altari-  
 bus Ecclesiæ, & quod in eo passim Missa celebratur, cum, sedulo perpenso  
 Cæremonialis textu, deprehensum sit, eum prædictæ celebrationi absolute non  
 ob stare; uti Christianus Lupus expendit *tom. 11. recentioris editionis in dis-*  
*sertatione de Sacris Processionibus pag. 356.* Hanc itaque controversiam quum  
 alias Nos ipsi expenderemus in supracitatis Commentariis *de Sacrificio Missæ*  
*part. 4. sect. 1. n. 18.* illorum Sententiam probavimus, qui existimant Cruci-  
 fixum inter Candelabra statui debere, neque parvam Crucem, quæ Taberna-  
 culo præfigitur, satis esse, ne Rubrica violetur, quemadmodum inferius ex-  
 plicabimus. Idemque censuit Congregatio Sacrorum Rituum anno 1663. uti  
 peripicitur ex Indice Decretorum, quem Meratus exhibuit, *part. 2. tom. 1.*  
*num. 400.*, ubi hæc leguntur verba - *Crux parva cum Imagine Crucifixi posita*  
*super Tabernaculum, in quo asservatur inclusum Sanctissimum Sacramentum in*  
*Altari, non est sufficiens in Missa, sed poni debet alia Crux in Medio Can-*  
*delabrorum.*

Quarto loco disputatur, utrum Crucifixus inter Candelabra collocandus vi-  
 deatur, cum Sacrum peragitur in eo Altari, ubi Divina Eucharistia non in-  
 cluditur Tabernaculo, sed publicæ Fidelium venerationi exponitur. Id neces-  
 sarium esse putavit Sacrorum Rituum Congregatio die 14. Maii an. 1707. Hoc  
 enim petiit fuerat - *An super Altare, in quo Sanctissimum Sacramentum ex-*  
*positum est, Crux de more collocari debeat.* - Sic autem responsum est - *Nun-*  
*quam omittendam Crucifixi appositam collocationem.* - Porro quum Nos ipsi tunc  
 in minoribus constituti Coadjutorem Promotoris Fidei gerentes, ipsius loco  
 eidem Congregationi præsentibus adfuerimus; adhuc memoria retinemus, in illa  
 sententia ferenda varia fuisse ac discrepantia suffragia, cautumque deinde fuisse,  
 ne ipsa sententia in lucem ederetur. Itaque res iterum deducta est in  
 examen initio Pontificatus Nostri die 2. Septemb. anno 1741. in eadem Con-  
 gregatione Sacrorum Rituum, quæ postquam omnia diligenter accurateque  
 perpendit, decrevit, ut quælibet Ecclesia morem & institutum, quod antea  
 servaverat, in posterum quoque retineret. Et quidem pro Cruce ab Altari  
 removenda, dum Missa in eo celebratur, & super eo publicæ venerationi Eu-  
 charistia exposita est, parum urget, quod nonnulli asserunt, indecens esse,  
 ut Christi Imago in eo loco sit, in quo Christus ipse sub specie panis reali-  
 ter præsens est, & ab omnibus sub eadem specie panis videtur: id quippe  
 prorsus contingit, quoties Sacerdos in quolibet Altari rem Divinam faciens,  
 materiam Eucharistiæ consecravit; nec enim Ecclesia unquam discernendum  
 putavit, ut, peracta Consecratione, Crux ab Altari removeatur. Quemadmo-  
 dum nec asserentibus Crucem necessario esse debere in Altari, in quo exposi-  
 tum est Sacramentum publicæ venerationi, si in eo Missa celebretur, quid-  
 quam prodesse potest, quod in publica Eucharistiæ expositione significetur  
 triumphus, & gloria Salvatoris, in Missæ autem Sacrificio ejusdem mors re-  
 præsentetur; cum Ecclesia, tam in actione Missæ, in qua Eucharistia conse-  
 cratur, quam in conclusione precum, quæ coram eadem jam consecrata &  
 Fidelium venerationi palam exposita recitantur, una eademque collecta æque  
 utatur, quam S. Thomas Aquinas confecit, nimirum: *Deus, qui Nobis sub*  
*Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue, quæsumus, ita nos*  
*Corporis & Sanguinis tui sacra Mystera venerari, ut redemptionis tuæ, (hoc est*  
*passionis, ac mortis) fructum in nobis jugiter setiamus. Quæ cum ita se ha-*  
 beant.

PONT. beant. Rituumque Interpretes & Scriptores, ob ea, quæ mox relata sunt, ANNO  
 in varias abierint sententias, satis commendari non possunt ea, quæ pruden-  
 A. VI. ter, sapienterque decreta fuerunt a prædicta Sacrorum Rituum Congregatio- 1746  
 ne, nempe, ut quælibet Ecclesia vel Diocesim suam retineat consuetudinem;  
 itaut nihil imminuetur in ea Diocesi, ubi Crux in Altari constitui soleat;  
 dum Missa celebratur, etiamsi Sacra Eucharistia publice proster; neque nova  
 disciplina excitetur in ea Diocesi, ubi contraria hujusce rei consuetudo jam-  
 pridem invaluerit.

Hæc omnia diligenter exposuimus, non quidem, ut hæc de re alienum ju-  
 stumque tractatum adornarem, sed ut ex eis cognitum esset atque perspe-  
 ctum, quam alienum sit a Sacris Ritibus id quod plures temere & inconsul-  
 to peregerunt, nempe ut Sacrum facerent ad Altaria, in quibus Crux haud  
 promineat inter Candelabra, sed exiguus tantum Crucifixus præfigatur Tabu-  
 læ alicujus Sancti, qui vel depictus, aut cælatus majori Tabulæ Altaris ad-  
 jungi consuevit.

Si etenim, juxta Rubricas Missalis, Crux inter Candelabra statuenda est; si,  
 juxta Cæremoniale Episcoporum, Crux ipsa cum Imagine Crucifixi Candelabris  
 superminere debet; si, juxta sensum Congregationis Sacrorum Rituum,  
 non satis esse judicatur exiguus Crucifixus Tabernaculo infixus, cum Missa  
 celebratur ad Altare, ubi Pyxis cum Sacris Particulis in Tabernaculo includi-  
 tur, si in præcanti non agitur de Altari, in cujus Tabula Imago Salvatoris  
 Crucifixi primo loco Fidelibus exhibetur; nec minus de Altari, in quo Sa-  
 cra Eucharistia publice adoranda proposita sit; nemo est qui non videat, præ-  
 xim, de qua agitur, recenter inductam, proprioque Marte a privatis perso-  
 nis usurpatam, ex supradictis dicendam esse omnino improbatam; eoque ma-  
 gis, cum ex exiguo Crucifixo, qui præfigitur Tabulæ ejus Sancti, qui Altari  
 superadditur, ea profecto utilitas non consequitur, quam proponit Ecclesia,  
 dum Crucem inter Candelabra collocandam decernit. De hac re Præclarissimus  
 Vir Cardinalis Bona ita scriptum reliquit, *Rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 25.  
 n. 8. Ab aspectu siquidem Crucis Sacerdoti celebranti Passio Christi in memoriam  
 revocatur, cujus Passionis viva Imago, & realis representatio hoc Sacrificium  
 est, mortem cruentam Salvatoris nostri incruente exprimens, tamquam idem Sa-  
 crificium, quod in Cruce oblatum est, quamvis diverse modo offeratur.* -- His  
 postremis verbis indicatur Orthodoxa doctrina, quam Tridentina Synodus de-  
 claravit *sess. 22. de Sacrificio Missæ cap. 2.*

Itaque, Vos omnes, Venerabiles Fratres, ad quos hæc Apostolica scripta  
 dirigimus, curam magnopere impendite ne vestras in Diocesef irrepat con-  
 suetudo, quam superius explicavimus; quod si jam ipsa invaluerit, humani-  
 eatem prius, ac deinde severitatem, si opus fuerit, adhibentes, illam penitus  
 convellite. De Sacrificio Missæ res agitur ideoque nemo vestrum ignorat, a  
 Tridentino Concilio eam tribui auctoritatem Episcopis, & Ordinariis Loco-  
 rum, ut etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegati corrigere valeant pravas  
 consuetudines, quæ Ritui Missæ celebrandæ adversantur; ita clare desumitur  
*sess. 22. in Decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ.* Neque  
 Vos latet, nullum esse privilegium, aut immunitatem, quæ delinquentibus  
 in hac re suffragari possit, ut vestra ab auctoritate, pœnisque per Vos irro-  
 gatis vindicentur. Idem sæpius confirmavit Sacra Congregatio Tridentini Con-  
 cillii interpres, Decreto inhærens ejusdem Synodi, quod paulo ante memora-  
 vimus: id Fagnanus testatur ad *Cap. Grave, n. 46. de officio Ordinarii* his ver-  
 bis -- *Et generaliter hoc Decretum (de quo superius dictum est) censuit Sacra  
 Congregatio comprehendere etiam Regulares, quantumvis exemptos, eosque ea  
 omnia, quæ ab Ordinariis Locorum circa observanda, & evitanda in Missarum  
 celebratione statuta fuerint, omnino servare teneri, ad idque etiam pœnis & cen-  
 suris Ecclesiasticis ab iisdem Ordinariis cogi & compelli posse.* -- Nos quidem his

PONT. Literis eandem auctoritatem, qua jam præditi estis, iterum Vobis confirma- ANNO  
 mus. Illud monendum superest, eam Nobis mentem haud esse, ut Immagi-  
 nes Sanctorum, quæ majori Tabulæ Altaris superadditæ sunt, de medio au- 1746  
 feratis, cum fortasse defuturi non essent invidi, qui ut pietati vestræ macu-  
 lam inurerent, in vulgus disseminarent, Vos nulla duci religione in eum San-  
 ctum, cujus Imaginem Fidelium venerationi subducitis, Illud Vobis præcipi-  
 mus, ut nullo modo patiamini rem Divinam fieri ad hujusmodi Altaria, nisi  
 Crucifixus inter Candelabra ita promineat, ut Sacerdos celebrans, ac Populo  
 Sacrificio assistens eundem Crucifixum facile, & commode intueri possint; quod  
 evenire nequit, si exigua solum Crux minori Tabulæ defixa Fidelibus exhibea-  
 tur. Si ejusmodi corruptela in Diocesim non valde propagata est, facile ex-  
 tingui poterit; si privatim Regulares aut Seculares Ecclesiarum Superiores de  
 hac re moneantur: Sin autem late per Diocesim invaluerit, tunc a Vobis  
 Edictum necessarium promulgandum erit, quod his nostris Literis conformetur.  
 Plura scribere Vobis præmittimus, quos prudentiæ, ac doctrinæ laude latis  
 præstantes existimamus. Auctoritatem nostram, ut rem perficiatis, & quoties  
 opus fuerit, Vobis petentibus nunquam defuturam pro certo habeatis. Interim  
 Fraternitatibus Vestris, & Populis curæ vestræ commendatis Apostolicam Bene-  
 dictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XVI. Julii MDCCXLVI.  
 Pontificatus Nostri anno sexto.

PONT.

N U M. LV.

ANNO

A. VI.

L I T E R Æ

1746

*Jam editæ adversus Confessarios exquirentes a Pœnitentibus complicum  
 nomina confirmantur, & ampliuntur.*

B E N E D I C T U S E P I S C O P U S  
 S E R V U S S E R V O R U M D E I.

*Ad perpetuam Rei Memoriam.*

**A**D eradicandum pravum zizanii semen, quod ab adversario generis hu-  
 mani in Agro Dominico sparsum per Lusitaniz primum Regiones pul-  
 lulare compertum fuerat; ubi nimirum apud nonnullos Confessarios, in  
 administrando Sacramento Pœnitentiæ, perversa quædam & absurda praxis, Ec-  
 clesiasticis Regulis contraria, eidemque Sacramento injuriosa, & ad avertendos  
 Fideles ab ipsius salutifero usu quam maxime tendens, introduci cœperat; pro  
 imposito Nobis vigilandi debito, Apostolicas in forma Brevis Literas direxi-  
 mus Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, per Portugalliæ, &  
 Algarbiorum Regna atque Ditiones constitutis, quas deinde per alias Nostras  
 sub plumbo expeditas Literas, nuper, quarto nimirum Nonas elapsi mensis  
 Junii, confirmavimus & innovavimus, adjectis nonnullis ordinationibus & de-  
 clarationibus, quas ad meritas pœnas tam delinquentibus, quam contrarium te-  
 nentibus, sive docentibus, irrogandas, & ad rectum adversus eos procedendi  
 ordinem in prædictis Regnis & Ditionibus servandum, opportune expedire in  
 Domino judicavimus.

Earum autem Literarum, quas ad hujusmodi erroris & abusu reprobationem  
 primum edimus, hic tenor erat:

*Sequitur integer tenor Literarum Sanctissimi Domini Nostri relat in Const. 39. pag. 66.*  
 Quo-

PONT. ANNO  
 A. VI. 1746

Quoniam vero nullam Pastoralis vigilantæ cautelam superfluum esse ducimus, ubi de Fidelium animarum pernicio, deque subvertenda sanæ doctrinæ integritate, & rectâ Sacramentorum administratione, periculum subesse dubitetur; neque vero ignoramus, alibi quoque auditas esse pœnitentium quærelas de importunis nonnullorum Confessariorum perquisitionibus, pro investigandis complicum nominibus, aliisque notitiis, juxta præxim in præinsertis Nostri Apostolicis Literis relata, atque damnatam: erroneas vero quorundam Doctorum hac de re opiniones, vel pravas aliarum recte opinantium interpretationes & applicationes, in eisdem Literis enunciatas, aliquibus arridere: nec satis eliminatas reputari per ipsas præmissas Literas, quas, utpote ad Lusitanæ Regnorum atque Ditionum opportunitatem accommodatas, & pro iisdem solummodo emanatas, generalis definitionis, & legis vim, auctoritatemque habere, ab aliquibus temere negatum fuit. Ideo Nos, Motu proprio, atque ex certa scientia, hujus Nostre generalis sanctionis tenore, ac de Apostolicæ potestatis Nostre plenitudine, easdem præinsertas Literas iterum confirmantes & roborantes, decernimus & declaramus, memoratam præxim in se ipsa, & ubique locorum ac temporum, Apostolica auctoritate reprobata, atque damnatam esse, & censeri debere; nec ulli licitum esse contra doctrinam in præfato Nostro Brevi contentam docere, scribere, aut loqui, eamque impugnare, aut perverse interpretari, vel in actu contrahere; sub pœnis adversus tuentes, asserentes, aut tradentes opiniones scandalosas, perniciosas, & uti tales a Sede Apostolica rejeetas & condemnatas, & respective adversus contrafacientes mandatis Apostolicis, & Ecclesiasticis sanctionibus, statutis atque præscriptis.

Decernentes easdem præinsertas, nec non præsentis Nostre Apostolicas Literas, nullo ex capite, colore, aut prætextu, de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostre, aut alio quolibet defectu notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed semper firmas, validas & efficaces existere, & perpetuo fore, atque omnes ubique Terrarum cujusvis status, gradus, ordinis, præminentie, & dignitatis, & tam sæculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate subjeutorum Ordinum, Institutuum, Societatum, & Congregationum Regulares, quocumque privilegio munitos, aliosque etiam speciali mentione dignos afficere, & arctare, ac suos ubique plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus & singulis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit, exacte & inviolabiliter observari debere.

Sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, & contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, & Legatos quoque de Latere, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosque quoslibet quacumque auctoritate & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibusvis Apostolicis, & in Universalibus, sive Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, sive specialibus Constitutionibus & Ordinationibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis cuicumque Personæ, sive Ordini, Instituto, Societati, & Congregationi, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibuslibet clausulis, atque decretis, etiam motu, & Apostolicæ potestatis plenitudine similibus, in contrarium forsan concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiam si pro illorum sufficiente derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores prædictos pro suffi-

PONT. cientes, & de verbo ad verbum expressis & insertis, formasque hujusmodi pro ANNO  
 A. VI. taxat specialiter & expresse derogamus. 1746

Ut autem eadem præsentis, & in eis contenta quæcumque, ad omnium  
 notitiam deducantur, & ne aliquis illorum ignorantiam prætere possit;  
 volumus eadem per aliquem, seu aliquos ex Curforibus Nostri ad valvas Ba-  
 silicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi  
 Floræ, aliisque consuetis Urbis locis publicari, earumque copias ibidem affigi,  
 & affixas relinqui; quæ sic publicatæ & affixæ, & omnes & singulos, quos  
 concernunt, arctent & afficiant, non secus ac si eorum unicuique personali-  
 ter intimatæ & notificatæ fuissent; quodque earundem præsentium Transum-  
 ptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis,  
 & sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus  
 fides adhibeatur in judicio & extra illud, ubique locorum, quæ adhiberetur  
 ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmatio-  
 nis, reprobationis, condemnationis, prohibitionis, sanctionis, & voluntatis  
 infringere, seu eidem ausu temerario contrahere: Si quis autem hoc attentare  
 præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli  
 Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Mil-  
 lesimo septingentesimo quadragesimo sexto, quarto Kalendas Octobris, Ponti-  
 ficatus Nostri Anno septimo.

D. Card. Passioneus.

J. Darius.

Jo. Florius substitutus,

V I S A D E C U R I A


J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✝ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium,

Publicat. die 5. Octobris ejusdem Anni.



PONT.

N U M . L V I .

ANNO

A. VI.

I N D U L G E N T I Æ

1746

*Tam docentibus, & addiscentibus methodum Orationis mentalis, quam  
 ipsam Orationem mentalem peragentibus concessæ.*

*Ven. Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepisco-  
 pis, Episcopis, & Præsulibus locorum Ordinariis univèrsis  
 gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.*

B E N E D I C T U S P P . X I V .

*Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**Q**UEMADMODUM nihil est hominibus a familiari Dei consortio & consue-  
 tudine avulsis & ejectis ad divinos hauriendos fulgores, ad æternam sa-  
 lutem procurandam, & ad Deum quasi manu facta coeundum magis  
 opportunum, salutare, ac necessarium Oratione, quæ est veluti ascensio ani-  
 mæ de



PONT. mæ de terrestribus ad cœlestia , inquisitio supernorum , invisibilium desiderium , ANNO  
 conjunctio Spiritui Sancto , & ad Deum locutio ; ita , ne desolatione desoletur

A. VI. universa terra ex eo , quod nullus recogitet corde , omnes & singuli ubique & semper salutari-  
 bus præceptis monendi sunt , quod oporteat semper orare , & nunquam deficere ; ut in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione , petitionibus nostris innotescantibus apud Deum , ipse , qui dives est in omnes eum invocantes , nec nostras abs se deprecationes , nec suas a Nobis amoveat miserationes . Quapropter Prædecessores Nostri Romani Pontifices divina institutione formati , ut Christiani ad orationis , sive Vocalis , sive Mentalis , ut dicitur , illa sit , studium cum alacritate ineundum , & sine intermissione frequentandum incitarent , eisdem tum cohortationibus inflammare , tum cœlestium etiam munerum thesauris , quorum dispensationem ipsis crediderat Altissimus , allicere studuerunt . Indulgentias enim , peccatorum remissiones , & de injunctis eis quomodolibet debitis pœnitentiis relaxationes elargiti sunt iis , qui sive vocales preces recitarent , sive per aliquod temporis spatium quotidie in lege Domini meditentur . Nos autem laudatissimis eorumdem Prædecessorum nostrorum exemplis incensi , non solum omnes & singulas indulgentias , peccatorum remissiones & pœnitentiaram relaxationes per eosdem nostros Prædecessores pro recitantibus quascumque vocales preces ( dummodo nunquam revocata fuerint ) aut quomodolibet orantibus quocumque modo sive ad tempus sive in perpetuum ad hanc usque diem concessas Apostolica auctoritate , tenore præsentium sub eisdem profusis modo ac forma confirmamus , & , quatenus opus sit , de novo concedimus ; verum etiam alias insuper iis præsertim , qui mentalis orationis seu meditationis studio operam dederint , ut infra , impertimur . Primum itaque omnibus & singulis , sive qui tam in Ecclesiis , quam alibi , & ubicumque locorum publice & private quoscumque homines orandi seu meditando rudes quomodocumque orari & meditari docuerint , sive qui pie orandi & meditando institutioni hujusmodi , ut præmittitur , interfuerint , dummodo vere pœnitentes ac sacra Communionem refecti , qua vice id egerint , septem annos & totidem quadragenas de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus . Iis vero tam docentibus quam addiscentibus , qui assidue præmissa peregerint , ac similiter vere pœnitentes ac sacra Communionem refecti pro Christianorum Principum concordia , hæresum extirpatione , ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint , semel in mente pro uniuscujusque commodo & arbitrio plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem , quam per modum suffragii animabus Christianis , quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint , applicare possint , misericorditer in Domino concedimus . Insuper iis , qui per duos quadrantes continuatos , vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus , & per totum mensem orationi mentali dabunt operam , & vere pœnitentes & confessi , Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint , ac pro Christianorum Principum concordia , hæresum extirpatione , & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces pariter effuderint , plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem , quam itidem per modum suffragii animabus Christianis , quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint , applicare possint , auctoritate & tenore similibus misericorditer in Domino elargimur . Est autem juxta divinum Domini Nostri Jesu Christi præceptum , oportet ut quisquis oraturus , ne ad instar hypocritarum videatur ab hominibus , intret cubiculum suum , & clauso ostio oret cœlestem Patrem in abscondito : tamen , cum ipse Dominus dixerit , quod ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo , ibi sum in medio eorum ; & Sanctus Joannes Chrysostomus prædicet , esse in oratione cum fratribus plus aliquid videlicet concordiam , conspirationem , amoris conjunctionem , & charitatis clamorem felici societate , ex qua orationes infirmiores se

PONT. simul complexas, validiores in cœlum evehi: optimum esset, ubi commode ANNO  
 fieri posset, ut, quemadmodum in nonnullis institutum esse accepimus, ita in  
 A. VI. omnibus & singulis Diœcesibus in more poneretur; nimirum ut singulis die- 1746  
 bus dato certo Campanarum signo sive in Ecclesiis, dummodo totius populi  
 multitudo unum in locum, ubi oret, masculis a fœminis seorsim collocatis,  
 convenire facile possit, & nulla suboriatur confusio, & inordinatio, sive in  
 propria Domo Patresfamilias eo, aut alio opportuniore tempore ante Imagi-  
 nem Sacram cum tota Familia convenientes orent. Eapropter Vos, Venerabi-  
 les Fratres, rogamus & in Domino hortamur, ut omnibus, & singulis Eccle-  
 siarum, piorumque locorum, in Civitatibus quidem Cathedralis, aliarumque  
 præcipuarum Ecclesiarum, in Oppidis vero Parochialium Ecclesiarum, Super-  
 ioribus, ac Rectoribus injungatis, ut, præmissis Campanæ sonitu iis diebus,  
 iisque horis, quibus Vobis opportunius in Domino visum fuerit, dando decer-  
 nendoque, omnes Christifideles uniuersusque curæ commissos, quos in unum  
 convenire contigerit, in mentalis orationis studio erudire, sive per alios peri-  
 tos erudiri faciant, atque ad illam frequentandam accedere, necessitatem, uti-  
 litatemque proponere, indulgentiarum thesauros, quos de benignitate Apo-  
 stolica elargimur, explicare, & ad ipsos ea, qua decet, pietate ac reverentia  
 lucrandos inflammare studeant & enitentur; atque etiam, si commode, ut præ-  
 mittitur, fieri poterit, orationi mentali in communi practica, ut dicitur, va-  
 care, in eaque exerceri faciant & curent. Præsentibus Perpetuis futuris tem-  
 poribus valituris. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum trans-  
 umptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscri-  
 ptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem pro-  
 fus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ  
 vel ostensæ. Interim Apostolicam Benedictionem Vobis, Venerabiles Fratres,  
 peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die  
 XVI. Decembris MDCCXLVI. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

*Cajetanus Amatus.*

PONT.

N U M . L V I I .

ANNO

A. VII.

D E L I B E R O I N G R E S S U

1747

*Clericorum Secularium in Ordines Regulares.*

*Dilecto Filio Nostro Angelo Maria Tit. S. Praxedis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ  
 Presbytero Cardinali Quirino nuncupato ejusdem S. R. E. Bibliothecario.*

B E N E D I C T U S P P . X I V .

*Dilecte Fili Noster, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**E**X quo Dilectus Filius Leander Chizzota Archidiaconus Ecclesiæ tuæ Ca-  
 thedralis Brixienfis, ex improvise isthinc digressus, Bononiam se con-  
 tulit, ibique habitum suscepit Clerici Regularis Societatis Jesu; statim  
 a Te, Dilecte Fili Noster, datæ fuerunt ad Nos Literæ, quibus querebaris  
 eum tanti momenti consilium, Te inconsulto, cœpisse, teque penitus incio,  
 ad exitum deduxisse; non sine magno detrimento pauperum istius Civitatis  
 atque Diœcesis, quibus largiter subvenire, multorumque piorum operum,  
 quibus se jugiter exercere consueverat; suorum quoque Nepotum in minori  
 atate

PONT. ætate constitutorum, quorum curæ, atque educationi præesse debebat; ac sine Anno  
spe quidquam utiliter peragendi in ipsa Societate Jesu, cui jam prope septua-  
A.VII. genarius nomen dederat. Hæc eadem, quum ipse proximo Autumnò in Ur- 1747  
bem advenisses, Nobis coram inculcare non omisisti; dieque iisdem nuper in  
Epistola Nobis directâ, ac Typis vulgata, iterum expositulasti; petens præ-  
terea, Nosque excitans, ut auctoritatis Nostræ ope, certaue lege proposita,  
hujusmodi licentiam reprimamus, qua Sæculares Clerici atque Presbyteri ad  
Regularium Clausura, quum libet, se conferentes, a Regularibus Superioribus  
illico recipiuntur; quod sane non aliter fieri debere autumas, quam commu-  
nicatis consiliis cum Episcopis ipsorum Clericorum seu Presbyterorum Ordina-  
riis; siquidem ipsi Episcopi nunquam Regularibus Viris Ordines conferunt, sine  
Prælatorum Regularium consensu, in eorum literis Dimissorialibus declarato.

Duæ sunt res in hoc universo negotio expendendæ; peculiare scilicet factum  
Leandri Archidiaconi, & generale constitutum, quod a Nobis fieri & publicari  
velles. Ad primum quod attinet, aptiorem querelis Tuis responsionem compa-  
rare non possumus, quam si eadem ipsa Tibi rescribamus, quæ olim S. Grego-  
rius Magnus Prædecessor Noster Desiderio Episcopo Viennensi in Gallia in simili  
prorsus casu rescripsit. Quum enim Pancratius quidam Ecclesiæ Viennensis  
Diaconus Monasticam vitam amplexus esset, & in eodem Diaconi gradu in Mo-  
nasterio degeret; Episcopus autem Pancratium diligens, magnique faciens,  
ipsum e Monasterio abducere, & ad Ecclesiæ servitiu retrahere vellet; S. Gre-  
gorius, cujus opem Pancratius imploraverat, scripsit ad Desiderium, ut ipsum  
potius hortaretur, ne a Monasterio discederet, neve se iterum sæculi procellis  
committeret. Habes Gregorii Epistolam tom. 2. ipsius Operum anno MDCCV. a  
Monachis Sancti Mauri accurate editorum, Epistola 35. lib. 12. Indict. V., ubi ita  
scribit: *Hortamur igitur, ut tam promptæ devotioni ejus, quam in sancto studet  
habere proposito, minime vestra sit impedimento Fraternitas: magis autem, quibus  
valeis adhortationibus e Pastoralis admonitione succendite, ut fervor hujus deside-  
rii in eo non tepescat; ut qui a turbulento curarum sæcularium tumultu se segre-  
gans, quietis desiderio, portum Monasterii appetit, rursus in Ecclesiasticarum cu-  
rarum non debeat perturbationibus implicari; sed in Dei laudibus permittatur se-  
cure ab his omnibus, ut postulat remanere.*

Quod quidem Gregorius rescribere non dubitavit; quamvis Pancratius, in  
Clericatus officio Ecclesiæ Viennensi, ut ipse ait, *mancipatus* existeret, ipsius nem-  
pe servitiis re ipsa addictus; quamvis etiam eo tempore hujusmodi disciplina  
vigeret, de qua late Thomassinus agit, *de Beneficiis part. 2. t. 1. c. 3. & 4.* ut  
Clericus Episcopo ordinanti per omnia subesset, ejusque Ecclesiæ ministerio,  
cui in Ordinatione adscriptus fuisset, perpetuo jure devinctus haberetur. Quam-  
vis denique idem S. Gregorius optime nosset, nemini licere ab hujusmodi mi-  
nisterio Ecclesiæ, cui semel addictus fuisset, discedere, sine permittu Episcopi,  
a quo quis ordinatus, ejusque Ecclesiæ servitiis in Ordinatione fuerat adscri-  
ptus; unde in alia Epistola, quæ est XVII. lib. 5. Indict. XIII., quum ageret  
de electione Joannis Archidiaconi Catanensis ad Episcopalem Cathedram Syra-  
cusanam, inter alia, requirebat, ut Leonis Episcopi Catanensis consensus ac-  
cederet: *Quod si factum fuerit, etiam Frater, & Coepiscopus Noster Leo ei ces-  
sionem facere debet, ut liber ad ordinandum possit inveniri: ad quæ verba Edi-  
tores ita observant in Notis; Tam erant Clerici suæ Ecclesiæ addicti, ut ne eos  
quidem in Episcopos alterius Ecclesiæ fas esset eligere, nisi missione obtenta, sive  
ut vocant, cessione.*

Non itaque dubitamus, quin Tu cum Archidiacono tuo eadem plane ra-  
tione agendum tibi esse ducas, qua Episcopum Viennensem cum Diacono suo  
Pancratio agere, S. Gregorius optavit, tum quia animi tui perspecta magni-  
tudo hoc Nobis suadet; tum quia in ea Epistola, quam publici juris fecisti,  
postquam prædicti Archidiaconi in Sæcularis Presbyteri statu eximiam operam  
difer-

PONT. disertissime, ut soles omnia, demonstraſti, circa finem deinde addis: *Te habere ANNO*  
*cauſſas, cur ultro ſinas eundem in Caſtris, ad quæ diſceſſit, militare.*

A.VII. Unum tamen, quod Tibi præſenti antea diximus, nunc etiam ſcripto ite- 1747  
 randum cenſemus; non ſcilicet debitæ erga Te obſervantiæ defectui tribuen-  
 dum eſſe, quod prædictus Archidiaconus tuus, ante diſceſſum, opportunam abs  
 Te veniam minime requiſierit, ſed potius metui reverentia, quem vocant,  
 ac deſiderio propoſiti ſui reiſa exequendi, juſtoque timori, ne forte ab ejus  
 implemento revocaretur. Qua ratione bon. mem. Ardicinus Cardinalis de Porta  
 in quadam Epistoſa ad Prædeceſſorem Noſtrum Innocentium Papam VIII. con-  
 ſcripta, ſuum factum excuſat, quod ſcilicet ad Eremiticam vitam inter Ca-  
 maldulenſes profitendam conferre ſe volens, Cardinalatus habitum exutus, clan-  
 culo ex Urbe ſe ſubduxerit. Quum enim, Pontificis venia opportune obtenta,  
 minime neceſſarium ſibi putaret aſſenſum Collegii S. R. E. Cardinalium; con-  
 ſilium vero ſuum, ne intervelli poſſet, necenari occultandum eſſe cognoviſ-  
 ſet; delato deinde ad ipſum murmure eorum, qui ipſius factum reprehendebant,  
 ita ſcripſit ad Pontificem, in præcitata Epistoſa: *Quod autem, diſmiſſo Cardi-*  
*nalatus habitu, diſſimulata veſte, me itineri commiſerim, non opinor propterea me*  
*notam ullam apud graves, & prudentes Viros contrahere potuiſſe. Nam cum vel-*  
*lem, quod hæcenus feceram, ſecretiſſimum eſſe, idque fratri mihi ſidiſſimo occult-*  
*taſſem, exiſtimavi ſatius etiam in diſſimulato habitu inter ignotos, quam cum vero*  
*habitu incedere, & propterea pœna & a culpa, & ab omni alia nota me immunem*  
*eſſe exiſtimo. Hæc Epistoſa refertur in ejus vita edita ab Artichy in Libro cui*  
*titulus: Flores Hiſtoriæ Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium.*

Atque hæc de prima quæſtionis parte. Quod vero ad alteram attinet, ad  
 generalem ſcilicet Legem, quam pro ſimilibus caſibus a Nobis conſtitui po-  
 ſſulas; hoc Tibi reſpondere poſſe arbitramur, ſatis huic rei in Eccleſiaſticis  
 Canonibus proviſum eſſe. In Concilio Toletano IV. anno MDCXXXIII. ſub  
 Sancto Iſidoro celebrato, Canone 50. ita legitur: *Clerici, qui Monachorum pro-*  
*poſitum appetunt, quia meliorem vitam ſequi cupiunt, liberis eis ab Episcopo in*  
*Monasteriis largiri oportet ingreſſus, nec interdici propoſitum eorum, qui ad con-*  
*templationis deſiderium tranſire nituntur. Textus habetur in Collectione Concilio-*  
*rum Hiſpaniæ Cardinalis de Aguirre tom. 2. pag. 487., & refertur etiam in De-*  
*creto Gratiani Canon. Clerici 19. quæſt. 1. Quin immo in eadem Cauſa 19. quæſt. 2.*  
*Canon. alienum, poſtquam regula poſita eſt, quod Clericus abſque permiſſu*  
*Episcopi ab Eccleſia ſua diſcedere, & alterius ſervitio ſe adjungere nequit,*  
*huiusmodi exceptio ſubneſtitur: Sed ſubaudiendum eſt, niſi ad propoſitum me-*  
*lloris vitæ tranſire voluerit; tunc enim liberum eſt illi, etiam Episcopo contradi-*  
*cente, Monasterium ingredi. Concordat Canon ſequenti loco relatus, qui inci-*  
*pit Dux ſunt, in quo diſtinctio fit inter Legem publicam, & privatam; &*  
*poſito, quod publica quidem Lex vetat Clericum ab una ad aliam Eccleſiam*  
*tranſire ſine aſſenſu proprii Episcopi, privata vero Lex, quæ intinctu Sancti*  
*Spiritus in corde ſcribitur, & dignor eſt Lege publica, nequaquam id prohib-*  
*bet; ex huiusmodi principio arguitur, licere Clerico Beneficium relinquere,*  
*& in Monasterium ſeſe recipere: Si quis horum in Eccleſia ſua ſub Episcopo po-*  
*pulum retinet, & ſeculariter vivit, ſi, aſſlatus Spiritu Sancto, in aliquo Mo-*  
*nasterio, vel Regulari Cœnobio ſalvare ſe voluerit, quia Lege privata ducitur,*  
*nulla ratio exigit, ut Lege publica obſtringatur; dignior eſt enim Lex privata,*  
*quam publica &c. Quisquis igitur hoc ſpiritu ducitur, etiam Episcopo ſuo contra-*  
*dicente, eat liber noſtra auctoritate.*

S. Thomas 2. 2. quæſt. 189. 7. quæſtionem proponit, *utrum Presbyteri Cu-*  
*rati poſſint licite Religionem ingredi: eamque affirmative reſolvit; ea ratione*  
*ductus, quod nulla lege obligantur, toto vitæ tempore curam animarum ſu-*  
*ſtinere. Articulum vero ita concludit, facta de Archidiaconis expreſſa mentio-*  
*ne: Unde maniſeſtum eſt, quod Archidiaconis & Presbyteris Curatis licet ad Re-*  
*ligio-*

PONT. *ligionem transire; & paulo infra: Dicendum, quod Præbyteri Curati & Archidiaconi non obligaverunt se ad hoc, quod perpetuo Archidiaconatum, vel Parochiam retineant.* Hæc S. Thomæ sententia confirmatur a S. Antonino in sua Summa **1747** *part. 2. tit. 16. cap. 2. §. 2. in Editione Veronensi pag. 881. ubi præterea addit, Episcopi dissentium minime obtinere: Archidiaconis, Præbyteris, Curatis licet ad Religionem transire, etiam Episcopo contradicente. Quæ verba similiter leguntur apud Sylvium 2. 2. q. 189. art. 7. in postrema ejus Editione Antuerpiæ facta, tom. 3. p. 945.*

Et quoniam alicui in mentem venire poterat, hujusmodi libertatem transcendendi ad Claustra, quæ sæcularibus Præbyteris a Canonibus conceditur, locum habere dumtaxat pro Claustris Monachorum, de quibus ipsi Canones expresse loquuntur; idem Sylvius, *l. c.* affirmat eam facultatem æque competere, sive de Instituto agatur contemplativæ vitæ unice dedito, sive de eo, in quo vitæ activæ opera exercentur: *Possunt Religionem etiam illam ingredi, quæ in vita mere contemplativa, aut potissimum in corporalibus vitæ activæ officiis sit occupata; quoniam plus excedit status Religionis cujuscumque, statum seu potius officium Archidiaconi vel Plebani, quam status altissimæ Religionis, statum cujuscumque infimæ; propter solemnia nimirum Vota Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, quæ in unaquaque Religione emittuntur.*

At incidunt sæpe tempora, quibus opportunum non est, Clericum sæcularem suum locum deserere, & in Religiosis Claustris se abdere: qua de re nisi consultatio intercedat inter Episcopum & Superiorem Regularem, impossibile erit quid expediat agnoscere. Durum autem omnino est, Virum Ecclesiasticum, qui in suscipiendo Præbyteri Ordine, conceptis verbis, Episcopo suo reverentiam & obedientiam spondit, quoties ipsi libuerit, Episcopo inconsulto atque incio, ad Regularia Claustra discedere, ac Regularis Instituti servitio perpetuo se mancipare. Super quibus omnibus inter se junctis, certam aliquam regulam tradi, & generalem Legem a Nobis promulgari opus esse contendis.

Equidem fatemur, non omni tempore omnibus opportunum esse Regularem vitam amplecti. Meminimus Epistolæ S. Augustini ad Bonifacium Comitem, quæ in Editione Monachorum S. Mauri impressa est *num. 220. Tom. 2. pag. 212.* & cujus etiam pars refertur in *Can. Novimus 47. quæst. 2.*, ubi nimirum Sanctus Doctor testatur, se, una cum Alypio, ipsum Bonifacium a Monasticæ vitæ proposito dissuasisse, ob præclaram, quam in sæculo manens, Ecclesiæ & Reipublicæ navabat operam, dum Africam a Barbarorum incursionibus tuebatur: *Ut autem non faceres, quid te revocavit, nisi quia considerasti, ostendentibus nobis, quantum prodesset Christi Ecclesiis quod agebas, si ea sola intentione ageres, ut defensæ ab infestationibus Barbarorum, quietam & tranquillam vitam agerent?* Vidimus etiam apud S. Thomam *2. 2. qu. 101. art. 4. & quæst. 189. art. 6.*, quæstionem hanc solidis rationibus examinari, utrum possit Filius Religionem ingredi, & Parentes in sæculo relinquere, si ab ipso deserti inopia sint laboraturi. Ulterius inquirunt Moralistæ, an idem dicendum sit de Avo; & an id, quod de Ascendentibus statuitur, locum habeat etiam quoad Filios, Fratres, & Nepotes; & quatenus illius ope, qui Religionem vult ingredi, prædicti omnes indigere debeant.

De reverentia quoque & obedientia, quam non modo Sacerdos, sed quilibet etiam Clericus, proprio Episcopo præstare debet, justam profecto opinionem fovemus. De hujusmodi obedientia agitur in *Cap. cum Clerici de verb. signific.* ubi Innocentius Papa III. exponens formam juramenti, quod a Clericis Ecclesiæ Placentinæ præstatur, in hæc verba conceptum: *Ego talis ab hac hora in antea fidelis ero, & obediens Placentinæ Ecclesiæ, & Domino meo Episcopo Placentino;* docet, per Ecclesiæ Placentinæ vocabulum intelligi Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, eum vero, qui præstat hujusmodi juramentum, Episcopo tamquam

PONT. quam capiti principaliter obligari. Neque porro Nos pro nuda inanique for- ANNO  
 A.VII. mola habendam esse putamus solemnem illam obedientiæ, & reverentiæ spon- 1747  
 sionem, quam Presbyter facit in manibus Episcopi ordinantis, iusta vetustissi-  
 mum Ecclesiæ morem, ante mille annos indubitanter servatum; ut ex anti-  
 quis Ritualibus colligitur, quæ expendit *Catalanus ad Pontificale Romanum tom.*  
*1. pag. 149. in notis ad §. 29.* Quin immo libenter agnoscimus, Presbyterum,  
 huiusmodi promissionis vigore, ea lege, inter alias, adstrictum teneri, ut a  
 servitio Ecclesiæ, cui in ordinatione addictus fuerit, discedere nequeat sine li-  
 centia Episcopi; id quod optimis rationibus demonstrat *Hallier. de Sac. elect.*  
*& Ordin. par. 1. sect. 6. §. 12. Editionis Romanæ*, ubi docte graviterque refellit  
 auctorem cuiusdam libelli Gallico sermone editi, qui huiusmodi reverentiam,  
 & obedientiam Episcopo in Ordinatione promissam angustis nimium limitibus  
 coercere tentaverat.

Verumtamen, his omnibus non obstantibus, iterum dicimus, novam gene-  
 ralem Legem hac de re minime necessariam Nobis videri; vel quia in Eccle-  
 siasticis Sanctionibus, quodcumque necessarium est, satis constitutum habemus;  
 vel quia, si quid adhuc ordinandum superest, id pro generalis Constitutionis  
 subjecto haberi non potest. Tria siquidem sunt, quæ in huiusmodi casibus con-  
 siderari possunt; primum videlicet, an Presbyter in Ecclesiæ servitio ad Regu-  
 laria claustra transurus, permissionem ab Episcopo petere debeat. Secundum,  
 quid ipsi faciendum sit, si Episcopum dissentiat; Tertium, quid statuendum sit  
 de Parochia, seu Canonicali, aut Archidiaconatu, quem Presbyter obtinebat.  
 Verum hæc omnia jam Sacri Canones considerarunt, atque opportunas pro  
 singulis capitibus regulas præscripserunt.

Quod enim pertinet ad Episcopi permissum, nemo dubitat, quin Presby-  
 ter, Ecclesiæ regimen, aut ministerium dimissurus, ante omnia debeat Episco-  
 po consilium suum, ejusque capiendi rationes, quantum earum natura fert,  
 aperire. In quo non tam officio & honestati, quam naturalis legis præcepto  
 satisfaciet. Quum enim Presbyteri, in animarum cura, aliisque gravibus mune-  
 ribus ad Pastorale regimen spectantibus, Episcopi Ministri sint; ita cum eo se  
 gerere debent, ut is animarum, quas ipsi regebant, & negotiorum, quæ ad-  
 ministrabant, necessitatibus opportune consulere valeat. De quo recte loquitur  
*Passerinus, licet Ordinis Regularis scriptor, de statibus hominis tom. 3. qu. 189.*  
*art. 7. n. 8. Minister, qui habet custodiam rerum, & bonorum Domini sui, quæ*  
*absente custode perire possunt, non ex pura decentia, sed ex debito officii sui, te-*  
*netur bona sibi commissa Domino reddere, & illum monere, ut de alio custode*  
*provideat; & si hoc non faciat, puniri potest. Cum ergo Parochus sit Episcopi*  
*minister in cura animarum, si deserat animas sibi commissas, inconsulto Episcopo,*  
*non minus peccat, quam si Minister Pastoris, Ovium Domino, ac Pastore non ad-*  
*monito, gregem errantem sine custode dimitteret, cum his, quæ sequuntur.*

Hæc autem permissio vel ab Episcopo conceditur, vel negatur. Si conce-  
 datur, jam controversiæ locus non erit. Sin vero denegetur, huiusmodi dis-  
 sensus, ex auctoritatibus superius citatis, Presbyterum non adstringet, quominus  
 Religionem ingredi valeat. Neque id mirum videri debet. Si enim Presbyter  
 Episcopo reverentiam & obedientiam in tua Ordinatione promisit, multo so-  
 lemnius Regulares eam promiserunt proprio Superiori in Religiosa Votorum  
 Professione. Et tamen quoties Regularis in Ordine laxiori Professus ad strictio-  
 rem transire cupit, tenetur quidem a Superiore laxiori licentiam petere: ve-  
 rumtamen, ea sibi denegata, nihilominus ad strictiorem libere transire po-  
 test, ut expresse statuitur in *Cap. licet de Regularibus*, ubi sic legitur: *Talis*  
*ergo, postquam a Prælato suo transcendi licentiam postulaverit, ex lege privata,*  
*quæ publicæ legi præjudicat, absolutus, libere potest sanctiæ vitæ propositum*  
*adimplere, non obstante proterva indiscreti contradictione Prælati, quia privile-*  
*gium meretur amittere, qui concessa abutitur potestate.*

Deni-

PONT. Denique de Beneficiorum vacatione, in jure statutum habemus, eam non ANNO induci per solum ingressum in Religionem, sed per Professionem Regularem A.VII. dumtaxat; quemadmodum videre est in *Cap. Beneficium de Regular. in 6. Et* 1747 quidem pro eo tempore, quod inter ingressum in Ordinem Regularem, & Professionem solemnem intercedit, debet Episcopus, quoad Beneficia Curata, id ipsum agere, quod alias præstare consuevit, quum Parochus aliquo impedimento detinetur, ne animarum curam exercere valeat; quoad Beneficia verò Choralia, relistis Tironi Religioso, qui Choro interesse nequit, ipsius Beneficii fructibus, de distributionibus ita statuet, ut jura præscribunt; juxta opinionem in praxi receptam, de qua agit *Suarez de Religione tom. 3. lib. 5. cap. 16. n. 12.* Quin immo si quis forte Religionem ingressurus, Beneficium suum dimitteret, (quo casu potest Episcopus, per *Constitutionem LVIII. S. Pii V.* hujusmodi renunciationem admittere); vel etiam si tempore Novitiatus hujusmodi dimissionem expleret, servatis omnibus, quæ ex præscripto Sacri Tridentini Concilii *Cap. 16. sess. 25. de Regularibus*, tam in bonorum temporalium, quam in Beneficiorum Ecclesiasticorum renunciationibus servari debent; nihilominus omnia in suspenso remanere deberent, neque posset Episcopus ad Beneficii sic dimissi collationem devenire, nisi post factam a dimittente solemnem Professionem; uti late ostendit doctus, & in hoc toto rerum genere expertissimus Scriptor, bon. mem. Joannes Baptista Riganti, in suo *Commentario ad Regulas Cancellariæ tom. 3. Regular. 46. n. 2. ad finem.* Quæ in re olim dubitatum est, an Vota simplicia, quæ a Clericis Regularibus Societatis Jesu, post biennium Probationis, emittuntur, hujusmodi Beneficiorum vacationem inducerent; sed negativa sententia communiter recepta fuit, ut observat laudatus Riganti *loc. cit. n. 20. & seq.* & monet Pitonius *discept. 126. n. 11. & seq.* Quamvis in Congregatione quinta generali ipsius Societatis *Canone 19.* statutum fuerit, ut qui Societati nomen dederit, expleto biennio, antequam Vota simplicia emittat, Ecclesiastica Beneficia dimittere debeat; quo casu hujusmodi Beneficia, si minus propter Professionem, at propter renunciationem, vacare intelliguntur; ut notant Sanchez *ad Præcepta Decalogi lib. 7. cap. 4. n. 7.* Pellizarius in *manuali tom. 1. tract. 3. cap. 4. n. 52.*, cum alijs, quos citant præfati Riganti *loc. cit. n. 32. & Piton. num. 12.*

At enim dices, præmissa omnia recte procedere; verum per ea non tolli popositam difficultatem, de peculiaribus circumstantiis aliquando occurrentibus, ob quas permitti nequit Presbytero Sæculari ad Regularem vitam transire; & quidem necessarium esse, earum cognitionem & examen institui: id quod obfineri nequit, nisi, lata Constitutione, præscribatur aliqua consultationis species inter Episcopum, & Superiorem Regularem; ut unicuique sua ratio constet, ipseque Superior Regularis ab Episcopo edoceri valeat de idoneitate illius, qui Religioni nomen suum offert; ne forte eidem inutilis inveniat; qualem profecto, ob ingravescentem illius aetatem, repertum iri suspicaris Archidiaconum Chizzola, qui inter Clericos Societatis Jesu, Te inconsulto, admissus fuit.

Porro nec interdicta fuit unquam hujusmodi consultatio inter Episcopum, & Superiorem Regularem, neque Nos eam vetare intendimus, quin potius illius utilitatem, atque opportunitatem agnoscimus. Ut autem specialis Legis mandato, tanquam necessaria, præcipiatur, in eo non modica est difficultas. Neque enim in jure cautum reperitur, ut duorum Ordinum, laxioris, atque strictioris, Superiores inter se convenire debeant, quoties aliquis in illo profectus, ad hunc transire velit; sed solum, ubi inter præfatos Superiores oritur controversia, an hujusmodi transitus ex laudabili causa, vel potius ex animi levitate & inconstantia suscipiatur, Ecclesiasticæ Leges, Superioris Majoris judicium requiri voluerunt: *Si vero præbabiliter dubitetur, utrum quis velit ad Ordinem arctiorem, aut laxiorem, ex charitate, an ex temeritate transire,*

PONT. Superioris est iudicium requirendum. Ita legitur in citat. Cap. licet de Regulari- ANNO  
 bus. Quod si, huiusmodi controversia pendente, Religiosus in altero illo Or- 1747  
 A.VII. dine recipiatur, atque etiam in eo Professionem emittat; tunc ex ipsius con-  
 troversia exitu decernendum erit, an ipse ad priorem reverti, an vero in postero-  
 ri remanere debeat; ut recte mohet *Abbas Panorm. in cit. C. licet, n. 15. de Regul.*  
 Hodierna vero praxis est, per quam omnes hujus generis controversia, & morarum  
 prolixitates devitantur, ut Religiosis Viris, qui a laxiori ad strictiorem Or-  
 dinem transire cupiunt, postquam voluntatis suae causas coram competentibus  
 Apostolicae Sedis Tribunalibus exposuerunt, atque probaverint, haud aegre a  
 Romano Pontifice indulgeantur opportunae facultates, in quibus derogatio su-  
 per consensu Superioris Ordinis laxioris includitur.

Quod vero jus, certis in casibus, certisque de causis, competerit Superiori  
 Ordinis laxioris, ut suum Subditum Regularem ad strictiorem Ordinem digres-  
 sum, etiam post solemnem Professionem in eo emissam, repetere & revocare  
 valeat: idem similiter, certis in casibus, iustisque exigentibus causis, Episco-  
 po competit, ut suum Clericum Sæcularem Ordini Regulari adscriptum repe-  
 tere possit. Hoc tradit clarissimus Canonum doctor *Innocentius IV. ad saepe cita-  
 tum Cap. licet. de Regular. cuius hæc sunt verba, ibi num. 3. -- Clericus po-  
 test transire ad Religionem, non petita licentia, etiamsi contradicatur; Crede-  
 mus tamen, quod posset eum repetere, si ex transitu suo primo Ecclesia gravem  
 sustineret læturam. Concordat Abbas in idem Cap. 4. ubi sic ait: Ulterius qua-  
 ritur, quid in Sæculari Clerico? Nunquid potest intrare in Religionem, non peti-  
 ta licentia ab Episcopo? Innocentius tenet quod sic: sed si Ecclesia graviter læde-  
 retur, esset revocandus. Satis itaque provivum est etiam Episcopo, qui factum  
 Clerici sui, ad Regularia Clausura, se invito, digressi, impugnare velit. Un-  
 de nec ulla nova Constitutio opus est, ut Episcopalia jura hac in parte as-  
 ferantur; neque porro, ut peculiare indicentur casus, quibus huiusmodi juris  
 exercitio locus esse possit; quum satis sit Regulam generalem tradidisse, quam  
 Iudex sequatur, quamque ad peculiare causas, pro sua prudentia, iustoque  
 arbitrio, valeat applicare.*

Hujus tamen juris, quo Episcopus Clericum Sæcularem sibi subiectum, qui  
 Regulari Instituto sine ipsius assensu nomen dedit, repetere, & ad Ecclesiae  
 servitium revocare potest, hujus, inquam, juris persecutio in casibus parti-  
 cularibus non admodum facilis esse videtur. Ponamus enim Episcopo rem esse  
 cum Clerico Beneficiato, cum Canonico, cum Archidiacono; vel ( quoniam  
 de simplici Beneficiato, aut Canonico minus fortasse laborabit ) de Archidia-  
 cono videamus. Hujus dignitates, sive Officii, veteribus quidem temporibus  
 gravissimi, nunc munus omne eo redactum est, ut Episcopo Ordinationes ge-  
 nerales celebrantem, quum ipsi commodum fuerit, assistat, promovendos ad ip-  
 sam Ordinationem evocaturus. Si vero agatur de Parochis, aliisque Animarum  
 curam gerentibus, nemo quidem negabit, ipsorum munus magni in Ecclesia  
 momenti esse; sed quum simul negari nequeat, *Prælationis munus, seu statum*, ( ut  
 inquit *Suarez de Religione tom. 3. lib. 1. cap. 12.* ubi de animarum cura lo-  
 quitur ) minus securum esse, Religionis vero esse statum majoris securitatis, in  
 ordine ad spirituales salutem, unum quisque Parochus Religiosæ vitæ cupidus,  
 hac una exceptione in iudicio se tuebitur adversus Episcopum, qui ipsum ad  
 Animarum curam revocare contendat. Sanctus Gregorius Magnus, quum olim  
 scriberet adversus Legem ab Imperatore Mauritio editam, qua interdictum erat  
 Militibus Monasticam vitam amplecti, hanc, inter alias, rationem asserbat:  
*Multi sunt, qui possunt Religiosam vitam etiam cum sæculari habitu ducere, &*  
*plerique sunt, qui nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt:*  
 ut videre est in ipsius *Epistola 65. lib. 3. Indict. 6. tom. 2. præfatæ Editio-  
 nis Parisinæ.* Nunc ergo quilibet Beneficiatus, Canonici, Archidiaconus, Pa-  
 rochus, qui officium, aut ministerium suum cum Religiosa vita commutave-  
 rit,



PONT. rit, se non inter *multos*, sed inter *plerosque* a S. Gregorio indicatos, connumerandum esse affirmabit . . . ANNO

A.VII. Si autem ipsis obijciatur; quod in seculari statu pauperibus largiter subvenire consueverat, respondebit, se non minus ex ipsis Religiosis Claustris, si bonorum suorum possessionem ad Religionem attulerit, opportunis obtentis facultatibus, pauperum indulgentiis subventurum. Sane quum in præfata Legge Mauritius Imperator inhiberet, ne debitores publici Aerarii in Monasteriis reciperentur, S. Gregorius eam partem Legis impugnans (de qua tamen deinde suam opinionem mutavit, ut observant laudati Editores, in *Notis*, *litera d.*) ita scribebat in citata Epistola: *Quod vero in eadem Legge dicitur, ut ei in Monasterium converti non liceat, omnino miratus sum; dum & rationes ejus possunt per Monasterium fieri, & agi potest, ut ab eo loco, in quo suscipitur, ejus quoque debita suscipiantur.*

Quod si obijciatur gravis ætas Presbyteri ad Religionem transeuntis, facilis & obvia erit responsio, quod multi sunt in Regularium Familiis Religiosi Viri in senili ætate constituti, qui pro modo virium suarum, laudabilem operam Religioni præstant, quorum numero ipsum, de quo est quaestio, adjungi nil vetat. Ita pariter S. Gregorius, contra propugnatores supradictæ Legis, qui dicebant, Milites ad Monasteria convolantes, bonos Monachos non evadere; affirmabat: *Ego indignus famulus vester scio, quanti his diebus meis in Monasterio Milites conversi, miracula fecerunt, signa & virtutes operati sunt.*

Denique, huic Epistolæ jam nimis prolixæ finem facturi, unum adhuc addimus; ex centum nimirum Archidiaconis non facile duos inventum iri, qui Archidiaconatum dimittere, & Religionem ingredi velint. Contra vero, in pari Regularium numero, multos sane inveniri posse, qui Regularem vitam pro Archidiaconatu adipiscendo relinquerent. Quare, quum Leges versari oporteat circa ea, quæ frequenter accidunt; profecto non tam nova Lege opus erit ad retinendos Clericos, & presbyteros Sæculares, ne Religionem ingrediantur; quam necesse esset aliquid excogitare, quo magis intra Religiosa Claustra continerentur ii, qui Regularem vitam amplexi, & professi sunt. Vix enim credibile est, quam multi a Regularibus Ordinibus migrare variis artibus quotidie moliantur. Neque solum de Apostatis loquimur, quorum numerus in dies augetur; sed, si omnes, qui nullitate Professionis suæ judicio experiri aggrediuntur, illam apud Judices probarent; si omnes, qui Dignitates extra Religionem ambiunt, voti compotes fierent; si demum facilem apud Nos aditum invenirent eorum instantiæ, qui e Claustris exire, & in habitu Presbyteri Sæcularis, sub obedientia Episcoporum, & cum obligatione servandi Vota Religiosa, quatenus conciliari possunt cum statu Clerici Sæcularis, in Sæculo manere vellent; longe utique minor eorum foret numerus, qui Religionem professi, ad mortem usque in illa perseverarent.

Dum itaque, Dilecte Fili Noster, consiliis tuis quæ tum privatis Literis, tum etiam Typis impressis, non minus docte, quam eloquenter proposuisti, obsecundandum Nobis esse non arbitratur; in eo tamen singularem existimationem, quum de Te merito fovemus, agnosces, quod Tibi causas, atque rationes, quibus ab iis sequendis retrahimur, exponere non detrectavimus his Literis Nostris: quibus etiam tibi, novum benevolentiae Nostræ pignus, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die xiv. Januarii MDCCXLVII. Pontificatus Nostræ Anno Septimo . . .

*Monialium, & admissionis Famularum in Monasteria.*

*Venerabili Fratri Josepho Mariæ Episcopo Portugaliensi.*


BENEDICTUS PP. XIV.

*Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**P**ER binas alias nostras in simili forma Brevis literas, quarum unæ quidem datæ fuerunt die 1. mensis Junii anno MDCCXVI. incipientes: *Cum Sacrarum Virginum*: alteræ vero die 11. mensis Januarii anno MDCCXLII. itidem incipientes: *Salutare in Catholica Ecclesia institutum*: ea opportuna adhibere curavimus Apostolicæ providentiæ supremæque auctoritatis nostræ remedia, quæ ad instaurandam regularem quoad clausuram Monialium observantiam, a primæva disciplina per Prædecessores nostros Romanos Pontifices, & Sacros Canones confirmata sensim dilabentem, satis esse in Domino duximus. Quoniam autem non sine gravissimo animi nostri angore accepimus novas artes, ac nova inventa, etsi antiqua sint, ac toties præscripta, sub variis exquisitisque causis, & rationibus in dies excogitari, quæ non solum per præscriptas leges prohibentur, sed quamplurimis etiam ordinationibus, & offendiculis aditum patefaciunt. Ac primum quidem eo pervenit famularum ad Monialium ministerium in Monasteria admittendarum abusus, ut indultum, quod ab Apostolica hac Sancta Sede sub tot salutaribus conditionibus concedi solet, etsi pro prima vice servatis iisdem conditionibus executioni demandetur, deinceps tamen quoties admittam famulam, aut e Monasterio egredi, aut viam universæ carnis ingredi contingat, toties, nulla indulti hujusmodi habita ratione, ad libitum Monialium, sine alia Antistitiū Ordinarium locorum, ad quos spectat, scientia & licentia, sed de Superiorum Regularium eorumdem Monasteriorum dumtaxat aliquando consensu, aliæ, atque aliæ in Monasterium inducantur famulæ, de quarum moribus, fama, vitiis, ac virtutibus nulla præcesserit legitima cognitio, unde fit, ut sub Famularum nomine ac prætextu, scemina quæcumque in Clausuras, non sine Clausuræ violatione admittantur. Illud præterea in more positum esse dolentes audivimus, ostia nimirum Monasteriorum, quæ semper clausa esse, nec nisi ad necessaria eorumdem Monasteriorum commoda recludi debent, ita assidue patefieri, ut Moniales, & quæcumque aliæ in Monasteriis degentes Virgines ita in propatulo sedentes, sive stantes, cum quibusvis utriusque sexus hominibus illuc accedentibus indiscriminatim colloqui, & jocari etiam non erubescant, ut sæpe quamlibet sceminam in quamcumque ætatem constitutam sive consanguineam, sive affinem, sive tamquam famulam cujuslibet earundem Monialium in ipsam Clausuram accersant; & quamvis ipsæ Moniales impellant, sponte tamen ingressam deinde asserant; nec Religioni ducant censuras, ac pœnas canonicas; quibus eapropter obnoxia fiunt: Nos sane, qui pro imposita Nobis divinitus suprema Apostolicæ servitutis procuracione saluberrime occurrere debemus hisce abusibus, & inordinationibus, etsi abusus, & inordinationes hujusmodi in ista Fraternalitatis Tuæ Diœcesi neque unquam irrepsisse, neque unquam irrepturos esse in Domino confidimus; Fraternalitati tamen Tuæ notum esse volumus, quod Nos non solum omnes, & singulas Constitutiones tam ab iisdem Prædecessoribus Nostri Romanis Pontificibus, quam a Nobis ipsis super clausura Monialium editas, verum etiam omnia & singula Decreta tam a Conci-

PONT. ANNO  
 A.VII. 1747  
 lio Tridentino, quam a Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum ſan-  
 ctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ſuper eadem clauſura, & admiſſione, & re-  
 ceptione Educandarum puellarum, & famularum, ſive quarumcumque fœmi-  
 narum promulgata, quatenus opus ſit, tenore præſentium auctoritate Apoſto-  
 lica confirmamus, & ſub pœnis etiam per eandem Conſtitutiones & Decreta  
 contra inobedientes inflētis, ſervari mandamus, ac præcipimus. Inſuper te-  
 nore & auctoritate paribus ſtatuiſſimus, ac declaramus, admiſſionem receptio-  
 nemque quarumcumque fœminarum ſive puellarum Educandarum, ſive famu-  
 larum in Monafteria, quacumque ex cauſa, ſine legitima authenticaque ejuſ-  
 dem Apoſtolicæ Sedis licentia toties, quoties opus fuerit, impetranda, & præ-  
 vio examine ſuper moribus, fama, habilitate, & neceſſitate ipſarum Educan-  
 darum Puellarum, vel famularum, per Antiftites locorum Ordinarios tantum-  
 modo, & non alios quoſcumque Superiores toties itidem, quoties neceſſitas  
 poſtulaverit, habendo, non obſtante quacumque conſuetudine etiam longi tem-  
 poris, fieri non debere. Quod ſi ſecus factum, ac fieri impoſterum contingat,  
 ſtatuiſſimus pariter ac declaramus, tam Moniales, & quaſcumque in Monafteriis  
 degentes, quæ fœminas quacumque in eadem Monafteria quomodocumque  
 admiferint receperintque, quam ipſas fœminas admiſſas, & receptas, canonicis  
 cenſuris, & pœnis obſtrictas eſſe, ac fore, a quibus eadem Moniales, & fœ-  
 minas huiuſmodi ejuſdem tuæ Diœceſis, ſi fortalſe hac in parte deliquiſſe con-  
 tingerit, de præterito tantum abſolvendi facultatem Fraternitati Tuæ, cum fa-  
 cultate etiam alios ſubdelegandi, tribuimus & impertimur. Cæterum Frater-  
 nitati Tuæ injungimus, ac præcipimus, ut omnium, & ſingularum ordina-  
 tionum per laudatum Concilium Tridentinum, & Apoſtolicas Conſtitutiones,  
 & diſtarum Congregationum decreta, ſuper Clauſura Monialium, & delegata  
 Antiftibus locorum Ordinariis Viſitatione tam interna, quam externa præſcri-  
 ptarum memor, eandem ordinationes ſub pœnis deſuper inflētis deditæ execu-  
 tionem mandare fatagas, & ſtudeas, nec non mandari facias, cures, & adnita-  
 ris. Interim, ad proſperi ſuceſſus auſpiciū, Tibi, Venerabilis Frater, Apo-  
 ſtolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XXIV. Januarii  
 MDCCXLVII. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.



PONT.

NUM. LIX.

ANNO

A.VII.

DE ORDINATIONIBUS

1747

*Regularium.*

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad perpetuam Rei Memoriam.*

**I**MPOSITI Nobis licet immerentibus Apoſtolicæ Miniſterii ratio poſtulat,  
 ut ad tuendum Eccleſiaſticæ diſciplinæ vigorem, non modo novas interdum  
 leges provide conſtituamus, verum etiam veteres a Prædeceſſoribus  
 Noſtris ſapienter ſtatutas, ſiquidem fallacium rationum præſidio debitis frau-  
 dentur effectibus, novis & inviolabilibus ſanctionibus communiemus: ſi yero  
 earum claritas pravis, & captioſis interpretationibus involvi: & obumbrari  
 dignoſcatur, eaſdem perſpicuis apertisque declarationibus in propria luce  
 colloceſmus.

Sane

PONT. Sane quæ olim de Ordinationibus Regularium controversia viguit, an scilicet Regulares a quocumque Catholico Antistite indistincte ordinari posset, an vero id juris private pertineret ad Episcopum illius Diœcesis, intra quam sita est Religiosa Domus, quam Regularis ad Ordines promovendus inhabitat, providis Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus, & declarationibus jamdudum sublata fuit. In qua quidem controversia Episcopi Locorum Ordinarii jura sua fundantes in generalibus Canonum statutis, & in ipsis exemptionum privilegiis, quæ Regularibus indulta sunt, agebant, ipsorum Ordinationes, utpote Diœcesanis Episcopis expresse reservatas, neque spectare posse ad Ordinarios eorum Originis, quam Regulares a se abdicant, dum sæculo nuntium remittunt; neque porro ad Ordinarios Beneficii, quoniam ipsi ad titulum Beneficii non promoventur; proindeque unice spectare ad Episcopos Ordinarios eorum Domicilii, nimirum illius Diœcesis, ac Loci, in quo ipsi Ordinandi commorantur. Contra vero Regulares Apostolicis privilegiis innixi, quæ certis Ordinibus recentius elargita, ac deinceps per viam communicationis ad omnes extensa fuerant, licitum sibi esse contendebant Sacros Ordines a quocumque Catholico Antistite, juxta eorum privilegiorum tenorem, pro arbitrio suscipere.

Verum quum felicitis recordationis Prædecessor Noster Gregorius Papa XIII. per suam Apostolicam Constitutionem, quæ incipit -- *In tanta rerum* -- datam apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MDLXXIII. Kalendis Martii justis, gravibusque de causis, alteram Constitutionem sui nominis pariter Prædecessoris S. Pii Papæ V. cujus initium est -- *Et si Mendicanitum*, -- ad juris communis, & Sacri Concilii Tridentini terminos restitisset; eodem quoque anno in Causa Monachorum Ordinis Carthusiani Decretum edidit, quo ipsos ab Episcopis Diœcesum, in quibus eorum Monasteria respective sita sunt, vel nonnulli de istorum licentia, ab aliis quibusque Episcopis ordinandos esse declaravit; quemadmodum legitur *lib. 1. Decretorum Concilii pag. 75. a terg. Dub. An Nostri Ordinandi obligentur habere expressam licentiam Ordinarii, in cujus Diœcesi sunt, pro Ordinibus conferendis ab Episcopo alterius Diœcesis* -- Sanctissimus Dominus Noster, etiam ex sententia Sacræ Congregationis Concilii, declaravit, obligari.

Contigit autem, sub illius Successore Sixto Papa V. eandem quæstionem retractari, instante universo Ordine Fratrum Prædicatorum. Qua de re idem Prædecessor, post maturum Causæ totius examen in præfata Congregatione Concilii habitum, constituit, licere Superioribus Regularibus Literas Dimissoriales concedere suis respective subditis ad Ordines suscipiendos; sed eas tamen Diœcesano dumtaxat Episcopo directas, nec alteri unquam, nisi quum forte is a Diœcesi abfuerit, aut, quatenus in Diœcesi extiterit, Clericorum tamen ordinationem non sit habiturus. Ita relatam habetur *lib. 4. prædictorum Decretorum pag. 108.* -- Sanctissimus Dominus Noster Sixtus V. ex sententia Congregationis, respondit, Regulares posse concedere Dimissorias ad Episcopum Diœcesanum, eoque absente, vel etiam præsentem, & ordinationem non tenentem, ad quemcumque dummodo ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quo ad Doctrinam.

Demum a Sanctæ memoriæ Prædecessore quoque Nostro Clemente Papa VIII. ad hujusmodi controversias perpetuo extinguendas, sequens Decretum editum fuit. -- De mandato Sanctissimi Domini Nostri Clementis Divinæ Providentiæ Papæ singulis quorumcumque Regularium Superioribus, ut de cætero observent, & observari faciant ea, quæ in decreto Sacræ Congregationis Concilii Tridentini continentur, cujus tenor est talis -- Congregatio Concilii censuit, Superiores Regulares posse subdito itidem Regulari, qui prædiis suis requisitis Ordines suscipere voluerit, literas dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Diœcesanum, nempe illius Monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, Regularis positus fuerit, & si Diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus Ordinationem.

PONT. nationes, ad quemcumque alium Episcopum; dum tamen ab eo Episcopo, qui Or-  
 dines contulerit, examinetur quoad Doctrinam, & dum ipsi Regulares non distu-  
 lerint de industria concessionem dimissoriarum in tempus, quo Episcopus Diocesanus,  
 A.VII. vel abfuturus, vel nullas esset habiturus ordinationes. Verum, cum a Superioribus  
 Regularibus, Episcopo Diocesano absente, vel ordinationes non habente, Literæ  
 Dimissoriæ dabantur, in eis utique hujusmodi causam absentiae Diocesani Episco-  
 pi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse. Quod qui non  
 fecerint, officii, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ, & passivæ  
 privationis, ac alias arbitrio ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ reservatas  
 poenas incurrant. In quorum fidem &c. Datum Romæ die 15. Mensis Martii 1596.

1747

Hoc emanato Pontificio Decreto, eoque tam claris verbis concepto, jure  
 sperandum videbatur hujus generis lites non amplius auditum iri; sed contra  
 accidit, dum ex una parte nonnulli Episcopi ultra montes constituti contende-  
 re cœperunt, necessarias esse Regularibus Dimissorias etiam Ordinariorum eo-  
 rum Originis, quo possent ab Episcopis aliorum locorum ad Sacros Ordines  
 promoveri; ex altera vero Regulares, obtendentes, in præfato Clementis  
 VIII. Decreto derogatum non fuisse Apostolicis, quæ eorum Ordinibus, sive  
 directe, sive per communicationem indulta fuerant, ut scilicet a quocumque  
 Catholico Antistite ordinari possent, hujusmodi decreti vim, & observantiam  
 declinare se posse putarunt.

Verum, quod attinet ad Episcopos, ipsa Congregatio Concilii die 28. Fe-  
 bruarii anni MDCLIV. ut notatum reperitur *Lib. XIX.* ipsius Decretorum p.  
 316. ita rescripsit. Regulares volentes se promovere ad Ordines, non teneri  
 ostendere Dimissorias Ordinariorum propriæ Originis, sed sufficere, ut obser-  
 vent formam præscriptam in Decreto san. mem. Clementis VIII. Quod etiam  
 amplissimæ confirmatum fuit in alio Decreto edito die 17. Martii anno MD-  
 CLXXIV. Decretorum *lib. XXVIII.* pag. 261. & sequentibus.

Quod vero spectat ad Regulares; quum eorum præsumptum jus, una cum  
 rationibus ab ipsis plenissime deductis, in quadam Congregatione particulari  
 nonnullorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium a felicis recordationis Præ-  
 decessore Nostro Innocentio Papa XIII. deputata, cui Nos in minutibus tunc  
 existentes nostram qualemcumque operam, pro demando Nobis Secretarii  
 munere, contulimus, diligenter expensum, & examinatum fuisset; cumque  
 ad hujusmodi quæstione in definiendam, id potissimum visum esset in jure sta-  
 tuendum, an ad effectum eximendi Regulares a præfati decreti Clementini ob-  
 servantia, sufficeret, quod privilegia suscipiendi Ordines a quocumque ipsis  
 concessa fuissent post Concilium Tridentinum, a quo hujusmodi antiqua Privi-  
 legia abrogata fuisse satis constat; an vero oporteret eadem concessa fuisse  
 post ipsum Clementis Prædecessoris Decretum: Ac præterea an hujusmodi Pri-  
 vilegia æque suffragarentur iis, ad quos per viam communicationis extensa di-  
 cerentur, ac iis, quibus directe, & expresse indulta fuerunt; Idem Innocen-  
 tius Prædecessor, audito præfate Congregationis particularis concilio, decre-  
 vit, satis esse, ad supradictum effectum, quod hujusmodi privilegia, post Con-  
 cilium Tridentinum concessa fuerint, quavis præfato Clementino Decreto  
 posteriora non sint; dummodo tamen directe concessa fuisse constet, non vero  
 in communicatione Privilegorum de uno in alium Ordinem derivata asseran-  
 tur; quemadmodum ipse Innocentius in suis Apostolicis literis incipientibus  
 -- *Apostolici Ministerii*, die 30. Maji anni MDCCXXIII. datis, ac deinde con-  
 firmatis a Sanctæ Memoræ Prædecessore pariter Nostro Benedicto Papa XIII.  
 per alias similes Literas datas die 23. Septembris anni MDCCXXIV. quarum  
 initium est *In Supremo* -- aperte declaravit, his verbis -- Quoties ergo Regu-  
 lares ad ordines erunt promovendi servetur omnino Decretum Congregationis  
 Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum a piæ memoriæ Clemente VIII.  
 Prædecessore etiam Nostro confirmatum die 15. Martii 1596. quo sancitur, ad  
 Episco-

PONT. Episcopum Diocesenum Literas dimissorias pro eorumdem Ordinum susceptio- ANNO  
 ne a suis Superioribus esse dirigendas, præterquam in casu, quo Diocesanus  
 A.VII. a Diocesi abesset, vel Ordinationes non esset habiturus, quo etiam in casu in 1747  
 Literis Dimissoriis ad alium Episcopum dirigendis expressa fieri debeat mentio,  
 vel de prædicta Episcopi Diocesani absentia, vel de illa alia causa, videlicet  
 quod ordinationes non sit habiturus; exceptis tamen, quoad prædicta, Regu-  
 laribus illis quibus per speciale Privilegium a Sede Apostolica post Concilium  
 Tridentinum fuerit concessum, ut a quolibet Catholico Antislite Ordines susci-  
 pere possint, super quo indulto nihil per præsentis innovare intendimus.

Porro si aliqui vigilias laboreque suos, non tamen in extricandis inutilibus  
 quæstionibus, vel forte in rebus profanis, & ab Ecclesiastica professione ali-  
 enis addiscendis consumerent, quam in studio sacrarum Legum, quibus Eccle-  
 siastica Disciplina continetur, utiliter collocarent; ac nisi aliquibus arbitrium  
 pro lege, præjudicata opinio pro ratione, atque in legum etiam clarissima-  
 rum interpretatione, suis cuique sensus pro auctoritate esset; nec olim Nobis  
 in nostro Bononiensi Archiepiscopatu residentibus contigisset, ut Regularis  
 quidam ex ea Urbe repente digressus, sui que Superioris Dimissorias ad Epi-  
 scopum finitimum deferens, tamen nullo pacto docere posset, Nos Clerico-  
 rum Ordinationem non habituros, Sacrum Presbyteratus Ordinem susciperet,  
 nulla que interjecta mora Bononiam ad primum Sacrificium non sine pompa  
 offerendum reverteretur. Quam tamen intolerandam audaciam Nos ad Cano-  
 nicarum sanctionum rigorem exigere, atque etiam, servata Pastoralis mansue-  
 tudine, vindicare non prætermisimus; ut videre est in monito Pastoralis a  
 Nobis tunc edito, *inter impress. Monit. 3. lib. 11.* Neque rursus, ex quo ad  
 universalis Ecclesie regimen, Deo sic disponente, assumpti fuimus, plurium  
 Episcoporum Fratrum Nostrorum delatæ fuissent, qui nimirum, non sine ma-  
 gno animi nostri dolore, apud Nos exposulare non desinunt a pluribus sæpe  
 Regularibus in eorum Diocesis respectu commorantibus similia perpetrari,  
 in ipretum Ecclesiasticarum legum, atque pœnaliū sanctionum, quibus ipso  
 facto adstringuntur; siquidem in authographo supra relati Clementini Decreti  
 distincte legitur -- *incurrant* --; non autem quod falso non asseruit -- *in-*  
*current* --), dum scilicet Superiores Regulares, qui subditis suis non ad præ-  
 scriptum ejusdem Decreti Dimissorias literas concedunt, suorum officiorum,  
 ac Dignitatum, & vocis activæ, atque passivæ amissione multantur; Ordi-  
 nati vero, suspensionis pœna, atque etiam, si in suscepto Ordine ministrave-  
 rit, Irregularitatem incurrunt; ac denique Antislites, qui ipsis manus impo-  
 nunt non facile effugiunt Canonicas pœnas adversus eos propolitas, qui alie-  
 nos subditos absque sufficientibus Dimissoriis ordinare præsumunt. Qui etiam  
 plerumque culpa non vacant in eo, quod, quum ex usu rerum intelligere  
 possint, complures Regulares non alia de causa proprio domicilio relicto, iter  
 arripere, quam ut se subducant examini Episcopi Diocesani, cujus hac in re  
 jurisdictionem, aut nimium rigorem perhorrescunt, aliumque inveniant, qui  
 vel nullo, vel admodum levi præmissis examine, Ordines ipsis impertiatur;  
 quoties hujusmodi facilitate erga illos utuntur, toties adversus consultissima  
 Tridentinæ Synodi decreta delinquant. Ea siquidem *sess. 23. cap. 12. de reform.*  
 sic statuit -- *Regulares quoque, nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi*  
*examine ordinentur, privilegii quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.*

Nos autem consueta Sedis Apostolicæ clementia uti volentes, libenter absti-  
 nemus a designandis, aut nominandis hoc loco Regularibus, de quorum ex-  
 cessibus in hoc rerum genere graves Episcoporum querimoniæ ad Nos delatæ  
 fuerunt. Quæcumque etiam hac in re inordinate ad hunc diem admissa sunt,  
 a districtioris iudicii inquisitione liberamus; quin immo omnes, & singulos in  
 hoc delinquentes, sive superiores Regulares, sive Regulares ad Ordines pro-  
 motos, sive Antislites, qui eos ordinaverint, a quibuscumque sententiis,

PONT. censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas hac de causa respective antehac incur-  
 rerint, quibusque innodati forsan existant, auctoritatis nostræ plenitudine,  
 A.VII. ac de Apostolica benignitate, tenore præsentium absolvimus, & absolutos ef-  
 se censi decernimus, & cum iidem super quacumque irregularitate per eos  
 forsan, causa, & occasione præmissis, quomodolibet contracta, ad omnes etiam  
 sacros, & Presbyteratus Ordines, eorumque exercitium, atque ad omnia, &  
 singula eorum respective Religionum munera, pari auctoritatis plenitudine  
 dispensamus. De cætero tamen infrascriptas leges in posterum omnino obser-  
 vandas, Motu proprio, & ex certa scientia Nostra, ac matura deliberatione  
 præmissa edicimus atque statuimus.

Quæcumque nimirum hæc in re a præfatis Prædecessoribus Nostris Grego-  
 rio XIII. Sixto V. Clemente VIII. & Innocentio XIII. in supracitatis ipto-  
 ram Literis seu Decretis, statuta, mandata, definita, atque sancita fuerunt,  
 ea omnia, & singula, motu, scientia, & potestatis plenitudine præfatis, ea-  
 rundem præsentium serie confirmamus, roboramus, & innovamus; atque ab  
 omnibus ad quos spectat, seu quandocumque in futurum spectabit inviolabili-  
 ter observari præcipimus, & jubemus. Transgressores quoque omnibus pœ-  
 nis in præmissis contentis alitque per Apostolicas Constitutiones, & per sa-  
 cres Canones latis atque statutis, cum effectu subjacere, easque ipso facto, &  
 absque aliqua declaratione incurrere decernimus, Superiores nimirum Regula-  
 res eas omnes, quas, ut præfertur, supradictus Clemens VIII. Prædecessor  
 constituit, & sanxivit; Regulares autem, qui contra illius Decreti præscri-  
 ptum promoti fuerint, & Antistites eos promoventes, Canonicis pœnas, at-  
 que Censuras, quæ adversus Sacram Ordinationem suscipientes ab Episcopo,  
 qui proprius ad hunc effectum dici, & haberi nequit, nec non adversus Epi-  
 scopos, alienos subditos indebite Ordinantes in jure canonico, & in Constitu-  
 tionibus Apostolicis statutæ habentur.

Præterea volumus, atque decernimus, ut Superiorum Regularium Dimisso-  
 riæ, quæ ideo ad alium Antistitem directæ fuerint, propterea quod Episcopus  
 Diœcesanus extra Diœcesim commoretur, vel Ordinationem non sit habiturus,  
 nullius sint roboris, & momenti, nisi illis juncta fuerit authentica attestatio  
 Vicarii Generalis, vel Cancellarii, aut Secretarii ejusdem Episcopi Diœcesani,  
 ex qua constet, vel ipsum a Diœcesi abesse, vel Clericorum Ordinationem ha-  
 biturum non esse proximo legitimo tempore per Ecclesiasticas Leges ad hunc  
 effectum statuto. Hoc enim expresse declarari opus est, ad excludendam non-  
 nullorum arrogantiam, qui quum Privilegio gaudeant suscipiendi Ordines ex-  
 tra tempora, existimarunt Episcopos ipsorum voluntati adeo addictos esse de-  
 bere, ut si, quandocumque ipsis placuisset ad Ordines promoveri, non sta-  
 tim, ipsoque die ab ipsis designato, voti compotes fierent, jam dici posset,  
 Ordinationem ab Episcopo non haberi, proindeque alius Episcopus pro susci-  
 piendis Ordinibus adeundus esset. Quod si aliquis Antistes Regularem virum,  
 in sua Diœcesi proprium Domicilium non habentem, solis ipsius Superioris  
 dimissorialibus Literis contentus, sine adjuncta præfata attestazione in forma  
 probanti, ad Ordines promovere præsumperit, decernimus, & declaramus hunc  
 ipso facto incurrere in pœnas Canonicas adversus eos constitutas, qui alie-  
 num subditum legitimis Dimissoriis destitutum ordinaverint.

Quemadmodum vero eorum Ordinum Regularium Privilegia firma, & rata  
 esse volumus, quibus ab Apostolica Sede reperitur indultum, ut eorum Alu-  
 mni a quolibet Catholico Antistite ipsius Sedis gratiam, & communionem ha-  
 bentes ordinari valeant; dummodo hujusmodi privilegia post Trid. Conc. &  
 ipsis Ordinibus nominatim atque directe, non autem per communicationem  
 concessa fuerint; ita porro omnia similia Privilegia, quæ aliis Ordinibus ante  
 præfatum Concilium Tridentinum, ab ipsa etiam Apostolica Sede, & sub  
 quibuscumque tenoribus, & formis inculta sint, vel etiam post ipsum Conci-  
 lium

PONT. lium non ipsis directe concessa, sed per communicationem ad eos extensa esse ANNO dicantur, eisdem auctoritate, & tenore, nulla, & irrita, omnique vigore, ac robore, ad effectum, de quo agitur, penitus destituta, & vacua esse volumus, & statuimus. Decernentes, hujusmodi privilegia nequaquam post Conc. Trid. indulta censeri, nisi, vel post ipsius Concilii confirmationem recipia fuerint concessa, vel quatenus antea concessa, & posterius confirmata esse asserantur, hujusmodi confirmationes *in forma specifica* cum literalis veteris indulti insertione, ejusque expressa innovatione, factæ dignoscantur; ac declarantes, alterius generis confirmationes, quæ *in forma communi* nuncupantur, nemini ad præmissum effectum ullo pacto suffragari. Quod vero spectat ad eorundem Privilegiorum usum, & exercitium, monendi sunt ii, quibus eadem, juxta præmissa, pleno jure competere dignoscuntur, ut non sine justa causa, nec extra debitas circumstantias, pro libito ipsis utantur; minime vero ad ostendendam dumtaxat ipsorum privilegiorum singularitatem; quemadmodum aliis quibus in more positum esse novimus; qui pridie illius diei, quo ab Episcopo Diocæsano Clericorum ordinationes publicæ habendæ sunt, ad alterius Episcopi Diocæsani consulto migrant, moxque suscepto ibidem ordinationis munere, ad pristinum domicilium redeant; idque se facere ajunt, ut jurium suorum indemnitati consulant; quasi vero Apostolica Privilegia, nonnisi cum aperto Episcopi Diocæsani contemptu, suam vim, & robur habitura forent.

Denique tam Ven. Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, quam dilectos Filios omnium Regularium Ordinum Professores, quam maximo possumus Apostolicæ voluntatis studio, per misericordiam Dei Nostri, & per Charitatem Sancti Spiritu, hortamur in Domino, & obtestamur, ut tam in hoc negotio, quam in cæteris omnibus solliciti sint unitatem Spiritus, & sinceræ dilectionis concordiam servare. Meminerint Regulares, quo loco Spiritus Sanctus posuerit Episcopos regere Ecclesiam Dei; quod ipsis a Sacrosancta OEcumenica Lateranensi Synodo sub Leone X. habita, inculcatum fuit, per hæc verba -- *Eisdem insuper fratres in virtute Sanctæ obedientiæ monemus, ut eisdem Episcopos loco Sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita, & nostra ac Apostolicæ Sedi reverentia, congruo honore, & congruente observatione venerentur* -- . Neque obliviscantur Episcopi, Regulares viros ipsis datos esse adjuvatores in Dominicæ vineæ cultura; subdit enim eadem Sancta Synodus -- *Ipsos quoque Episcopos hortamur, ac per viscera misericordiæ Dei nostri requirimus, ut Fratres ipsos affectu benevolente prosequentes charitative tractent, ac benigne foveant &c. & tamquam in agro Dominico cooperantes, eorumque laborum participes, prompta benignitate recipiant* -- Demum, & Episcopi, & Regulares simul animum advertant ad id, quod ibidem subjicitur -- *Una est Regularium, & Secularium, Prælatorum, & subditorum, exemptorum, & non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur eorumque omnium unus Dominus, una Fides, & propterea decet eos, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam esse voluntatis.*

Hæc profecto Christianæ veritatis, & charitatis documenta quum utrimque servata fuerint, omnibus in rebus, adeoque in hac etiam ordinationum materia, importunæ partium querelæ penitus conticescent. Neque enim Regulares conqueri poterunt, quod, recusantibus Episcopis sacram Ordinationem administrare, præterquam in Temporibus ab Ecclesia statutis, eorum Privilegia de Ordinibus extra tempora suscipiendis effectum vacua remaneant; Episcopi enim alios etiam opportunos dies ordinandis Regularibus facile inveniunt. Episcoporum autem cessabunt querelæ, quod superiores Regulares, ad eludendam Decreti Clementini observantiam, advenientibus Ordinationum temporibus, subditos suos domicilio moveant, eosdemque statim susceptos Ordines, falsis de causis ad pristinum monasterium reverti jubeant; siquidem Regulares hujusmodi agendi rationem (quam & alias in foro externo graviter vindicaram fuisse, & in posterum disRICTE coercendam fore noverint), tum a probi viri honestate,



PONT. te, & fide alienam, tum etiam debitæ erga Sacros Ecclesiarum Antistites ob- ANNO  
servantiæ contrariam esse, ipsi per se facile cognoscent.

A.VII. Præsentibus vero Nostriſ Literas, & in eis statuta quæcumque, etiam ex eo, 1747  
quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo, jus, vel interesse habentes, seu  
habere quomodolibet prætendentes, cujuscumque status, gradus, ordinis, præemi-  
nentia, vel dignitatis existant, sive alias specifica, & individua mentione, &  
expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque  
causæ, propter quas eadem præsentibus emanaverint, adductæ, verificatæ, vel  
sufficienter, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam  
quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, et-  
iam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel ob-  
reptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium  
consensu, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & substan-  
tiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam revoca-  
ri, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitu-  
tionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium  
interitari, vel impetrari, aut etiam motu pari, & de Apostolicæ potestatis  
plenitudine sibi concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud  
uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentibus semper firmas, vali-  
das, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sorti-  
turi, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque  
spectabit inviolabiliter, & inconcutie observari.

Sicque, & non aliter in præmissis censerent, atque ita per quoscumque Judi-  
ces Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac  
S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis predictæ Nun-  
tios, aliove quoslibet quacumque præeminentia, ac potestate fungentes, &  
functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, & interpretandi fa-  
cultate, iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a  
quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostri, & Cancellariæ Apostolicæ Re-  
gula, de jure quæſito non tollendo aliisque Apostolicis, ac in Universalibus,  
Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Con-  
stitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confir-  
matione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetu-  
dinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & indul-  
tis, etiam in corpore juris clausis, aut literis Apostolicis quibusvis personis,  
Collegiis, Locis, Ordinibus etiam Militaribus, Congregationibus, Societati-  
bus, & institutis, aliisque quibuslibet specifica, & individua mentione dignis  
etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibusvis  
etiam clausulis, & decretis, etiam derogatoriis derogatoriis, & irritanti-  
bus in genere, vel in specie, etiam motu simili, & de Apostolicæ potestatis  
plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præ-  
missorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus  
omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eo-  
rumque tenoribus specialis, specifica, & individua mentio, seu quævis alia  
expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasio-  
nes præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & exactissime servatis,  
& specincatis respective habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac  
vice dumtaxat, ad præmissorum effectum plenissime, & amplissime motu pari  
derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus insuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eadem præ-  
sentibus, & in eis contenta quæcumque ad omnium noticiam facilius deducan-  
tur, nec quisquam de eis ignorantiam prætere valescat, ipsas præsentibus, seu  
earum transumptas ad valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano & Basilicæ Prin-  
cipis.

PONT. cipis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curixque Ge- ANNO  
 A.VII. ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, & affigi: sicque publicatas, 1747  
 & affixas omnes & singulos, ad quos spectat, seu spectabit in futurum perinde  
 de afficere, & arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notifi-  
 catæ fuissent.

Utque earundem præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc nostrarum Confirmationis, Approbationis, Innovationis, Voluntatis, Mandati, Statuti, Decreti, & Declarationis infringere, vel ei ausu temerario contrahere. Si quis autem hoc attentare præsumperint, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVII. tertio Kalendas Martii Pontificatus Nostri Anno VII.

D. Card. Passioneus..

J. Datarus.

V I S A D E C U R I A

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✝ Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicata die 4. Martii 1747.*

PONT.

N U M . L X .

ANNO

A.VII.

D E B A P T I S M O J U D Æ O R U M

1747

*Sive Infantium, sive Adultorum.*

*Venerabili Fratri, Archiepiscopo Tarsen. Vicegerenti.*

B E N E D I C T U S P P . X I V .

*Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**P**OSTREMO mense superioris anni cum de more ad Nos accessisses, retulisses- que Antonium quemdam Vivianum in Hebræorum vico domum Perlæ Misani Hebrææ ingressum esse, ibique cum tres ejus filias, quibuscundamtaxat aderat, earum frater, annos natos duodecim, invenisset, eam, quæ nonum annum agebat, baptismate abluisset, Sacramenti verbis rite eodem tempore pronuntiatis, quo caput aqua lustravit, idemque deinceps cum reliquis duabus sororibus primæ adhuc ætatulæ peregisse, marem autem non baptizasse, quod aquam sibi deesse viderit. Tunc Nobis quoque significavisti, quid ad multandum Viviani audaciam statueras, quidque de puellis Sacro baptismate initiatis statuere in animo habebas: id porro a Nobis omnino probatum fuit.

2. Sed

PONT. 2. Sed quoniam facta hujusmodi frequenter Romæ, & alibi audiuntur; quo- ANNO  
 tiescumque vero id accidit, multæ hinc statim opiniones, maximeque diversæ;  
 A.VII. perinde quasi tunc id primo evenerit, excitantur, quod sane inde oritur, quia 1747  
 bene multi temere obloquuntur, cum hac de re scriptos neque expenderint li-  
 bros, neque noverint; alii vero, qui Scriptores legerunt, cum eisdem non se-  
 mel videant sibi invicem adversantes, non satis ingenii, & facultatis habent  
 aut nunquam Tribunalium judicata cognoverunt, aut eorum certe non remi-  
 niscuntur; Ideo operæ pretium existimavimus epistolam hanc scribere, eam-  
 demque typis impressam in lucem edere, quæ si tibi usui non erit, quia pro-  
 be jam nosti omnia, quæ hic continentur, non parum opinor iis fortasse pro-  
 derit, qui in eodem Vicegerentis munere tibi succedent, vel aliis extra Ro-  
 mam degentibus, ad quos pertinet, quemadmodum ad Vicegerentem Romæ  
 spectat, hujusmodi casibus providere, aut non omnino diversis, aut huic pla-  
 ne similibus, qui novissime in Urbe accidit, quique, ut vulgo dicitur, *dat*  
*causam Edicto.*

3. Atque ut omnis, quoad fieri potest, confusio evitetur, materiam duximus  
 in duas partes distribuendam: In prima enim de Hebræorum Infantium: In  
 secunda de Adulorum baptisinate differimus. Prima autem pars multifariam  
 dividitur. Primo enim expendetur, utrum invitis parentibus, ac reluctantibus,  
 Hebræi infantes baptizari licite possint: Secundo, si hoc nefas esse dixerimus,  
 an casus unquam contingat aliquis, in quo id fieri non modo possit, sed et-  
 iam liceat, planeque deceat: Tertio, baptismum Hebræis infantibus tunc im-  
 peritum, cum fas non sit, ratum ne an vero irritum haberi debeat: Quarto,  
 quid sit faciendum, quum Infantes Hebræi afferuntur, ut baptizentur, aut  
 compertum si eos jam fuisse Sacro Baptisinate initiatos; deum quomodo pro-  
 bari possit, eosdem aquis salutaribus jam lustratos fuisse.

4. De primo primæ partis capite si sermo sit, utrum nempe dissentientibus  
 Parentibus Hebræi infantes Baptizari possint, aperte asserimus, hoc jam a  
 Sancto Thoma tribus in locis definitum fuisse, nempe in *quodlibet. 2. art. 7.*  
*in 2. 2. quest. 10. art. 12.* ubi ad examen revocans quæstionem in quodlibetis  
 propositam: *Utrum pueri Judæorum, & aliorum Infidelium sint invitis Paren-*  
*tibus baptizandi*, ita respondet: *Respondeo dicendum, quod maximam habet au-*  
*thoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulumda &c.* Hoc au-  
 tem Ecclesiæ usus nunquam habuit, quod Judæorum Filii invitis Parentibus ba-  
 ptizarentur, quamvis fuerint retroactis temporibus multi Catholicæ Principes poten-  
 tissimi, ut Constantinus, Theodosius, quibus familiares fuerunt Sanctissimi Episcopi,  
 ut Silvester Constantino, & Ambrosius Theodosio, qui nullo modo prætermisissent  
 ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi: & ideo periculosum videtur hanc  
 assertionem de novo inducere, ut, præter consuetudinem hactenus in Ecclesia ob-  
 servatam, Judæorum filii, invitis Parentibus baptizarentur. Transitum deinde fa-  
 cit Doctor Angelicus ad exponendas rationes, atque ita ait in 3. part. *quest.*  
*68. art. 10. Respondeo dicendum quod pueri Infidelium filii aut habent usum ra-*  
*tionis, aut non habent &c.* Si nondum habent usum liberi arbitrii, secundum jus  
 naturale sunt sub cura parentum, quandiu ipsi sibi providere non possunt: unde  
 etiam & de pueris antiquorum dicitur, quod salvabantur in fide parentum; &  
 ideo contra justitiam naturalem esse, si tales pueri invitis parentibus baptizaren-  
 tur, sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus. Eset etiam  
 periculosum ratiæ filios Infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem re-  
 dident, propter naturalem affectum ad Parentes; & ideo non habet hoc Ecclesiæ  
 consuetudo, quod filii Infidelium invitis Parentibus baptizentur.

5. Scetus in quarto sententiarum dist. 4. *quest. 9. n. 3.* & in quæstionibus  
 relatis ad *quest. 2.* censuit laudabiliter posse Principem imperare, ut invitis  
 etiam Parentibus, Hebræorum, atque Infidelium infantuli baptizentur, dum-  
 modo

PONT. modo id potissimum prudenter caveatur, ne iidem Infantes a Parentibus occi- ANNO  
dantur. Habet sectatores hæc sententia suos non solum in Scholis, verum et-  
iam apud Auctores recentiores in læcularibus negotiis aprime versatos, quos 1747  
A.VII. inter recensendus est *Loaysa in notis ad Concilium decimum septimum Toletanum*  
*pag. 761. tom. 2. collect. Concil. Hispan. clar. mem. Cardin. Aguirre.* Præva-  
luit tamen in Tribunalibus S. Thomæ sententia, ut testatur Cardinalis Albizi  
*de incostantia in Fide cap. 11. n. 34.* atque inter Theologos, Canonumque pe-  
ritos vulgatio est, quorum nomina recensentur a Cardinali Santorio in Ri-  
tualis Sacramentorum, ut videre licet *pag. 209. & seq.* in quo Rituali com-  
plures viri doctrina illustres multum laboris, atque operæ insumperunt, quos  
inter Cardinales Bellarminus.

6. Ut colligi potest ex nuper allatis S. Thomæ verbis, sententiæ ipse suæ  
præcipuum statuit in Ecclesiæ consuetudinæ fundamentum: quod si, ad gravissi-  
mi hujus argumenti vim labefactandam, Matathiæ, aliorumque exemplum  
proponeretur, qui nimirum, ut legitur *in lib. 1. Machabæorum cap. 2. Circum-*  
*ciderunt pueros incircumcisos, quotquot invenerunt in finibus Israel;* quod quidem  
invitis eorum Parentibus evenit: Respondet Lyranus, solos Hebræorum filios  
circumcisos fuisse, cujus sententiam sequutus est Verhost *de lib. Machabæorum*  
*pag. 88.* Concedit Sotus in Hebræorum filios hoc gestum esse, sed ulterius pro-  
cedens addit, quod si hoc pariter in Ethnicorum liberos factum esset, Mata-  
thias erravisset; Scriptoris hæc sunt verba *in 4. sent. dist. 5. quæst. unic. art.*  
*10. §. Quod si historiam: Respondetur, eos, qui Judæis Parentibus erant prognati,*  
*jure poterat vi circumcidere; si quos autem inter eos circumcidit Gentilium,*  
*fecit zelo fidei, sed tam. n. non secundum scientiam.* At enimvero cum in Di-  
vinis Literis nulla occurrat distinctio inter Hebræorum, & Infidelium filios,  
illa sane responsio videtur certior, ac probabilior, Matathiam nempe, quot-  
quot invenit pueros, circumcidisse; cumque idem vir esset virtute egregius, &  
sanctitate clarus, id jure gestibile optimo, cum illi infantes lege belli captivi  
essent sui, quos propterea merito quidem, vel invitis Parentibus circumcidi  
jussit, quemadmodum multa cum laude Christiani solent Turcarum filios in  
hælo captos sacrosancto Baptismate initiare: Sapienter ita differit Suarez *in 3.*  
*part. S. Thomæ tom. 3. quæst. 68. art. 10. disp. 25. sess. 4. §. Secundo est cer-*  
*tum.* Cornelius a Lapide *lib. 1. Machab. cap. 2. vers. 46.*

7. Hoc igitur posito, quod nefas sit Hebræorum infantes, reluctantem paren-  
tum arbitrio baptizare, nunc juxta ordinem initio propositum descendere jam  
oportet ad alteram partem; an videlicet contingere unquam possit occasio aliqua,  
in qua id liceat & conveniat. Ex his quidem casibus unum modo expo-  
suitimus, cum Matathiæ exemplum consideravimus. Sed quum ejusmodi even-  
tus nostris hæc temporibus contingere nusquam possint, cum neque Hebræo-  
rum quisquam contra Christianos stipendia mereatur, neque talis eorum con-  
ditio sit, ut bellum indicere Christianis valeant, rem fore opportuniorē du-  
cimur, si sermo hic noster de frequentibus tantum casibus habeatur, in iisdem-  
que si prudens, si certa methodus proponatur, cujus etiam hoc loco addatur  
non inutilis aliqua declaratio.

8. Duo, ut plurimum casus evenire solent, cum Christianorum aliquis He-  
bræorum infantes invenit in extremo mortis discrimine constitutos, alter au-  
tem, quum iidem infantuli crudeliter a parentibus projecti, destituitque inve-  
niantur. Cum id eveniat, ut ab aliquo Christiano Hebræorum puer morti  
proximus reperiatur, rem opinor laudabilem, Deoque gratiam is certe efficiet,  
qui salutem puero aqua lustrali præbeat immortalem. Inter cætera Congre-  
gationis Sancti Officii decreta unum extat latum postridie Kalend. Novembris  
an. 1678. cujus verba hæc sunt: *Cum filius Hebræorum consignatus fuisset Nu-*  
*trici Christianæ in deficientia Nutricum Hebræarum, dum esset proximus morti,*  
*fuit baptizatus, & Sacra Congregatio declaravit, prædictum puerum fuisse licite*  
bapti-

PONT. baptizatum. Cum quo convenit alterum emanatum die 18. Februarii an. 1705. ANNO  
 quæstioni respondens fel. mem. Præsuli Caroli Maigrot; illud autem est hu-  
 A.VII. jusmodi: *An filii infantes Infidelium possint baptizari invito Parentibus: Emi-* 1747  
*nentissimi, audito voto DD. Consultorum, dixerunt, non licere, nisi in articulo*  
*mortis. Gobat in Theologia experimentalis tractatu 2. cas. II. num. 329. maxime*  
*commendat Virum Religiosum de Societate Jesu, qui cum vi quasi coactus*  
*Mahumetani domum ingressus esset, veluti Medicus, ejus puellam mortis pro-*  
*ximam invisurus, eam caute baptizavit, quin id pater cognoverit; quæ qui-*  
*dem puella post menses aliquot ex hac vita emigrans ad Cælum feliciter evo-*  
*lavit. Conveniunt quoque in eandem sententiam Suarez in tertiam partem S.*  
*Thomæ disput. 78. quæst. 25. art. 3. 5. Ex his autem. Becanus de Sacram. Ba-*  
*pismi cap. 10. qu. 7. num. 7. Hurtadus de Sacr. Bapt. disp. 3. diff. 3. Azorius*  
*part. 1. lib. 8. cap. 25. qu. 10. Castrus Palaus tract. 19. disp. unic. de Bapt.*  
*punct. 9. num. 16. Palscal. de viribus patriæ potestatis part. 1. II. Barbosa in*  
*Can. Judæorum 28. quæst. 1. num. 3. ad hanc rem præclare facit Epistola San-*  
*cti Francisci Xaverii pag. 67. Romæ typis edita, in qua confirmans Patrem*  
*Franciscum Henricum, quod quereretur paucos a se Infideles in Indiis ad ve-*  
*ri Numinis cultum revocari, sic scribit: Plus itaque proficis, quam tu putas in-*  
*fantes diligentissime conquistos per Baptismum Cælum parturiendo. Nam certum*  
*est, Xaverium hic loqui de Indorum infantibus extremum vitæ agentibus,*  
*quos Pater Franciscus Henricus rite ac licite baptizabat. At memento, te octo*  
*mensibus, quibus isthic versaris, plures animas conservasse moribundis infantibus*  
*baptizandis.*

9. Si item eveniret, ut puer aliquis Hebræus projectus esset, atque a Pa-  
 rentibus derelictus, communis omnium sententia est, pluribus quoque confir-  
 mata judiciis, eum baptizari oportere, reclamantibus etiam, repetentibusque  
 parentibus, ut recte docent Azorius *Instit. Moral. part. 1. lib. 8. cap. 25. qu.*  
*5. Riccius. Lucubrat. lib. 2. cap. 32. num. 30. Clericatus de Jurisdictione, di-*  
*sford. 17. n. 12. Sessa de Judæis cap. 51. num. 110. & seq. At Hebræorum pa-*  
 rentes Patriam se in filios habere potestatem contendunt, nec plane injuria.  
 Compertum est patriam potestatem neque ad jus Divinum positivum, neque  
 ad jus naturale, neque ad jus gentium pertinere, sed juri, ut ajunt, *humani*  
*Romani esse; cum autem Civitate Romana Antoninus Imperator omnes Impe-*  
*rio Romano subiecto donaverit, juxta ea, quæ leguntur in lib. in Orbe Romano,*  
 quæque in aliis exemplaribus incipiunt *in urbe Roma ff. de statu hominum, &*  
 Hebræi Imperio Romano tunc essent subditi, hoc ipsis argumentum suppeditat  
 pro patria in filios potestate. Sic disserit *Abbas in cap. cit. ex literis num. 3.*  
*de convers. Insid. Judæus habet filium in potestate; & est ratio, quia Judæi con-*  
*trahunt justas nuptias, sunt sub Romano Imperio, & sic gaudent legibus Imperia-*  
*libus. Sed itidem plane constat prædictam patriam potestatem tunc certe amit-*  
 ti, cum filius derelinquitur, prosiciturque, juxta responsum Gregorii IX. *cap.*  
*1. de Infantibus, & languidis expositis, cujus hæc sunt verba: Si a Patre, si-*  
*ve ab alio, sciente ipso, aut ratum habente (relegato pietatis officio) infans ex-*  
*positus extitit, hoc ipso a potestate fuit patria liberatus.*

10. Animadvertendum tamen est, eum infantem non inter projectos, expo-  
 sitosque adnumerandum, quem sine Patre, sine Matre, nullo comite, aut  
 per urbem, aut extra Hebræorum vicum temere vagantem inveneris; sed quem  
 in loco publico solum, derelictum, abjectum, atque omni cura, & spe destitu-  
 tum offenderis, is absque dubio projectus, is sane expositus censendus est.

11. Benigna hæc interpretatio nonnullis improbanda videtur: neque enim  
 ignoramus, apud auctores multas hac de re sententias valde huic nostræ dissi-  
 miles inveniri, quæ eo potissimum innotunt, quod Hebræi, quamvis non  
 jure belli, Christianorum tamen mancipia sunt. Itaque cum servitutum servi-  
 ant, tamen sententia admittatur, eorum infantes sine parentum consensu ba-  
 ptiza-

FONT. ptizari non posse, non decere tamen subtiliores addere limitationes. Multa de ANNO  
hac re habet Antonius Francus in *additionibus in Abb. cap. Ext literis, lit. B.*

A.VII. *de conversione Infid.* Nostri autem instituti non est in hanc epistolam omnes 1747  
congerere limitationes, explicationesque regulæ; non enim tractatum, sed simplicem tantum methodum hic proponimus quoad casus & eventus passim obvios, ac frequentes. Sanctus Thomas in locis præfatis docet, Hebræos in servitute quidem apud Christianos esse, non vero pœnali libertatique contraria, sed civili, quæ licet in abjectissimo gradu constituat, non eum tamen præbet, quem altera, dominatum: quod item in rem nostram sapienter a Suarez consideratur in 3. part. S. Thomæ quæst. 68. art. 10. disp. 25. sess. 4. 5. Dico secundo, & a Sylvio in 3. part. S. Thomæ. tom. 4. q. 68. art. 10. concl. 7.

12. San. mem. Pius V. Prædecessor Noster in *sua Constit. 80.* omnes Hebræos ab omni Ecclesiastica ditione, exceptis Romæ, & Anconæ Civitatibus, eliminavit, Sixtus V. iisdem concessit omnia ditionis Ecclesiasticæ loca, dummodo septa mœnibus essent, habitanda. Sed Pontifex Clemens VIII. rem in antiquum statum restituit; Romæ tamen, Anconæque, Avenionem adunxit, ut videri potest in *ejus Constit. 19.* Cum vero Apostolica Sedes Urbini, Ferrariæque Ducatus recepit, non egesti fuere Judæi ab iis Urbibus, Oppidisque, ubi antea per Duces iis licuerat commorari. At si quis peteret, quæ de causa non Hebræis negatum fuerit, nec negetur, in Pontificia ditione, ac Romæ etiam libere permanere, is quidem quæstiones legat Theologicas Pierte, qui *part. V.* usitata ingenii sui sagacitate quæstionem agit, an infantes Hebræorum possint invitis Parentibus baptizari, tum id affirmantes (quorum & sententiam ipse amplecti videtur) hac interrogatione provocat pag. 335. *Cur ergo Romæ Ecclesia Filios Judæorum non baptizat, baptizatosque a Parentibus non avellit; ne in odio Christi, multiplicique impietate enutrientur.* Hanc deinde responsionem subiungit: *Respondet, & peto vicissim ego: Cur infensissimus illos Christi hostes ipse Christi Vicarius Pontifex Romanus in sua Civitate tolerat? Cur eos inde non amandat? Sicut ergo suas habet rationes, gentem illam Deo abominabilem, Christoque infensissimam tolerandi, ita & rationes habet, quare infantes eorum, ipsis invitis, non baptizet, nec ab eis avellat.* Et inter cætera, quibus nititur, argumenta, unum extat S. Augustini lib. 18. *de Civitate Dei cap. 46.*, in quo exponit Deum non eos extinguere penitus voluisse, sed tantum disperdere, ac dissipare, ut quocumque pergerent, sacras literas ferentes, id boni Ecclesiæ parerent, ut suorum Codicum testimonio, Christi vaticinia vel invito animo ubique terrarum disseminarent: *Ideo perum fuit, (verba sunt Augustini) ut diceret: Ne occideris eos, quando obliviscantur legem tuam; nisi etiam adderet: Disperge eos; quoniam si cum isto testimonio scripturarum in sua tantummodo terra, non ubique, essent, profecto Ecclesia, quæ ubique est, eos prophetiarum, quæ de Christo præmissa sunt, testes in omnibus gentibus habere non posset.*

13. Hoc vero obiter attigimus; non contententes veram causam constitutere, cur Hebræis liceat & Romæ, & in aliquibus Pontificiæ ditionis urbibus moram facere; Id enim ad rem propositam satis est, quod si Hebræi servitutum Christianis serviunt, ea quidem non pœnalis est, sed civilis, ac si Romæ, aliisque in Pontificiis Urbibus commorantur, id potissimum Summorum Pontificum indulgentiæ acceptum referunt; ex quo quidem colligere aperte licet, non id ab iis expetendum esse, quod jure non potest exigi; tum etiam eorum ad Christum conversionem, atque infantium baptismum; moderate, religiose, pie procurandum esse, sine ulla vi, aut injuria; quoniam quicquid injulitiam sapit, Christianorum indignum est; contumelia vero omni stylo ipsis concessa penitus adversatur. Sanctus Gregorius Pontifex ad Paschasium Episcopum Neapolitanum scribens, eum admonet, ut humaniter, & mansuete in Hebræos se gerat, qui tunc eam Civitatem incolbant. *Agendum est ergo,*

PONT. ut potius ratione, & mansuetudine provocati sequi nos velint, non fugere, ut eos AONN  
 ex eorum Codicibus ostendentes, quæ dicimus, ad sinum Matris Ecclesiæ Deo pos-  
 A.VII. sinus auxiliante convertere. Et quoniam Paschasius quasdam iis celebritates jam- 1747  
 pridem concessas interdixerat, hæc subiungit: Itaque Fraternitastua eos monitis,  
 prout poterit, Deo adjuvante, ad convertendum accendat, & de suis illos solemnita-  
 tibus inquietari denuo non permittat, sed omnes festiuitates, feriasque suas, si-  
 cut hæctenus tam ipsi, quam parentes eorum per longa colentes retro tempora tenuerunt;  
 liberam habeant observandi, celebrandique licentiam. Et quæ in eadem Epistola  
 decernebantur, pertinere quoque voluit ad omnes Episcopos, in quorum  
 Diocæsis Hebræi commorabantur: Item universis Episcopis per Galliam,  
 & Europam, & Germaniam constitutis. Hæc autem Epistola recensetur in Can.  
 Qui sincera, dist. 45.

14. Postquam casus magis obvios exposuimus, in quibus nostra hæc regula  
 prohibet, Hebræorum infantes, invitis parentibus, baptizari; aliquas insuper  
 declarationes addimus ad hanc regulam pertinentes, quarum hæc prima est:  
 si parentes desint, infantes vero alicujus Hebræi tutelæ commissi fuerint, eos  
 sine tutoris assensu licite baptizari nullo modo posse, cum omnis parentum  
 potestas ad tutores pervenerit. Sic Azorius *Institut. Moral. part. 1. lib. 8. cap.*  
*25. q. 9.* Thomas a Jesu *de Convers. gent. pag. 212.* Sella *de Jud. cap. 25. n.*  
*30;* alios præterea auctores eadem sentire non ignoramus, a quibus recenten-  
 dis brevitatis gratia superfedemus.

15. Secunda est, si Pater Christianæ Militiæ nomen daret, juberetque, in-  
 fantem filium baptizari; eum quidem vel Matre Hebræa dissentiente bap-  
 tizandum esse, quum filius non sub Matris, sed sub Patris potestate sit haben-  
 dus, juxta textum in lege *Nulla ff. de suis, & legitimis hæredibus, & in 5.*  
*fæminæ, Instit. tit. de adoptionibus,* quod quidem ad verbum statuit Grego-  
 rius IX. in sua Decretali ad Argentinæ Episcopum scripta, & relata in cap.  
*Ex literis, de conversione Infidelium.*

16. Tertia est, quamvis Mater Filios sui juris non habeat, tamen ad Chri-  
 sti Fidem si accedet, & infantem offerat baptizandum, tamen si Pater Hebræus  
 reclamet, eum nihilominus aqua abluendum esse: Ita cum cæteris Azorius  
 verba facit in loco præfato quæst. 3. Ubi de communi fidei bono agitur, nulla ha-  
 benda est ratio patriæ potestatis, quam leges, & jura Romana sanxerunt, & pro-  
 pterea mater fidelis, quamvis ei jus civile patriam potestatem non tribuat, jus  
 habet ad baptismum filium offerendi. Huic quidem sententiæ favet prædicta De-  
 cretalis Gregorii IX. in qua licet loquatur de patriæ potestate in eo casu,  
 quem explicabat, Patris nempe Christiani filium aquis lustralibus offerentis,  
 matre Hebræa perperam discrepante: statuit tamen sententiæ suæ in favore  
 fidei fundamentum: In favorem maxime fidei Christianæ respondemus, patri eum-  
 dem puerum assignandum: favor autem fidei in utroque casu valere plurimum  
 jure debet.

17. Quarta est, quod si pro certo habeatur, parentum voluntatem esse In-  
 fantium baptismi necessariam, quoniam sub appellatione parentum locum quo-  
 que habet paternus avus, ut observatur in l. *justa interpretatione 201. ubi Glos-*  
*sa in verb. avus ff. de verb. signif. cum eo, quod amplius legi potest in discept.*  
*977. numer. 4. Gratiani.* Hinc necessario sequitur; ut si avus paternus Catho-  
 licam Fidem amplexus sit, ac nepotem serat ad Sacri lavacri Fontem, quam-  
 vis mortuo jam patre, mater Hebræa repugnet, tamen infans sit absque du-  
 bio baptizandus. Martinus Navarrus vir Sacrorum Canonum doctrina excel-  
 lens, cum hic Romæ casus hujusmodi evenisset, plus valere contendebat ma-  
 tris dissentium, ut videre licet in ejus *cons. 4. lib. 3. de conversione Infidelium.*  
 Contra eum scripsit Præsul Rutilius Benzoni; Pontifex autem Gregorius XIII.  
 pro avo sententia detulit, ut ipse refert in suo *speculo Episcoporum lib. 1. q.*  
*9. dub. 1.* ubi testatur, Hebræo infanti baptismum se contulisse. Quamobrem

PONT. in fine Consilii Navarri hæc leguntur: *Advertendum autem, contra opinionem* ANNO  
*latam sententiam, infantemque traditum fuisse Avo Christiano, & demum bapti-*  
 A.VII. *zatum, perseverareque adhuc in fide.* Hujusce facti Marchinus etiam testis est 1747  
*de Bello Divino part. 1. cap. 2.* Non delunt alia judicata, quorum vi avus ad  
 fidem conversus præferri debet, non solum si Mater, sed etiam si Pater dis-  
 sentiat, & quamvis ambo pariter protestentur, sese filii baptismati non assen-  
 tiri, ut videri potest in *ciat. disc. 977. Gratiani*, cum præter favorem Reli-  
 gionis, qui maximi habendus est, argumenti loco etiam esse debeat *Text. in Ca-*  
*non. Patrem 32. quæst. 3.* ubi in neptis nuptiis, avi sententia patris iudicio  
 antepositur, cum avus liber, pater autem servus exiit. *Patrem puellæ Eccle-*  
*sia nostræ famulum, avum vero ejus liberis ortum constat esse natalibus, & ideo*  
*avi magis electionem de conjunctione neptis, quam patris ejus, cu us nullo modo*  
*liberum potest esse arbitrium, decernimus attendi. Quia ergo electione avi huic*  
*nupisse probatur, hanc constat legitime esse copulatam.*

18. Fictitia res non est, quod aliquando Pater Hebræus se velle Catholicam  
 Religionem amplecti prædicat, ac se ipsum, filiosque Infantes baptizandos of-  
 ferat, postmodum vero sui se consilii pœniteat, abnuatque filium baptizari.  
 Id Mantuæ evenit, ut Hebræus quidam non modo cum viro perhonorificum  
 dignitatis gradum tenente, sed ipso etiam cum Duce id rei gessit. Dux ha-  
 bebatur infantes liberos, totidemque pueros, atque uxorem, cumque deinceps  
 ad Christi fidem accedere recusasset, Ducisque spem frustratus esset, res ad  
 examen deducta est in Congregatione Sancti Officii, ac Pontifex die 24. Septem-  
 bris anni 1699. statuit, ea fieri, quæ sequuntur: *Sanctissimus, auditis votis E-*  
*minentissimorum, decrevit, quod duo filii infantes, alter scilicet triennis, alter*  
*quinquennis baptizentur. Alii, nempe filius octo annorum, & filia duodecim col-*  
*locentur in domo Cathecumenorum, si ea Mantuæ adsit, sin minus apud piam, ho-*  
*nestamque personam, ad effectum explorandi ipsorum voluntatem, eosque instru-*  
*endi. Uxoris quoque in loco a filiis separato exploretur voluntas. Patrem vero,*  
*& Maritum respectivo, qui a proposito suscipiendæ Fidei Christianæ recessit, non*  
*esse cogendum, sed contra cum posse procedi, prout de jure.*

Idem ferme accidit Augustæ Taurinorum, ubi cum Hebræus quidam Reli-  
 gionem Catholicam amplecti nollet, postquam id se facturum promiserat,  
 cumque instaret, ut filiola, quam baptizandam obtulerat, ideoque a matre  
 Hebræa jam ablatam Christianæ nutrici laudandam dederat, in potestatem re-  
 diret suam; Congregationis S. Officii auctoritate Romæ sancitum fuit, ut puel-  
 lula Christiano penes esset, & ad Sacrum regenerationis Fontem elevaretur,  
 quod videri potest apud Sessam *cap. 51. num. 98.* Hoc autem prudenter statu-  
 tum est, ne scilicet parentes Hebræi, quibuscum summa æquitate apud Chri-  
 stianos, eo impudentiæ deveniant, ut & nos, & Ecclesiam audeant irridere.

19. Sunt quoque aliqui infideles, suos infantes Christianis offerre soliti, ut  
 aquis salubribus abluantur, non tamen Christi ut stipendia mereantur, ne-  
 que ut originalis culpa eorum ex anima deleatur: sed id faciunt indigna qua-  
 dam superstitione ducti, quod nempe Baptismi beneficium existimant, eodem a  
 malignis spiritibus, a foetore, aut morbo aliquo liberandos. Sanctus Augusti-  
 nus in epistola ad Bonifacium Episcopum tom. 2. typis Patrum S. Mauri num. 5.  
 de hac re ita disserit: *Nec illud Te moveat, quod quidam non ea fide ad Ba-*  
*ptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spiritali ad vitam regeneren-*  
*tur æternam, sed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere, vel recipere*  
*sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac in-*  
*terentione offeruntur. Celebrantur enim per eos necessaria ministeria, & verba Sa-*  
*cramentorum, sine quibus consecrari parvulus non potest. Mens quippe non in-*  
*fantem baptismo offerentis, sed baptizantis est terio consideranda: At non*  
*parentum, sed ministrorum mens est spectanda, hi enim si bona, & recta mente*  
*voluerunt exequi, quod Ecclesia postulat, omnino Baptismum valide contulerunt.*



PONT. Verba sunt Arcudii lib. de concordia Ecclesie Occidentalis, & Orientalis lib. 1. ANNO  
cap. 12.

A. VII. 20. Res ad examen revocata fuit in Synodo habita anno 1148. sub Patriar- 1747  
cha Luca, de qua Synodo sermonem habet Balsamon *super Can. 83. Trullano*.  
Agareni quidam Synodo adfuerunt, qui ubi baptismum reciperent, invitati, illi-  
co responderunt, sese jampudem sacro Baptismate initiatos; nam id in more  
suam apud gentem esse dixerunt, infantes vix natos ad Sacerdotes Catholicos  
deferri solitos, ac baptizari: *Non tamen admitti fuerunt, audierant enim* (præ-  
dictus scilicet Patriarcha) *quod Baptismus, quem Infideles a Christianis petunt,*  
*non bona affectione, & orthodoxo proposito petitur, sed propter corporalem medici-*  
*nam. Persuasum est enim Agarens, fore, ut sui liberi a demone vexentur, &*  
*tamquam canes male oleant, nisi Baptismum Christianum assumentur.* Verbalunt  
Balsamonis e Græco idiomate in Latinum verba a Card. Baronio in *Annali-*  
*bus ad annum prædictum 1148.* unde significari videtur, illius Concilii Patres  
Baptismum ratum, ac validum nequaquam existimasse.

21. Cum ad Theologos, Canonumque peritos hujus quæstionis examen tran-  
sisses, varii casus propositi ac discussi fuerunt. Infideles aliqui, cum hoc sibi  
in animum induxissent, Baptismi gratia Infantes suos a morbis, Dæmonum-  
que vexationibus liberatum iri, eo dementiæ adducti sunt, ut mortem quoque  
minitati sunt Catholicis Sacerdotibus, qui, utpote eorum prævæ mentis con-  
fessi, baptismum eorumdem liberis constantissime denegabant. *Navarrus in suo*  
*conf. de tit. Bapt.* respondit, pueros jam rationis compotes in casu ejusmodi  
a Baptismi fontibus repellendos, infantes vero omnino admittendos esse, qui  
adhuc rationis expertes sint. Alii vero perperam sentiunt, omnibus conferri  
baptismum posse, mors ut evitetur, dum materia solum, non autem forma  
adhibeatur. At huic sententiæ refragatur Congregatio Sancti Officii coram Pon-  
tificæ habita die 6. Septembris 1625. *Sacra Congregatio universalis Inquisitionis*  
*habita coram Sanctissimo, relatis literis Episcopi Antibarensis, in quibus supplica-*  
*bat pro resolutione infrascripti dubii: An, cum Sacerdotes coguntur a Turcis ut*  
*baptizent eorum filios, non ut Christianos efficiant, sed pro corporali salute, ut li-*  
*berentur a fœtore, comitiali morbo, maleficiorum periculo, & lapsis, an in tali*  
*casu possint saltem sicut eos baptizare, adhibita Baptismi materia, sine debita for-*  
*ma? Respondit negative, quia Baptismus est janua Sacramentorum, ac professio*  
*fidei, nec ullo modo fingi potest.* Hoc decretum typis editum extat in *Vericello*  
*de Apostolicis Missionibus tit. 5. ad verb. Baptismus qu. 219.* Neque hoc loco præ-  
determinandum est, vigesimam nonam inter propositiones ab Innocentio XI. da-  
mnatas die 2. Martii 1679. esse hujusmodi, *Urgens metus gravis est justa causa*  
*Sacramentorum administrationem simulandi.*

22. Si tamen mortis discrimen absit, omnibus hæc opinio infedisse videtur,  
Baptismum conferre nefas esse, cum dubitari prudenter possit, id futurum, ut  
baptizatus tractu temporis a Catholica Religione desciscat, quod quidem ex-  
perientia docet plerumque iis infantibus evenire, qui a Parentibus Infidelibus  
oblati, ut ab infirmitate aliqua baptismum liberentur, postea vero in eorum  
educationem, ac potestatem revertuntur. Hoc idem comprobatur suffragio suo  
Castus Palauus tom. 4. *suorum Operum Moralium tract. 19. disput. unic. punct. 6.*  
*num. 11. Cardinalis Albizi de Inconstantia in Fid. cap. 33. n. 47. Verricellus de*  
*Apostolicis Missionibus tit. 6. qu. 113. num. 8.* Hinc vero id sequitur, quod si bap-  
tizatus infans non ad Parentes Infideles rediret, sed Christiano cuiquam com-  
mitteretur, is baptizari deberet, etiam si non a Parentibus oblatus esset, ut  
Catholicus evaderet, verum ut ab ægrotudine, ac morbo aliquo servaretur.  
Apposite ita concludit Azorius *Inst. Moral. part. 1. lib. 8. cap. 26. qu. 6. Ex quo*  
*perspicuum est, ejusmodi infantes jure donari, & ablui Baptismo posse, quoties com-*  
*moda occasio sese obtulerit a patrio eos jure, & potestate liberandi.*

23. Negari profecto nequit grave perversionis periculum in hac materia rem-

PONT. esse maximi momenti . Episcopus Quebec alias significavit , barbarorum ali- ANNO  
 quot , etiamsi Christianæ militiæ adscriptos , nullum Religionis specimen exhi-  
 bere ; hoc enim habent in more positum , ut statim ac filius nascitur , eum 1747  
 A.VII. Christianis offerant baptizandum ; is vero ubi adolevit , a Religionis nostræ  
 sanctimonia abhorret , parentum scilicet exemplo edoctus . Quare non sine  
 causa prædictus Episcopus postulavit , iis ne infantibus Sacramentum esset ba-  
 ptismatis conferendum ? Huic petitioni diligenter expensæ in Congregatione  
 Sancti Officii habita die 3. Maji 1703. responsum fuit , Baptismum conferre in-  
 fantibus non licere , qui filii Infidelium essent , atque in eorum potestate man-  
 suri . Hoc tamen decretum eos excepit pueros , qui gravissime ægrotantes vita  
 periclitarentur . *Non liceret , si sint filii Infidelium , & in potestate eorum relin-  
 quendi ; secluso tamen mortis imminenti periculo .* Licere autem , si filii quidem  
 barbarorum sint , sed jam Christi militum , dum tamen , aut a viris Apostoli-  
 cis illic degentibus , aut ab ipsis Parentibus , de Sanctæ Religionis præceptis ,  
 ac mysteriis edocentur , cum adoleverint . *Licere vero , si sint filii barbarorum  
 baptizatorum , curandum tamen per Missionarios , ac per ipsosmet eorum parentes ,  
 ut , cum ad annos discretionis pervenerint a se , vel ab aliis instruantur , præser-  
 tim in illis regionibus , si non prævideatur in promptu adfuturos Ministros Evan-  
 gelicos , qui parentum commode supplere possint defectum .* In Servia audivimus  
 pauperulas esse Christianas mulieres invito cum Turcis matrimonii vinculo  
 copulatas , quæ cum filium pariunt eum Sacerdotibus offerre solent , ut bap-  
 tizetur . Idcirco postulatum fuit , qui debeant in casu hujusmodi sese gerere Sa-  
 cerdotes . De hac re decretum habetur in nostro Bullario n. 89. s. 8 n. 304. ,  
 ubi apparet , conferendum esse Baptismum , si constet , mortem oblato puero  
 imminere . *Istarum vero filios , quos Parochis baptizandos exhibent , ubi eorum  
 vitæ periculum imminere videatur , Sacro lavacro ablucere prædicti Parochi mini-  
 me dubitent , admonitis matribus , ut , si convaluerint , ipsos in Christiana Reli-  
 gione educare sedulo curent .* Si nullum adsit vitæ periculum , certa regula ge-  
 neralis statuta non est , cum oporteat diligenter omnes expendere circumstan-  
 tias , & præsertim , *vel eos in Evangelicæ legis , & fidei cultu perseveraturos ,  
 vel Christiana educatione ab hujusmodi matribus fraudatos , Mahometani patris im-  
 pietatem secuturos esse .* Si Sacerdotes , postquam pie , & religiose hoc negotium  
 Deo commendaverint , æquum , bonumque existiment , prædictos infantulos ba-  
 ptizare , id quidem facerent , matres tamen enixe admonerent de gravissimo ,  
 quo tenentur munere , filios de Christiana Religione sedulo edocendi .

24. Nos certe ignoramus , accidisse , ut Pater aliquis Hebræus Romæ , aut  
 alibi infantem obtulerit Sacris Baptismi aquis tingendum , non quod eum cu-  
 peret Christianum fieri , sed a morbo aliquo liberari . Hoc si unquam eveniat ;  
 S. Augustini sententia , nempe pravam parentum intentionem baptismati non  
 obesse rite collato , præ oculis habita ; & conjuncti communi opinione consi-  
 derata , in hoc casu Baptismum minime negandum esse , cum nullum sit peri-  
 culum perversionis , quod sane est maximum , si baptizatus in Infidelium po-  
 testatem sit reiturus ; prudentium certe Judicio rite lastrari deberet infans ,  
 & Christianis tradi , ut probe educatus , ætate , & sapientia coram Deo profi-  
 ceret ; hoc autem si diligenter fieret , ut semper post Baptismi Sacramentum  
 decet , nullum esset periculum perversionis ; quod vitari non potest , si patri  
 Hebræo filius restituatur ; atque hoc pacto omnis etiam difficultas tolleretur ,  
 quæ sæpissime in causa fuit , cur responsio categorica Missionariis negata sit  
 enixe postulantis , liceret ne Baptismum conferre Infidelium infantibus Sa-  
 cro Fonte oblati , non pietatis , non religionis causa , sed rerum tempora-  
 lium caducarumque cupiditate . *Vid. Card. Albizi cit. cap. 33. de Inconstant.*  
*in Fide num. 47.*

25. Satis abunde diximus non solum de primo hujus partis capite utrum  
 nempe , invitis Parentibus , Hebræi infantuli baptizari possint : Verum etiam  
 de

PONT. de secundo, an casus unquam contingat aliquis, in quo id æque licitum sit, ANNO  
ac decorum; ad tertium nunc accedimus, Baptismum videlicet Hebræi infan-  
A.VII. tibus impertitum, cum fas non sit, ratumne an vero irritum haberi debeat. 1747

26. Nulla de hac re inter S. Thomam, & Scotum dissensio est, cum non in eam sententiam disputaverint, utrum Baptismus Hebræis infantibus sine parentum consensu conferri valide possit, verum an licite, ut prudenter animadvertit Cardinalis Lauria egregius Scotista in tom. 1. lib. 4. Sententiarum disp. 14. art. 5. num. 58. Et nota, quod sermo non est de posse valido, quia si baptizarentur tertum est remanere baptizatos; sed posse licito, id est, an licite fiat, si baptizentur. Durandus in 4. Sent. dist. 4. qu. 7. art. 13. contendens irritum Baptismum esse sine consensu saltem interpretativo illius, qui baptizatur; ideo si hoc Sacramentum Hebræorum, aut Infidelium filii, invitis Parentibus, impertitum fuerit, illud esse irritum omnino existimat; ea ratione ductus, quod Infantulis non alia, quam Parentum voluntas sit, quæ si desideretur, omnis deest voluntas, cujus necessitas est, sane maxima, Baptisma ut validum habeatur. Verum hæc Durandi opinio singularis, nunquam aut plausum, aut existimationem nacta est; quod revera constat Baptismum esse ratum, ac validum, quotiescumque Baptizantis voluntas cum forma & materia necessaria accedat. Quamobrem Durandi sententiam Suarez falsam, Cajetanus a ratione alienissimam esse affirmant. Præfati argumenti, validitatem Baptismi collati sine consensu Patris contra Durandum comprobantis, Sylvius auctor est, doctissimus S. Thomæ sectator in 4. tom. in 3. part. S. Thomæ quæst. 68. art. 10. Si filiis quorumcumque Infidelium conferatur Baptismus, erit validus, etiamsi Parentes sint invitati: quia subiectum est capax, & Minister cum debita intentione adhibet ei materiam, & formam. Nihil autem aliud requiritur, ut Baptisma parvulorum teneat; nam intentio Parentum est impertinens. Et Phrasien eximius Scotista tom. 10. sui Scoti Academici tract. 10. disp. 1. art. 2. quæst. 3. Durandi sententiam refellens, & ejusdem argumento, hoc est, in Baptismo Infantium voluntatem deesse, si Parentum vel offerentium voluntas desit, respondens admonet, Ecclesiæ voluntatem semper inesse: Quid, si nullus offerat, sed solus Minister baptizet? Recte intelligitur respondere tota Mater Ecclesia, quæ in Sanctis est, quia tota omnes, tota singulos parit, per voluntatem Ministri, suo, & Christi nomine baptizantis. Quæ quidem responsio S. Augustino auctoritatem debet, qui in memorata epistola ad Bonifacium sic scribit: Offeruntur ad percipiendam spiritualem gratiam non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quam ab universa societate Sanctorum, atque Fidelium. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet quod offerantur, & quorum sancta, & individua charitate ad communionem Sancti Spiritus adjuvantur: Tota ergo Mater Ecclesia, quæ in Sanctis est, pueros gestat, & offert, quia tota omnes, tota singulos offert.

27. Argumentis per se clarissimis, tantorumque auctoritate hominum corroboratis alia addere supervacaneum ducimus; quædam vero Congregationum responsa in medium proferre nullo modo non possumus, inter quæ primo loco offeremus illud Congregationis Sancti Officii habitæ die 30. Martii 1638. Circa Baptismum datum parvulæ puellæ annorum trium circiter filiæ Hebræorum a Faustina Christiana, invitis parentibus, Eminentissimi Domini censuerunt, parvulam puellam esse vere baptizatam, concurrente materia, forma, & intentione; Baptismum probari unico teste; & quamvis filii Hebræorum non possint invitis parentibus baptizari, si tamen de facto baptizentur, valere Baptismum, & characterem imprimi, & filiam baptizatam penes Christianos alendam; mulierem baptizantem acriter monendam, ut in posterum caveat a similibus; notificandum vero populo, non licere invitis parentibus filios Hebræorum baptizare, quia licet finis sit bonus, media non sunt licita, præsertim stante Bulla Julii III. imponente penam mille ducatorum, & suspensionem baptizantibus filios Hebræorum invitis pa-  
renti-

PONT. ventibus. Ante hanc resolutionem alia extat die 3. Martii 1633. cujus hæc ANNO

A.VII. inscio patre Hebræo, sit vere baptizatus, & hujusmodi baptismate teneatur, & 1747  
apud quem debeat infantulus educari? Respondetur, infantulum esse vere bapti-

zatum; Baptismumque esse validum, eundemque educandum penes Christianos, a quibus instruat, & cum pervenerit ad usum rationis, posse cogi ad perseverantiam in Fide Catholica; videmque providendum a patre, si habeat in bonis, sin minus in necessariis ad minus ad sustentationem. Conveniunt alia quoque ejusdem Congregationis resolutiones, quarum altera emanavit die 23. Decembris 1698. altera die 8. Martii 1708. & a Leone in suo *Thesaurò Fori Ecclesiastici part. 4. cap. 4. num. 8.* & alia huic similis producit in Congregatione Concilii habita in Causa Fossani, quæ tamen cum registris conferri non potuit.

28. Nihil aliud nunc restat, ut primæ parti suæ imponatur, quam exponere, quid sit faciendum, cum infantes Hebræi aut baptizandi offerantur, aut compertum sit, eos jam fuisse sacro baptismate initiatos; deum quomodo probari possit eosdem aquis salutaribus fuisse rite lultratos; quæ postrema sunt hujus primæ partis capita, & quorum explicationem paucis expediemus.

29. Nihil hoc loco cum his infantibus nobiscum est, qui vel ad sacrum fontem ab iis feruntur, quibus id faciendi jus esse constat, vel qui juxta sacrarum Legum vim invitatis licet, reluctantibusque parentibus, de his, inquam infantibus nullus hic sermo est, quoniam patet, omnino esse ad sacrosanctum regenerationis lavacrum elevandos. Ad eos itaque spectat hic sermo noster, qui Baptismo neque a parentibus, neque ab aliis qui jus in eos habeant, offeruntur, sed ab aliquo nullam habente auctoritatem. De iis præterea agitur, quorum casus non comprehenduntur sub ea dispositione, quæ sunt Baptismum conferri, etiamsi majorum consensus desit: hoc quidem in casu baptizari non debent, sed ad illos remitti, quorum in potestate ac fide sunt legitime constituti. Quod si jam sacramento initiati essent, aut detinendi sunt, aut ab Hebræis parentibus recuperandi tradendique Christianis, ut ab illis pie, sancteque informentur; hic enim Baptismi licet illiciti, tamen veri, validique effectus est. Ex quibus accedit Concilii Toletani quarti textus expositus in *Canon. Judæorum dist. 26. quæst. 1. Judæorum filios, vel filias, ne parentum ultero involvantur erroribus, ab eorum consortio separari decernimus, deputatos aut Monasteriis, aut Christianis viris, aut mulieribus Deum timentibus, aut sub conversatione cultum Fidei discant, atque in melius instituti tam in moribus, quam in Fide proficiant.* Si autem postquam adoleverint, suo ipsi infortunio Catholicam Fidem desererent, & Hebræorum ritibus adhærerent, contra eosdem legibus utendum esset, ut contra Hæreticos, juxta Decretalem Bonifacii VIII. in cap. *Contra, de Hæreticis, in sexto: Contra Christianos, qui ad ritum transierint, vel redierint Judæorum, etiamsi hujusmodi redeuntes, dum erant infantes &c. baptizati fuerunt, erit tanquam contra Hæreticos, si fuerint de hoc confessi, aut per Christianos, seu Judæos convicti &c. procedendum.*

30. Dura nonnulli hæc sententia visa est, qui eandem ut minus asperam facerent, exillimarunt fas esse, puerulos Judæis parentibus restituere, dummodo ipsi parentes cautione, aut fideiussione data, ingenue spondeant, ab filiis, vix ad convenientem ætatem pervenerint, Christianis restituendos, nec quidquam contra Fidem Catholicam edocendos. Ita opinatus est Calderinus in suo *Consil. 3. de Judæis*, quem sequutus est Grassius in suis *Decis. Casconscient. part. 2. lib. 2. cap. 23. num. 23.* Verum hæc Calderini sententia a cæteris omnibus erroris insinulata fuit, ut Afflic. *dec. 151. num. 13. Sperl. dec. 1. num. 42. Sessa de Judæis cap. 55. & num. 64. Piton. Discept. Eccles. part. 4. discept. 146. dub. 3. & num. 33. Card. Albizi de Incof. in Fide cap. 11. num. 33.* Et vere scito in hoc a Sacra Congr. loquitur de Congregatione Sancti Officii, sententiam Calderini uti erroneam fuisse rejectam.

PONT. 31. In quibusdam præfatis resolutionibus innuitur, eum, qui Hebræorum ANNO  
 filios sine parentum consensu Baptismo lustrare ausus fuerit, exceptis iis casi-  
 bus, in quibus hoc liceat, eum, inquam, pœna mulctandum esse; Baptismum 1747  
 autem unius testimonio comprobari. Ut primæ parti hujus nostræ instructio-  
 nis extrema manus accedat, nihil aliud restat, quam prædictarum resolutio-  
 num judicium confirmare, & quidquid in iisdem continetur, nostra quoque  
 sententia stabilire. Baptizantis mentem esse sanctam, nostra quoque  
 mus; modus autem omnino illicitus habendus est; & ea quicumque facit, quæ  
 Ecclesia fieri vetat, pro Judicis prudentia mulctari debet, pœna scilicet au-  
 nitori, vel severiori, juxta circumstantias. Additur etiam, qui infantes He-  
 bræorum liberos baptizare solent, eos plerumque aut laicos, aut mulieres esse;  
 quod neutris liceat, nisi necessitas interfuerit, ut videri potest in *Can. ad  
 limina 30. qu. 2. in Can. Sanctum, in Can. in necessitate de Consecr. dist. 4. in Concil.  
 Flor. Armen. instruct.* In casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus,  
 sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam Paganus, & Hereticus baptizare potest.  
 Hoc etiam in trigelimo octavo Concilii Illiberitani Canone statutum est, pere-  
 gre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lava-  
 crum suum integrum habet, nec sit ligamus, baptizare in necessitate. Et quam-  
 vis Petavius in not. ad Sanctum Epiph. pag. 341. miretur, Concilium, etiam-  
 si necessitas interfuerit, bigamis, ne quemquam baptizent, interdicere; ergo  
 ne bigamis baptizari in tanta necessitate non licuit? Mendoza tamen, & Alba-  
 spineus ajunt, in Canone quemquam baptizari a bigamis interdici, cum plu-  
 res adsint rei conficiendæ magis idonei, quod Catholicus Ethnico, laicus au-  
 tem non bigamus jure sit bigamo anteponendus. Jam vero baptismati com-  
 probando unius sufficere testimonium, vetus Jurisperitorum axioma est, ut  
 videtur in Glossa Cap. Nuper, ad verbum: nisi juratus, de testibus & attesta-  
 tionibus. Quandoque tamen bene creditur uni, quando non sit præjudicium ali-  
 cui; puta utrum aliquis sit baptizatus, vel utrum esset Ecclesia consecrata, & ubi  
 quis vult probare se egisse penitentiam per Confessorem suum. Et in Can. Pla-  
 cuit, in verbo: testentur, de Consecr. dist. 4. Creditur ergo testimonio unius in  
 Baptismo, & in Consecratione Ecclesiæ. Hoc tamen intelligendum est, dummo-  
 do testi aut mari, aut foeminae, fides adhiberi prudenter possit, aut idem si  
 testatur qui baptizavit; hic siquidem se ipsum alterens Baptismum Hebræo in-  
 fantulo ministrasse, non rem modo ab se gestam, sed etiam pœna dignissimam  
 suo ipse testimonio confirmaret. In S. Spiritus Xenodochium, projectorum  
 perſugium, feruntur non raro infantes chartam collo suspensam præferentes,  
 in qua scriptum legitur jam Baptismum eidem collatum esse. Cum adhuc in  
 minoribus a Secretis Sac. Congregationis Concilii munereungebamur, Sancti  
 Spiritus Parochus interrogavit, quid sibi agendum esset in hujusmodi casibus?  
 Proposita quæstio fuit in Congregatione die 18. Decembris 1723., ut declarat  
 Thesaurus resolut. tom. 2. pag. 421. die autem 15. Januarii 1724. Ita rescriptum  
 fuit: Si non lateret, qui chartulam scripserat, eidemque fides tuto præstari  
 posset, tunc infantem ut baptizatum habendum esse, ac ne Baptismo quidem  
 initiandum sub conditione, ut aperte liquet in tom. 3. præfati Thesauri pag. 2.

32. Hæc sunt, quæ breviter exponenda centuimus quoad primam partem  
 ad Hebræorum infantes unice pertinentem. Itaque ad secundam descendimus,  
 sermonem de Hebræis adultis, ac ratione pollentibus habituri. Atque ut or-  
 dine utamur, & claritate, differemus primo de iis, qui ultro Baptismum pe-  
 tunt, tum de iis, qui jam baptizati ad Ecclesiam se conferunt. Verum in  
 primis constituendum est, quamnam plerumque ea ætas sit, in qua Hebræus  
 sponte Baptismum expetens, infans, sed sui compos censendus est, & quodam-  
 modo adultus, atque hæc quidem in re duos Jurisperitos, licet haud indoctos,  
 cavere necesse est; Natam scilicet in *consil. 454. lib. 2., & Bursat. in consil.  
 231. libr. 3.* quibus in casu, de quo agitur necessaria videtur duodecim anno-  
 rum

PONT. rum ætas; id autem perperam quibusdam decretis probant æque antiquis, ac ANNO antiquatis. Hac in re consulendus est sedulus, accuratusque Præsul Sperellus A.VII. in sua decis. 1. num. 32. & duobus seq. ubi probat rationis usum ab anno septimo completo inchoari; idemque confirmaturus, præclara quædam in unum collegit Cardinalis Albizi de incost. in Fide cap. 11. num. 39. Ricciul. in tract. de Personis extra gremium Ecclesiæ lib. 2. cap. 33. num. 3. Zasius 3. in tract. de Judæis quæst. 2. Clericat. de Jurisdic. Discord. 18. num. 25. Sessa de Judæis citat. cap. 43. quibus addimus Congregationis Concilii resolutionem, quæ extat lib. 16. Decretorum pag. 233. a tergo in quadam Causa Vilmæ: Die 16. Julii 1639. Sacra Congregatio Concilii respondit filios Judæorum non esse invitis parentibus baptizandos donec perveniant ad ætatem legitimam; & tunc, si ipsi consentiant: Ætatem vero legitimam regulariter censi completo septennio. Animadvertere opus est illud regulariter, nam indicat oportere Præsidem Ecclesiasticum etiam atque etiam considerare, quisnam sit Baptismi petitor, cum possit contingere, ut is etiam non completo septennio sufficienti sit præditus ratione; ideoque baptizandus, invitis licet reluctantibusque parentibus, ut sapienter diderit Sotus in 4. sententiar. dist. 5. quæst. unic. art. 10. dub. 2. Certeissima regula est, quod si citra illam ætatem certo constat, puerum Fidei Catechismis instructum satis intelligere, quidnam sit baptizari, & quemadmodum sit professio Christianæ legis, baptizandus est, quoniam ætas ad contrahendum matrimonium lege humana statuitur; Lex autem divina Baptismi neuiquam ab humana dependet.

33. Si vero de perfecto rationis usu dubitaretur, & Baptismum implorantis capacitas anceps, ac incerta esset, cavendum est ab eorum sententia, qui juxta tritum illud axioma, in dubio nimirum semper possidentis conditionem meliorem esse, contendunt, petentem Baptismum ad Hebræos, & ad partem potissimum, si super sit, necessario remittendum. Cavendum est, inquam, ne quis arbitretur sententiam ejusmodi approbandam, & axioma, cujus dumtaxat est ratio habenda in causa æquali: nulla vero æqualitas intercedit Hebræos inter, atque Christi fideles; ac multo minus inter patrem, & filium; quum alter patriæ potestatis jacturam ad breve tempus, damnum nempe levissimum evitaret; ærumnæ alter gravissimæ provideret, hoc est mortem fugeret sempiternam, cujus periculum certe subiret, regressus ad Infidelium curam, ac sub patriam potestatem. Quare in supradictis casibus sacramentum est differendum, sed hoc qui postulat retinendus, ac sic interea informandus, ut idoneus evadat baptismati postmodum suscipiendo.

34. Suarez in 3. par. S. Thomæ tom. 3. qu. 68. art. 10. disp. 25. sect. 3. ad fin. sic scribit: Ad cognoscendum autem, an pervenerit parvulus ad eum statum, & facultatem usus rationis, utendum est signis, & conjecturis ex experientia desumptis, & hominis prudentis arbitrio judicium ferendum est. Quod si signa non fuerint satis evidentiâ, tamen rem faciant dubiam, & aliquo modo probabilem, si necessitas non urgeat, expectari potest, & debet commodior occasio, & major cognitio. Magni hujus Theologi auctoritas quidquid supra diximus mirifice probat, Baptismum nempe, donec dubio locus fuerit, protrahendum: adultum vero id temporis a Christi fidelibus detinendum procul a Genitoribus, ex his, quæ subjungimus aperte patet. Card. de Lugo lib. 5. respons. moral. ad dub. 4. hoc Romanæ accidisse narrat ætate sua: Contigit Romæ, ut parvula quædam puella casu inveniretur longe ab Hebræorum domibus, quæ interrogata de suis Parentibus, respondit, se parentes habere Hebræos, & velle fieri Christianam. Conducta ergo ad Catechumenorum domum, parens petiit, filiam sibi restitui, quæ adhuc sui juris non erat, nec rationis compos ad deliberandum de Religione. Consilium expetitum est sapientissimi Cardinalis, qui postquam diligenter puellam examinasset, dubitavit, an perfecto rationis usu præditam judicaret: Consultus ergo tunc sui, & examinavi puellam, nec perfectum rationis usum affirmare potui,

PONT. nec etiam sufficientem negare, sed mansi dubius. Cum puella septennium adhuc Anno non complevisset, dubitaretque Cardinalis de perfecto rationis usu, Baptismum A.VII. protrahendum esse respondit, & puellam interea apud Catechumenos detinen- 1747 dam: Ego, quoniam puella illa septennium non compleverat, & de sufficienti rationis usu dubitabatur, dixi, Baptismum quidem suspendendum esse, donec cum pleno rationis usu certo constare posset de sufficienti ejus voluntate; interim tamen non debere; nec posse resisti, sed custodia causa retinendam in eadem Catechumenorum domo. Atque ita gestum est, ac puella deinceps, nova adhibita diligentia, baptizata fuit, ut videtur in fine prædicti Dubii IV. Non erat controversia, an puella baptizanda esset, sed an Patri reddenda, in dubio de usu rationis sufficienti; in quo dubio de facto reddita non fuit; sed in loco tuto deposita, donec suo tempore, & explorata jam ejus voluntate, cum certissimo rationis usu, baptizata fuit.

35. Specie facti, quam modo exposuimus, de puella, est, quæ septennium nondum expleverat, si autem illud superasset, & non constaret de perfecto rationis uso, non ideo Hebræis Parentibus reddenda esset, sed Christianorum curæ mandanda. Etenim idem argumentum & ad puellam detinenda, & ad Baptismum protrahendum in utroque casu valeat necesse est, auctore Sessa de Judæis cap. 54. num. 8. & seq. Ego vero adhaerendum puto sententiæ Henriquez, ut baptizari in dubio usus rationis non debeat, si septennium compleverit, si vero non sic, modo non urgeat periculum mortis &c. Erit tamen eo casu a Parentibus segregandus, & in domo Catechumenorum, vel penes honestam mulierem collocandus, ad vitandum periculum, ne a Parentibus subvertatur. Et ante Sessam id docuerat Sotus loco citat. Qui vero quando res aliquo modo dubia, nempe si bonæ essent conjecturæ, & incidia, puerum annum agentem octavum intelligere quid vellet profiteri, Baptismumque peteret? esset baptizandus, ac subinde ab eorum educatione subtrahendus.

36. Tempore constituto, in quo Hebræus rationis compos prudenter censendus est, statuto etiam quid sit agendum, cum Baptismi petitur, an sit idoneus, dubitatur; de iis jam differemus, qui aut ab adolescentia, aut ætate etiam maturiori Baptismum postulant. Quoad ætatem, Parentum consensum necessarium omnino non esse, auctor est sanctus Thomas in præfat. loc. id est in 2. 2. quæst. 10. art. 12. quo in loco disputans de Baptismo Filiorum Hebræorum dissentientibus Parentibus, sic scribit: Postquam autem incipit habere usum liberi arbitrii, jam incipit esse suus, & potest quantum ad ea, quæ sunt juris Divini, vel naturalis, sibi ipsi providere; & tunc est inducendus ad Fidem, non coactione, sed persuasione, & potest etiam in vitis Parentibus consentire Fidei, & baptizari, non autem, antequam habeat usum rationis. Eadem vero repetit in 3. par. qu. 8. art. 10. Respondeo dicendum, quod pueri infidelium filii aut habent usum rationis, aut non habent. Si autem habent, jam quantum ad ea, quæ sunt juris Divini, vel naturalis, incipiunt suæ potestatis esse; & ideo propria voluntate, in vitis Parentibus, possunt Baptismum suscipere, sicut & matrimonium contrahere; & ideo tales licite moneri possunt, & induci ad suscipiendum Baptismum. Quæ quidem cum iis conveniunt, quæ scripta reliquit idem Doctor Angelicus in quodlib. 2. art. 7.

37. S. Thomæ doctrina de modo, quo Hebræi jam rationis compotes ad fidem Catholicam amplectendam inducendi sunt, omnino congruit cum Sancti Gregorii sententia in Can. qui sinceræ, dist. 45. cujus hæc sunt verba: Qui sincera intentione extraneos a Christiana religione ad fidem cupiunt recta perducere, blandimentis, non asperitatibus debent studere, ne quorum reddita ad planum ratio poterat revocare, pellat procul adversitas. Nam quicumque aliter agunt, & eos sub hoc velamine a consuetis ritibus sui volunt cultura suspendere, suas illi magis, quam Dei causas probantur attendere. Accedit Concilii Toletani IV. auctoritas in Can. de Judæis dist. 45. De Judæis autem præcipit Sancta Synodus, ne-

PONT. mini deinceps ad credendum vim inferri. Cui enim vult. Deus, miseretur; & ANNO  
 quem vult, indurat. Non enim tales invitati solvendi sunt, sed volentes, ut in-  
 A.VII. tegra sit forma justitiæ. Sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti obedi- 1747  
 ens perit, sic, vocante se gratia Dei, propriæ mentis conversione homo quisque  
 credendo salvatur. Ergo non vi, sed liberis arbitrii facultate, ut converiantur,  
 suadendi sunt, non potius impellendi. Idem sentit Clemens III. in sua Decre-  
 tali, cujus est hoc exordium: Sicut Judæi sub t. de Jud. & Sarac. Statuimus,  
 ut nullus invitos, vel nolentes Judæos ad Baptismum venire compellat: Si quis  
 autem ad Christianos causa fidei confugerit, postquam voluntas ejus fuerit patefa-  
 cta: Christianus absque calumnia efficiatur, quippe Christi fidem habere non credi-  
 tur, qui ad Christianorum Baptismum non sponens, sed invitus cogitur pervenire.

38. Nec plane obest huic sententiæ auctoritas Adriani Pontificis, qui Ba-  
 ptismum a Carolo Magno Saxonibus vi collatum, ut fertur, comprobavit,  
 cum Infidelium ratio æque ac Hebræorum habenda sit, juxta S. Thomæ sen-  
 tentiam in 2. 2. quæst. 10. art. 8. ubi sic scribit: Infideles quidam sunt, qui  
 numquam susceperunt Fidem, sicut Gentiles, & Judæi, & tales nullo modo sunt  
 ad fidem compellendi, ut ipsi credant &c. alii vero sunt Infideles, qui quando-  
 que Fidem susceperunt, & eam profitentur; sicut Heretici, & quicumque Apostate;  
 & tales sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant, quod promiserunt,  
 & teneant, quod semel susceperunt. Nullius quoque momenti sunt, quæ gesta  
 fuerunt a Sisebuto Hispaniarum Rege, quæ Concilium quartum Toletanum  
 cap. Majores de Bap. Principem religiosissimum compellavit, propterea quod vi,  
 ac minis Hebræos ad Baptismum impulserit, cujus vestigiis insliterunt Rex Æ-  
 gea, Ferdinandus, atque Isabella, ut videre licet in Mariana novissime edi-  
 tionis an. 1733. tom. 1. pag. 202. & in tom. 3 pag. 184. & 211.

39. Placet hic vero nonnulla breviter adnotare; ac primo, Pontifex Adria-  
 nus gratulatus est quidem Carolo Magno, quod Saxones jussisset ad Baptismum  
 accedere; in ejus tamen epistola typis impressa in 1. 2. Concil. antiq. Galliæ  
 pag. 112. quod unum extat facti ejusmodi monumentum; in ejus, inquam,  
 epistola ne leviter quidem commemoratur modus, quo fuerunt Saxones ba-  
 ptizati; deinde iidem Saxones fidem Imperatori dederant, sua se sponte ad  
 Baptismum venturos, quum armis superati, & prælio victi se Carolo tradide-  
 runt: Sponderunt se esse Christianos & se sub ditione Domini Caroli Regis, &  
 Francorum subdiderunt: ut narrat Annalium scriptor Loisselanus t. 6. Annal.  
 Ecclesiast. Galliæ Patris le Coïnte pag. 110. tertio, Rex Sisebutus non ubique fuit,  
 neque ab omnibus commendatus; quapropter Rex Sisenandus imperavit, ut  
 nulla vis in posterum adhiberetur, quod Mariana testatur tom. 1. pag. 207.  
 Judæos amplius ad Religionis Christianæ professionem cogere nefas esto; quarto,  
 religiosissimi nomen Sisebutus, non scientiæ merito, sed pietatis causa est,  
 consequutus propter zelum, quem habebat; licet is non esset secundum scientiam,  
 ut notat Sylvius in 2. 2. S. Thomæ quæst. 10. art. 8. conclus. 4. 5. Ad hoc  
 tamen; quinto, in Hispania per eam ætatem Ecclesiastica disciplina nimis re-  
 missa erat; ideoque Episcopi non ausi sunt Regum voluntati adversari, uti  
 animadvertit Natalis Alexander in sua Theologia dogmatica, & morali, de Sacr.  
 Bap. lib. 2. cap. 7. propos. 7. ad fin. Mores illos in Hispaniarum Ecclesiis viguisse  
 negari non potest, Episcopis Ecclesiasticam disciplinam ad nutum Regum suo-  
 rum stentibus; sed saniozem fuisse, ut & antiquoem, disciplinam de Judæis ad  
 Fidem Christianam per Baptismum non cogendis, perspicuum est. Demum Prin-  
 cipum gesta legem præscribere privatis nequeunt, cum fas sit Regibus Infide-  
 les devictos, captivosque suos vi ad Baptismum impellere, edictoque sancire,  
 ut illud accipere si reculent, a Regno eliminentur; id autem Regibus licet  
 non sine causa: metuunt enim, ne ipsi aliquando ad rebellionem deficiant,  
 aut alios ad infidelitatem perducere moliantur: quamobrem S. Augusti-  
 nus in epistola ad Vincentium, quæ nunc 93. est, olim 48. postquam suam  
 senten-



PONT. sententiam semper fuisse ait: *Neminem ad unitatem Christi esse cogendum*; hoc ANNO ad rem nostram addit: *Legum terror, quibus promulgandis Reges seruiunt Diuino in timore, ita profuit, ut nunc alii dicant... gratias Domino, qui vincula nostra dirupit, & nos ad pacis vinculum transfudit.* 1747

40. Hebræis igitur, ut Baptismum accipiant, vim facere nefas est; quare si quis Hebræorum expleto jam septennio, Catholicam, Religionem amplecti cupiat, aut si non dubia, sed certa significatio detur, Hebræum aliquem prædictæ ætatis Baptismum petere, in hoc casu tum Judex, qui hoc admonet, est retinendus, tum Sacramenti petitor ex Hebræorum vico evocandus, Christianisque tradendus est, ut interrogetur, qua potissimum de causa velit ab Hebræorum institutionibus ad Christi cultum accedere, diligenter demum instrui debet, ut paullo post edocebimus. Hac autem adhibita diligentia, si forte incapax inueniretur, iterum absque dubio Judæis tradendus esset. *Et memini verba sunt Cardinalis Albizi de Incoft. in Fide cap. 11. sub. num. 38. „ A Congregatione Consultorum Sancti Officii revocatum fuisse ad examen puerum quemdam Hebræum, qui supponebatur petere Baptismum, & ad domum Cathecumenorum redactus fuerat: qui tamen adeo hebetis ingenii visus fuit, ut, etiamsi explevisset septennium, nihilominus patri Hebræo restitutus fuit. „*

41. Si contingat, ut Hebræorum aliquis ætate adultus Baptismum cupiat; is quidem est retinendus, aut e vico evocandus, dum ejus optimam voluntatem quipiam fide dignus attestatur. Magna hic vero diligentia opus est, experientia edocente, Hebræas seu mulieres, seu puellas frequenter ad Baptismum confugere, non Religionis, sed matrimonii causa; quod nimirum Christianum aliquem depereant: mares autem Christianæ Fidei desiderium affectare, quod matrimonii jam contracti laqueos declinare cupiant, & uxorem Hebræam relinquere, aut quod ære alieno gravati sunt, ac solvendo imparens. Atque utinam in præsentiarum non eveniret, quod Stefanus Tornacensis scripsit in epist. 32. *Raro accidit, ut de plebis circumcisæ duritia in novam Ecclesiæ renatus infantiam, fideliter conversetur.* Hanc vocem raro ita interpretamur, ut non negamus per læpe Hebræos ad veram fidem divinitus evocatus, ea fecisse omnia, quæ bonos viros, & utiles Christianos decent. Eorum Elenchum vide apud Possevinum, & Thomam a Jesu *de Conversione Gentium lib. 9. par. 2. cap. 1. pag. 635.* Præviā institutionem multum ad hanc rem conferre fatendum est. Sapientes Instructiones pro Missionariis Romæ in lucem editæ an. 1699. pag. 187. hæc habent: „ Enim vero comprobatum est experientia, „ Christianos pejores non inveniri, quam qui ante competentem instructionem ad Baptismum admissi sunt; quippe qua facilitate nomen dederunt, „ eadem ut plurimum nuntium ei remittunt &c. quodque miserabilius est, „ teriores multo sunt, quam ante Baptismum, & correctionis omnino impatientes. „ Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. indicat, quæ adulto, ad Baptismum cum spirituali utilitate accipiendum, sunt necessaria. Catechismus Romanus part. 2. *de Baptismo* moram, & tarditatem in hoc negotio inculcat, cum mortis discrimen abesse videatur. „ Dilatio aliquas videtur utilitates asferre: primum enim quantum ab Ecclesia providendum est, ne quis ad hoc „ Sacramentum ficto, & simulato animo accedat, eorum voluntas, qua ad Baptismum accedunt, magis exploratur, atque perspicitur; deinde in Fidei „ doctrina, quam profiteri debent, & Christianæ vitæ institutionibus erudituntur perfectius. „ Quoad ea, quæ ante Baptismum adulto credenda sunt, animadversione dignum est dubium, seu quæstio ab Episcopo Quebec Sancti Officii Congregationi proposita, definita 3. Maji anno 1703. „ Utrum, antequam adulto conferatur Baptisma, Minister teneatur ei explicare omnia Fidei nostræ mysteria, præsertim si est moribundus, quia hoc perturbaret „ mentem illius; an non sufficeret, si moribundus promitteret fore, ut, ubi

PONT. „ e morbo convalesceret, instruendum se curet, ut in praxim redigat, quod ANNO  
 „ ei præscriptum fuerit? Respondetur, non sufficere promissionem; sed Mis-  
 A.VII. „ sionarium teneri adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, 1747  
 „ explicare mysteria Fidei, quæ sunt necessaria necessitate medii, ut sunt præ-  
 „ cipue mysteria Trinitatis, & Incarnationis.

42. Hactenus verba fecimus de Hebræis adultis ultro Baptismum petentibus; modo, finis ut epistolæ imponatur, de iis sermonem instituemus, quibus, infantium ætate expléta, nec ipsis quidem petentibus, Baptismus impertitur, ut re ipsa contigit in Viviani factio; unde oblata Nobis hujus epistolæ conscribendæ occasio fuit. Is enim præter Infantes, filiam annorum novem Baptismate consecravit, ideam cum filio jam duodenni facturum, nisi aquam deficere comperisset. Eos itaque & retinere oportet, & diligenter inquirere, a quo baptizati sunt, an debita forma & materia adhibita: tum etiam oportet eos instruere & docere supplendo quidquid antea non factum fuit, ac fieri omnino debuit; neque vero hæc satis sunt, sed nonnulla insuper observari necessario debent.

43. Non raro fit, ut puer adhuc rationis impos in rebus momenti maximi cogatur alienæ inservire voluntati, quod solebat olim ex veteri disciplina frequenter usvenire. Quos enim ab infantia parentes ad Monasterium miserant, si toto vitæ spatio solitudinem colere tenebantur, quamquam, ubi adolevisent, sese palam profiterentur ab instituto ejusmodi abhorre. *Vid. Can. Auditis. 20. qu. 1.* Atqui adultus alienæ obnoxius voluntati, nisi sponte sua obligari nequit: quare, quum Baptismo Catholicæ Religionis observantia conjuncta sit, hinc sane oritur, hoc sacramentum non esse validum in adulto palam ac libere dissentiente. S. Thomas 3. part. ad qu. 68. art. 7. quærit: *Utrum ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi sacramentum Baptismi?* Et quibusdam more suo propositis argumentis intentionem non esse necessariam probantibus, ita quæstionem solvit: *Respondeo dicendum, quod per Baptismum aliquis moritur veteri vitæ peccati, & incipit quamdam vitæ novitatem &c. Et ideo sicut ad hoc, quod homo moriatur veteri vitæ, requiritur, secundum Augustinum, in habente usum liberi arbitrii voluntas, qua cum veteris vitæ paritate, ita requiritur voluntas, qua intendat vitæ novitatem, cujus principium est ipsa susceptio Sacramenti; & ideo ex parte baptizati requiritur voluntas, seu intentio suscipiendi Sacramentum, Glossa Canonica in Can. Solet, ad verbum, implorandum, de Consecratione dist. 4. intentionis necessitatem in adulto, qui baptizatur, non requirit, sed baptizantis tantummodo satis esse affirmat. Si baptizans intendit baptizare, qualemcumque intentionem baptizatus habeat, recipit Sacramentum: sed, si non intendit baptizare, licet verba proferat, non est baptizatus. Sed juxta Sotum in 4. Sent. dist. 5. qu. unic. art. 7. §. His igitur, supradicta Glossa, sicut & alia in cap. Majores, de Baptismo, tum contra veritatem, tum etiam contra textus ipsos aperte pugnant. Ratio vero, qua Glossa innititur, nempe baptizatum patientis partes agere in Sacramento, intentionem autem quoad agentem, minime quoad patientem necessario requiri: ratio, inquam, ejusmodi refellitur a S. Thoma loc. cit. in responsione ad primum argumentum: Ergo dicendum, quod in justificatione, quæ fit per Baptismum, non est passio coacta, sed voluntaria; & ideo requiritur intentio recipiendi id, quod ei datur. Quidquid S. Doctor in Summa de hac voluntatis necessitate scribit, jam antea declaraverat in 4. Sent. dist. 6. q. 1. art. 6. qu. 3.*

44. Cum ergo voluntatis, sive intentionis in adulto, quoad Baptismum, necessitas certa sit, is debet ideo interrogari, quo esset animo, aut voluntate, cum ab se non postulatum acciperet Sacramentum; fieri enim potuit, ut in ipso actu intentionem habuerit accipiendi Baptismum, aut quoddam veluti lavacrum in Ecclesia solitum frequentari, aut ut profanam quamlibet lavacri speciem. Nihil prohibet, quo minus ante Baptismum intentio fuerit illius ut  
 lava-

PONT. lavacrum est Ecclesiæ proprium; accipiendi, ea deinde intentione in ipso actu Anno  
 caruerit, cum lustraretur. Contingere item potuit, ut animo, ac voluntate  
 A.VII. extiterit Sacramento contraria, licet modestiam vultus, ac corporis totius 1747  
 compositionem in accipiendo Baptismate præfærret. Nihil demum impedi-  
 mento est, quin ipsa rei novitàate percussus, nulla omnino voluntate, nec  
 assentiendi scilicet, nec abnuendi fuerit; & fieri etiam potest, ut animo  
 prorsus a sacris mysteriis alieno, vel voluntate coacta, & repugnante Ba-  
 ptismum acceperit.

45. Si quis adultus ad salutis fontem accesserit voluntate animatus accipien-  
 di, non quodcumque lavacrum, sed unice Ecclesiæ proprium, ac peculiare,  
 Baptismum esse validum dubitari non potest. Ita *Æt. lib. 4. Sent. dist. 4. §. 10.*  
*In his enim ad veritatem Baptismi, sive ad characteris susceptionem omnino ne-*  
*cessaria est intentio suscipiendi Sacramentum, non tamen ut est lotio quædam in*  
*genere, sed ut talis, qualem frequentat Ecclesia.*

46. Veram si quis Baptismum accipienti voluntate careat, quam  
 alias tamen habuerit, talis suscipiendæ lotionis, qualis in Ecclesia frequenta-  
 tur, tunc examinare oportet, utrum voluntas antecedens, nunquam deinceps  
 retractata, adhuc moraliter perseveret. Nam ubi nulla præcesserit, retracta-  
 tio, & moraliter perdurare intentio videatur, est certe validum Sacramen-  
 tum. Hic casus ad eos spectat, qui ante furorem, vel fomnum, Baptismum  
 petunt, accipiunt veram, dum aut infania vexantur, aut somno indulgent,  
 & hoc genus hominum valide baptizatum dicitur in *Concil. III. Caribag. cap.*  
*14. Non secus accidit S. Augustino amico, qui febris ardore delirans, bap-*  
*tizatus est nesciens, mente, atque sensu absentissimus, ut habetur in lib. 4. Confess.*  
*cap. 4. Is enim cum adhuc inter Catecumenos versaretur, propositum absque*  
*dubio habuerat baptizandi. Ad hanc rem animadversione dignissima verba sunt*  
*Innocentii III. cap. Majores, ad S. Verum, de Baptismo, ubi hæc leguntur:*  
*Dormientes autem, & amentes, si priusquam in amentiam incidere, aut dormi-*  
*rent, in contradictione persisterant, quia in eis intelligitur contradictionis propo-*  
*situm perdurare, si fuerint sic immersi, characterem non suspiciunt Sacramenti: se-*  
*cus autem, si prius Cate humeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi.*

47. Qui vult, atque oculis, ac toto corpore ad modestiam composito, vo-  
 luntate tamen alienissima, ad hoc Sacramentum veniat, is aditum aperit ad  
 controversiam non parvi momenti. Quidquid sit de opinione Caterini, qui  
 sustinet, conferenti exteriorem sufficere compositionem, etiam si non id ani-  
 mo proponat facere, quod Ecclesia solet, de qua opinione multa alibi dixi-  
 mus in nostro Tractatu de Sacrificio Missæ ad part. 4. sect. 2. n. 76. & seqq. Hæc,  
 inquam, opinio minus habet difficultatis, cum non de conferente agatur, sed  
 de accipiente Baptismum. Propositio autem ab Alexandro VIII. damnata;  
 objicit Caterino solita, conferentem respicit, non accipientem: *Valet Baptis-*  
*mus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formaque Baptismi obser-*  
*vat; inius vero, & in corde suo resolvoit, non intendo facere, quod facti Ecclesia.*

48. Quotiescumque sacra hæc mysteria suscipiuntur indifferenti prorsus ani-  
 mo ac proposito, neutra scilicet voluntate, Cardinalis Cajetanus art. 7. in *Sum-*  
*ma S. Thomæ 3. par. qu. 58. admissa in recipiente intentionis necessitate, docet,*  
*intentionem non per se, ut scholæ loquuntur, sed per accidens, necessariam*  
*esse, ut nimirum contraria voluntas, si adfuisset, sublata penitus intelligatur.*  
*Itaque si quis nec assentiens, neutra videlicet voluntate, baptizaretur, cen-*  
*sendus esset Baptismum valide suscepisse. At enim Sotus 4. Sent. dist. 5. qu.*  
*unic. art. 7. Cajetanus vehementissime adversatur, & ea quidem felicitate, ut*  
*plurimos habeat sententiæ suæ Theologos assertores. Silvius t. 4. in 3. p. S. Th.*  
*q. 68. a. 7. postquam rem prolixè discussit, ita concludit: Ex am dictis certum est,*  
*non sufficere, quod quis neque sit volens, neque sit nolens, quia talis non habet*  
*intentionem recipiendi Sacramentum. Valentia tom. 4. suorum Comment. Theolog.*  
*disp.*

PONT. disp. 4. qu. 3. punct. 2., Cajetano valere jussu, adhæret Soto: *Quod si neuter prorsus aliquis esset, id est qui neque vellet, neque nollet suscipere, putavit Cajetanus, si sic baptizaretur, fore Baptismum validum, sed admodum false id putavit, ut multis argumentis probat Sotus.* Consulendus quoque est Card. Lauria lib. 4. Sent. tom. I. disp. II. q. 2. n. 22. & seqq. Cajetanus fulcire studet sententiam tuam auctoritate Decretalis Innoc. III., de qua mox sermo erit, in cap. *Majores; de Baptismo*, ubi leguntur hæc verba, *Tunc characterem Sacramentalis imprimi operatio, cum obicem contrariæ voluntatis non invenit obstitentem*: ubi sentire videtur, Baptismo satis esse, recipienti voluntatem non inelie contrariam. At enim vero animadvertatur necesse est, Pontificem Innocentium respondere quæstioni, utrum amentes baptizari absque consensu possint, ac discernere hoc licere, eorum si consensus adfuerit furori prævius, secus vero, si nullus dementiam consensus præcesserit ac voluntas. Itaque Pontificis postea asserentis Sacramento imprimi characterem, *quando non invenit obicem contrariæ voluntatis*, nemo non videt, hanc mentem esse, Baptismatis haberi effectum, quando quis vel in actu assensum præbeat, vel jam ante præbuerit. Quod si Pontifex ea in sententia fuisse, suscipiendo Baptismati satis esse voluntatem non obstitentem, utique non decrevisset, ut revera statuit, in amentibus voluntatem necessario requiri antecedentem.

49. Demum si Baptismus violenter, atque animo palam contrario suscipiatur, supradictus Pontifex Innocentius III. eadem in Decretali *Majores, de Baptismo*, distinctione utendum judicat. Etenim eos, qui minis, ac terrore correpti violentiæ cedunt, Baptismum, ut sibi consulant, suscipientes, ab iis distinguit, quibus, vi etiam illata contradicentibus palam, & reluctantibus, hoc Sacramentum per vim confertur. Decernit autem in primo casu, non in secundo, Baptismatis imprimi characterem: *Is, qui terroribus, atque suppliciis vehementer attrahitur, ne detrimentum incurrat; Baptismi suscipit Sacramentum, sicut & is, qui fide ad Baptismum accedit, characterem suscipit Christianitatis impressum*. Et ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti, quia plus est expresse contradicere, quam minime consentire: sicut nec ille notam alicujus reatus incurrit, qui contradicens penitus & reclamans, thurificare Idolis cogitur violenter. Distinctio ejusmodi occurrit quoque in Glossa Canonica in *Can. de Judæis ad verbum, coacti sunt, disp. 45. in cap. Majores §. Item queritur, ad verbum, conditionaliter, de Baptismo*, & in *cap. Contra Christianos, ad verbum, absolute, de Hæreticis, in sexto*.

50. Examen porro si haberi debeat de adulti proposito, aut voluntate, cum Baptismum accepit, is profecto est ante cæteros audiendus, & interrogandus; cavendum tamen, ne inconsulto fideis eidem illico habeatur, ubi responderit, se baptizatum non libere, sed invito. Fieri enim potest (nec casus sane hic metaphysicus est) ut ipso in actu intentionem habuerit sufficientem, Diabolicis deinde stimulis incitatus, & victus, ad vomitum rediturus mendacium proferat, & de intentione interrogatus nigrum pro albo, ut inquirunt, repræsentet. Qui in foro, in Curia, in Republica versatus est, non ignorat, & sæpe alias contigit, & frequenter usavenire, ut Sacris Ordinibus initiati, ac vitam Regularem professi, enixe postulent contractis a vinculis solutionem, distantes nimirum, & nonnunquam jurejurando affirmantes, sese illo tempore, aut nullam penitus intentionem, aut omnino contrariam habuisse. In hoc rerum statu quid solet consilii capere Judex cautus, & prudens? Clamores aspernatur, respuit jusjurandum, nisi hoc idem comprobent adjuncta plurima, & circumstantiæ antecedentes, comitantes, & subsequentes, & eæ quidem momenti sint ineluctabilis, & inconcussi. Hac profecto ratione, hoc examine, hac diligentia opus est, ubi adultus post Baptismum aut intentionem sibi fuisse pernegat, aut non idoneam, minimeque sufficientem extitisse contendit.

51. Quod si nulla sit reliqua dubitatio; planeque constet hac luce clarius, adul-

PONT. adulto Baptismum accipienti nullam prorsus fuisse voluntatem, aut intentionem, nil restat aliud, quam eundem & hortari, & admonere, ut rite id faciat, quod jam irritum fecit; suscipiat absolute, ac libere Sacramentum, ac si

A.VII. 1747

obstinate repugnet, tum nihil aliud superest, nisi ut remittatur. Si autem res in dubio sit, nec intelligi possit, an defuerit intentio, an sufficiens adfuerit necne, adultus tum retinendus, baptizandusque *sub conditione*: S. Thomas 3. par. qu. 68. art. 7.; ubi, ut antea diximus, in Baptizato intentionis necessitatem probans, hoc sibi objectum proponit secundo loco: *Cum de intentione Baptizati non constet quilibet possit petere; se denuo baptizari, propter intentionis defectum. Non videtur ergo, quod intentio requiratur ex parte baptizati, ut suscipiat Sacramentum*: atque ita respondit. *Dicendum ergo, quod si in adulto defuerit intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus; si tamen hoc non constaret, esset dicendum, si non es baptizatus, ego te baptizo.*

52. Demum quotiescumque aliqua ex parte de collato Baptismate dubitetur aut in facto, aut in jure; cum ex facto articulus juris oriatur, de quo nihil adhuc certi Ecclesia statuit, Theologorum autem, scriptorumque sententiæ divisæ sunt Hebræus jam lustratus non remitti, sed retineri debet, & baptizari *sub conditione*, juxta regulam Alexandri III. in cap. De quibus, sub tit. de Baptismo: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: Non te rebaptizo, sed, si nondum baptizatus es, ego baptizo te.* Hi porro ita baptizati, tenentur omnino fidem Catholicam observare, eorum instar, qui minis, ac terrore adducti, suscipiendo Baptismati assensum libere præbuerunt: vide cit. cap. Majores 8. Verum, de Baptismo. *Et ipse tamquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est tamen ad observationem Fidei Christianæ.* Et prolixius in Can. de Judæis, ad dist. 45. Ubi sic legit. *Oportet, ut Fidem, quam etiam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, & Fides, quam susceperunt, vilis, & contemptibilis habeatur.*

53. Statutum hic nobis fuerat, epistolam terminare, sed deinceps audivimus operæ pretium esse, quædam quæstiones solvere huc spectantes, quarum usus haud infrequens esse solet. Tenemur itaque huic epistolæ additamentumnectere, & opportunius hoc fore existimamus quam opus jam perfectum retinere, aut fasciolas, ut dici solet, ac frustula infarcire.

54. Superius, hoc est num. 40. e vico evocandum, tradendumque Christianis diximus, eum, qui nuncio haud dubio, sed certo & indubitato delatus est, & dedisse, & adhuc exhibere indicia desiderii, quo flagrat, suscipiendi Baptismatis. Hoc præmissis, in præsentia quaritur, quandonam ejusmodi denuntiatio, tuta, minimeque dubia habenda sit? Cum non de adulto ad salutis fontem ultro se conferente, sed de eo nunc sermo sit, quem alii significant Baptismum votis omnibus exoptare, jam patet non posse quæstionem solvi, nisi decernatur, cujusmodi & quot esse testes debeant, eorum ut denunciatio non incerta, non anceps, sed fide dignissima existimetur.

55. Regula generalis, quam Te non ignorare compertum habemus, aperte jubet non unius testimonio haberi fidem. Hæc vero jure Divino innititur, in ore scilicet, duorum vel trium, stabit omne verbum, concordat jus Pontificium in cap. Veniens 10. & cap. Licet universi 23. de testibus, & jus Civile in leg. Jurisjurandi C. de Testibus. Aliquæ porro sunt hujus regulæ limitationes, quarum unam paulo ante produximus, nimirum collationem Baptismi unius testimonio probari; præter hanc si quis alias unde triginta legere cupiat, Speculatorem adeat tit. de testibus num. 8. Nobis in præsentiarum satis erit earum unam memoravisse, rem nempe aliquam unico etiam teste probari, dum is tamen sultus haud dubiis indiciis fuerit, & claris oppido conjecturis: ita Farinaccius de test. q. 63. cap. 1. num. 35. Pac. Jord. elucubr. lib. 14. tit. 18. n. 66. Panimoll. dec. 23. annot. 5. num. 18. Quoad testium conditionem, usus invaluit, tau



PONT. tam in judiciis Canonicis, quam civilibus, admitti mulierum testimonia, ut ANNO apud *Tiraquell. de legib. connub. leg. 9. n. 64. & seq. Farinac. de test. qu. 59 per tot.*

A.VII. *Pac. Jord. loc. cit. num. 529. Pirhing tit. de test. n. 66. & 69. Anacle. ad eundem tit. n. 84. Sperell. dec. 81. n. 45.* Quidquid hætenus dictum est, probatum fuit, ut inquit, a principiis, videre qui cupiat, suffragium perlegat admodum elaboratum, & 19. Julii 1709. typis editum a bon. mem. Præfule Frolini Pisfarum Archiepiscopo in quadam controversia, quæ ipsi cum illius Civitatis Hebræis intercessit. 1747

56. Ut ergo regulæ hæ generales in quæstione proposita locum habeant, cavendum est, ne inconsulto ac temere quidquam fiat, si testes Hebræum aliquem serio Baptismum petere significaverint. Ac in primis videndum, num index, sive mas, sive fœmina fuerit, certæ sit probatis, ac notæ fidei, deinde examinari debet, & admoneri de gravitate jurisjurandi; tum ejus examen est describendum, cui & Judex ipse subscribat necesse est. Si duo inter se testes concordent quoad locum, tempus, & occasionem, in qua Hebræus suscipiendi Baptismatis voluntatem aperuit, tunc prudentis erit Præsidis, Hebræum ad Catechumenos evocare, eundemque ibi ad dies duodecim detinere, ut non minus rei veritas, quam voluntatis constantia cognoscatur. At cum rem denuntiant, an duo testes singulares, aut unus tantummodo, sed fide dignus, & omnem citra dubitationem idoneus, & multo magis si adimniculis suffultus, tunc habito, ut diximus, testium, vel testis examine, non oportebit Hebræum ad Catechumenos ducere; sed Judex Catholicus, qui Romæ est Vicesgerens pro tempore, ejus voluntatem extra vicum, vel domi suæ, vel in Templo aliquo semel, atque iterum, aut etiam pluries explorabit, ut Hebræi consilio clare perspecto & cognito, eum tuto jubeat, aut ad vicum remitti; aut Catechumenis recenseri.

57. Neque id vero recens inventum est, sed decretum a Congregatione Sancti Officii anno 1727. cum adhuc in minoribus eadem in Congregatione Consultoris munere fungeremur; itemque hoc postea confirmavit per Literas Apostolicas die 14. Februarii anni prædicti Benedictus Papa XIII. fel. rec., cujus in Nos beneficentia haud parva fuit: ejus Decreti verba talis sunt: *Feria 4. die 7. Februarii 1727.* „ In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Conventu Sanctæ Mariæ super Minervam coram Eminent. & Rev. Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sede Apostolica specialiter deputatis: Cum plures exortæ sint controversiæ super intelligentia, & executione Decreti ab hac Sacra Congregatione æditi die 8. Julii 1641. quoad Hebræos utriusque sexus denuntiatos de eorum animi declaratione suscipiendi Baptismum; Eminent. & Rever. Domini Cardinales Generales Inquisitores prædicti dictum Decretum declarando, & quatenus opus sit, reformando, in posterum illud sequenti modo exequi mandarunt, & decreverunt: nempe quod Testes, qui Hebræos denuntiabant, sive mares, sive fœminas de declaratione animi suscipiendi Baptismum, per Notarium, juxta interrogatoria generalia ab R. P. D. Vicesgerente præscribenda, cum speciali monitione relevantiæ Juramenti, in scriptis coram eodem R. P. D. Vicesgerente, & eo impedito, coram ejus Auditore, examinentur; qui etiam examen præfatum subscribere debeant, & quatenus duo Testes sint de loco, tempore, & occasione testes, tunc denuntiati ad domum Catechumenorum duci, & collocari in loco separato, ad hunc effectum destinato, in eoque per duodecim dies detineri possint, ut super veritate, & constantia declarationis eorum voluntatis suscipiendum Baptismum explorentur. Si autem Testes erunt singulares, vel unus adesset Testis idoneus, & fide dignus, tunc denuntiati, non statim post denuntiationem, & Testium examen ducendi erant ad domum Catechumenorum, sed per R. P. D. Vicesgerentem extra Ghetem;

„ vel



PONT. „ vel in ejus domo, vel in aliqua Ecclesia, vel alio loco sibi bene viso, & intra Anno  
 „ tempus necessarium, & opportunum juxta facti speciem & circumstantias,  
 A.VII. „ pro arbitrio, & prudentia dicti R. P. D. Vicegerentis, eorum voluntas ex- 1747  
 „ ploranda erit.

58. Hanc alia quæstio sequitur ad sponsas pertinet, atque conjuges Hebræorum, quæ viri jam Christiani, aut sponsi opera Fidei Catholicæ offeruntur. Nulla Judæorum querela est, quod a viris, aut sponsis Christianidelibus sponsæ, aut conjuges ad lavacrum Sanctissimum offerantur; non enim nesciunt vel ipsi Hebræi, nullam hanc invitamenti, vel adhortationis specie violentum includi, ita ut si mulier Baptismum respuat, matrimonium in Judaismo contractum omnino solvatur, teste Apostolo 1. ad Corinth. cap. 7. & juxta *Decretalem Quanto, de divortiiis*, quæ quidem matrimonii solutio fit statim ac Judæus (Ecclesiæ gremio admissus transit ad alias nuptias, ut a Nobis longa disceptatione probatum est, cum in Congregatione Concilii a Secretis essemus, in quadam Causa Florentina proposita 27 Julii 1726., ut videre licet in tom. 3. *Thessauri resol. pag. 346. & pag. 350. & seq. ac tom. 4. pag. 30. & seq.* Quando infidelis ad Christum conversus transitum facit ad alias nuptias, an eadem sit libertas conjugi infideli alias contrahendi nuptias, res adhuc in dubio est. Sententiam negativam sustinet Pontius de *matrim. lib. 7. cap. 42. n. 25.* Affirmativæ adhæret Sanchez de *matrim. lib. 7. disp. 77. n. 6.* Utramque probabilem Diana existimat in *edit. coordinata de matrim. tom. 2. resol. 122. tract. 6.*

59. Illud quoque Hebræis est probe cognitum, conjugem vero esse obnoxiam, ejusdemque in potestatem constitutam, quod legunt *Genes. cap. 3. Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Iphis præterea compertum est sponsalia plurimum a matrimonio differre, cum hæc non sint aliud, quam futuri promissio matrimonii, ut in *Can. Nostrates 30. qu. 1. & in leg. 1. ff. de spons.* quod & colligitur ex historia Jacobi *Genes. cap. 29.* qui servitutem servire Labano debuit ad statum tempus, ut uxorem duceret promissam sibi Rachelem. Non id audeat Hebræorum quispiam inficias ire, juxta eorum mores, per sponsalia jus quoddam Sponso, & auctoritatem in Sponsam dari forsitan etiam majorem illa, quam Christianidelis habet in Christianam mulierem sibi desponsatam. Nam jure Pontificio gravis est reus culpæ, non adulterii, qui aliena cum sponsa turpi consortio jungatur, ut Nos alibi demonstravimus in *nostra Notificatione V. tom. 3. pag. 65. edit. Bonon.* At apud Hebræos, ex veteri instituto, quæ rem aliena cum sponsa habuerit, non impudicus dicitur, sed adulter, ut post *Seldenum lib. 2. Uxor. Hebr. cap. 1.* animadvertit Calmet in *sua dissert. de Connubiis Hebr. & adhuc in præfens apud Hebræos scelus, quo de nunc agimus est capitale, ut observat Card. de Luca de matrim. in disc. 9. nu. 15.* quem habuit de quorundam Judæorum Romæ connubio. Igitur quemadmodum cum ad fidem accedunt, qui potestatem in filios aut filias habent, eorum oblationem Ecclesiæ libere, ac jure faciunt; ita vir, aut sponsus Christi legem amplexus jure optimo oblationem facit suæ vel uxoris, aut sponsæ, in quam jus a Legibus, & auctoritatem sibi concessum habet. Facta hæc vero oblatio nec sane potest nec omnino debet a Christianidelibus recusari, qui tenentur nulli parcere diligentia, nullique studio, ut Christiana veritas jam viro, aut sponso cognita, uxori quoque, aut sponsæ lucem afferat, ac salutem, eo vel maxime quod Romani Pontifices licet Judæis vim fieri quoad Religionem severe prohibeant, palam tamen significant, nihil sibi antiquius esse, optabilius nihil, quam ut iidem aliquando e tenebris ad lucem, ab errore ad veritatem veniant; ideo semel in singulas Hebdomadas iis publice Evangelium annuntiari, eisdemque jubet Sacris hæc concionibus interesse, ut apparet in *Constit. 1. Nicolai III. & Constit. 176. Gregorii XIII.*

60. Verum quamquam Hebræi de uxorum, sponzarumque oblatione nec conquerantur, nec conqueri possint; queruntur tamen, ut primum Hebræorum

PONT. aliquis ad Fidem profectus, aut profecturus, suam offert Ecclesiæ sponfam, ANNO  
 quod hæc illico evocatur, domumque Catechumenorum transfertur, ubi qua-  
 A. VII. draginta dierum spatio detinetur. Clamat in casu ejusmodi nimiam Christianos 1747  
 incertis vocibus habere fidem, & imprudenter agere, priusquam ullis proba-  
 tionibus demonstratum fuerit, sponsalia rite ac valide contracta fuisse. Hinc  
 dicuntur damna, turbationesque oriri plurimas, cum non semel evenerit, ut  
 Hebræus infima de plebe aliquis, mulieris, aut virginis amore flagrans, & di-  
 vitis, & honestæ, desperans vero eam in Judaismo ducere uxorem posse, id  
 consilii cœperit, contracta nempe sponsalia falso, ac temere venditate, illu-  
 strum ut ad thalamum perveniret.

61. Magnus ille Prædecessor Noster S. Gregorius laudabili semper methodo,  
 & incorrupta justitia in Hebræorum negotiis usus est. Consule *ejus epistolam*  
*25. lib. 8. Indict. 1. ultim. edit.* Victori Episcopo Panormitano datam: *Si igitur*  
*querimonia eorum veritate fulcitur, oportet, ut Fraternalitas Vestra, legis serie di-*  
*ligenter inspecta, ita eis quidquid hac de re decretum est, custodire debeat, ac*  
*servare, ut nec ipsa aliquid injustum facere, nec illi pati præjudicium videantur.*  
 Sed admonet eodem tempore, ut facta diligenter accurateque perpendantur,  
 ad veritatem rei a Judæis propositæ cognoscendam, ut colligitur ex alia ejus  
 epistola ad Fantinum Panormi Defensorem missam, quæ 55. est, lib. 9. *Indict.*  
 2. ubi legitur, *ne forte in eorum sola voluntate versari præjudicium videretur.*  
 A S. Gregorio edocti, ne ullam his de Sponsalibus diligentiam prætermisisse  
 videremur, Seldenum, Buxtorfium, Leonem Modena, & alios Scriptores con-  
 sultendos diducavimus. Decreta quoque percurramus, quæ alias in casibus hu-  
 jusce generis a Congregatione Sancti Officii emanarunt. Sed auctorum lectio  
 prædictorum, quam Nobis utilis extitisset exornandæ dissertationi pro aliqua  
 ex Academiis Ecclesiasticis, quæ coram Nobis singulis hebdomadis haberi so-  
 lent: tam plane inutilis, ac supervacanea fuit certo ac tuto decernendo siste-  
 mati, quod maximopere optabamus. Ex prædictis Decretis, quorum princi-  
 pium est ab anno 1725. licet illud intelligatur, quod si sponsus Hebræus jam  
 Christianus sponsæ adhuc Judææ oblationem fecit, hanc inter Catechumenos  
 ad quadraginta dies detentam fuisse; nullo tamen modo cognosci potuit, an,  
 & qua ratione sponsalia probata fuerint, itemque, an eorum probatio solius  
 sponsi, vel plurim testimonio inniteretur: an demum quodlibet mutux spon-  
 sionis genus existimatum fuerit verus, ac legitimus sponsaliorum con-  
 tractus.

62. Doctor Paulus Mediceus in suo Tractatu de Hebræorum ritibus ac insti-  
 tutis, quorum ipse peritissimus erat, quippe qui e Mosaica ad Christianam  
 Legem transferat *cap. 27. de sponsalibus agit, & matrimonio Judæorum, &*  
*id, ut paucis dicam, ostendit, in hoc instituto non admodum a Christifideli-*  
*bus differre Hebræos. Nam hanc apud eos consuetudinem esse testatur, ut scri-*  
*ptura conficiatur, in qua parentum alteruter filiam suam aut puellam, aut*  
*viduam promittit sponso; hic autem eam se ducturum pollicetur. Tempus*  
*quoque decerni solitum, in quo nuptiæ celebrentur. Contractui demum sub-*  
*scribere tum sponsus, tum duo prætereâ testes de more debent. Sed quia He-*  
*bræi eorum, qui Christi fidem amplexi sunt, dictis, ac testimonio ægre acquie-*  
*scunt, ideo Nos veritatis apprime cupidi, cuidam familiari nostro jurisperito*  
*mandavimus, ut convocaret in unum Judæos aliquot, quorum unus jam pri-*  
*dem Nobis, cum adhuc Anconæ Ecclesiam gubernarem, est probe cognitus,*  
 & in Mosaicis ritibus egregie versatus. Ex eo autem conventu ea, quæ se-  
 quuntur, evicta sunt.

63. Primo, semper sponsalia contrahi inter virum, & parentes mulieris,  
 aut inter virum, & mulieris propinquos, si parentes mulieri desint; mulie-  
 rem sponsalia non contrahere pudoris causa & honestatis, imo contractum,  
 qui Hebraicè dicitur *Tenaim*, scæminæ plerumque ignotum esse, quæ postea  
 ex-



PONT. explicite præbet assensum suum in solemnibus nuptiarum celebratione Hebraice Anno nuncupata *Kiddusim*.

A. VII. 64. Secundo, sponsalibus hac ratione contractis obligari utramque partem; 1747 cum autem consensum parentes tantum mulieris, aut consanguinei præbuerint, non vero femina, ideo hanc, si dissentiat, minime cogi posse, & dissentientem non contractum frangere, sed peccare graviter juxta Hebræos, debitam nempe obedientiam parentibus, aut majoribus denegando.

65. Tertio, contractum dici obligatorium, & absolutum, cum a viro, ac feminae parentibus sponsio facta est, ac descripta, nec non testibus confirmata aut duobus, aut pluribus. Hic contractus Romæ describi solet Notarii opera, alibi a Judæis Hebraice.

66. Additur, contractum dici pariter absolutum, cum pars utraque, vel privatum, vel coram Rabino sponsonem firmant jurejurando, coram duobus, aut pluribus testibus, & sponsonem insuper describi jubent. Quod si vel absque scripto, & testimoniis, aut coram testibus tantum sine jurejurando sponsio facta fuerint, tunc neque obligationem inducit, nec contractum perficit sponsaliorum, ita ut pars utraque libera omnino sit; at si de sponsione constet, & de juramento per testes, tunc recedere licet utrique parti, dummodo præviam a Rabino impetrent absolutionem a juramento.

67. Hæc Hebræorum ex conventu collecta sunt. Hinc vero deducitur, duobus tantummodo supradictis modis contracta sponsalia inter Judæos haberi valida, atque obligatoria. Mutuæ igitur viri, ac mulieris sponsones, epistolæ, aut schedulis expressæ nihil ad effectum, de quo quæritur, valent; ac multo minus munera, vestes, & nuptiarum apparatus. Non probato autem, quod sponsio uno vel altero ex supradictis modis facta fuerit, si copula sequatur ante *Kiddusim*, seu matrimonium, utraque pars ad contrahendum obligatur, non quidem contractus vi, sed commissi sceleris pœna, & ut crimen admittitur luatur.

68. Si de sponsaliorum validitate, aut invaliditate, itemque de obligatione, aut contra, deberet judicium fieri, res autem inter Hebræum, & Hebræam intercederet, æquum esset sententiam ferre legibus consentaneam, & consuetudinibus Hebræorum; communis enim, & probata opinio est, in judiciis hujusmodi oportere non juri Pontificio, vel civili, sed legi, & Mosaicæ consuetudini adhærere, Marquard. *de Judæis part. 2. cap. 4.* Ricciul. *de jure pers. lib. 2. cap. 18. num. 7.* Sessa *de Judæis cap. 33. num. 6.* Card. de Luca *de Matrim. discurs. 15. num. 3.* In præsens vero res in disceptationem venit ad Hebræam pertinens, & ad Hebræum jam CHRISTO servientem, aut inservire optantem: negotium nempe agitur sane maximum, quod ad Christianam summo opere pertinet Religionem. Consilio igitur prudenti admodum opus est ac salutari. Nos autem re diu ac multum considerata, hoc, quod sequitur, opportune decernendum existimavimus.

69. Quotiescumque sponsus Hebræus Christianæ Religionis nomen dare staverit, & Evangelio sponsam offerat, Tuum erit, eum prudenter interrogare, vel ut ab aliis interrogetur, imperare, quomodo sponsalia probentur, neque enim decet ejus affirmationi unice habere fidem. Editas sponsaliorum probationes Tuum pariter munus erit examinare, aut alicui prudenti viro examinandas tradere. Argumenta sponsalibus comprobandis idonea erunt, si tanti esse ponderis, & momenti videbuntur, ut contracta inter Catholicos sponsalia iisdem rationibus evinci aperte ac tuto valeant. Apud Christianos scriptura non opus est, cujus defectus testium auctoritate suppleri solet, adhibitis etiam censuris, cum quis post Canonicas admonitiones sponsonem vel sine juramento factam implere negat. Sponsaliorum itaque probationes si tales fuerint, ut modo diximus, antiqua tibi methodus, quæ usui erat ante annum MDCCXXV. adhibenda est; e vico scilicet evocanda mulier, & semel atque

PONT. iterum, aut quamdiu opportunum duxeris, ejus voluntas in templo aliquo, ANNO  
 A.VII. quenda, si respicere nolit, aut inter Catechumenos retinenda est, ut instrua- 1747  
 tur, si conversionis certa spes aliqua oboriatur.

70. Cum aut sponsus, aut alius quilibet fide dignus ejusmodi argumenta proferat, quibus plane constet, sponsalia ita, ut supra diximus, contracta fuisse, nempe apud ipsos Hebræos valida, atque obligatoria; ad Te spectabit, sponsam illico inter Catechumenos collocare, ubi tandiu versabitur, quamdiu necesse erit, dummodo quadraginta dierum spatium non superetur; intra enim hos limites procedere absque dubio putamus supradicta Decreta, quæ initium habent ab anno MDCCXXV.

71. Inter Cassiodori epistolæ Regis Theodorici nomine exaratas, septima supra trigessimam ad Hebræos Mediolanenses transmissa fuit, in qua iis significatur, hoc decretum fuisse, quod nimirum *nullus Ecclesiasticus, quæ Synagoga vestra jura competunt, violentia intercedente pervadat, nec vestris se causis importuna acerbitate permisceat, sed ut religionis cultu, ita & actuum sint conversatione discreti*. Et hoc idem Nos hætenus facere procuravimus. Eadem præterea epistola admonentur Judæi, ne ingrati sint, Christianorum æquitatem temere abutentes: *Hac tamen moderatione Principalis auxilii beneficium concedentes, ut nec vos, quod ad præfatæ Ecclesiæ jus, vel religiosas personas cæteras, legibus pertinere constiterit, invidiosè attractare tentetis*. Et id quoque Nos adde non prætermittimus. Experimento enim didicimus, cum Hebræus palam declarat, Christianorum se velle institutis, ac legibus obtemperare, a Synagoga, si ejus voluntatem nequeat immutare, rationem, aut potius fraudem excogitare de more aliquam, celare scilicet, aut alio mittere eum, qui a bono proposito deterreri non potest. Cum vero sponsus Christiano se nomini devovere statuit, statim id Synagoga efficit, ut sponsa pervicaci aliquo cum Hebræo matrimonii vinculo copuletur, aut ut omnes illico evanescant sponsaliorum rationes, probationesque. Hi porro eventus cum metaphysicos non esse scias, ideo severitatis erit ac vigilantia tua, remediis, ac pœnis etiam, si opus fuerit, Hebræorum principes in officio continere, ut fraus mulctetur, ac rerum perturbatio tollatur. Hæc sunt, quæ nostra hac epistola explicanda duximus, quibus ut feliciter utaris, paternam tibi ex animo Apostolicam Benedictionem impertimus.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 28. Februarii MDCCXLVII. Pontificatus Nostri Anno Septimo.



PONT.

N U M . L X I .

ANNO

A M P L I A T U R

1747

A.VII.

*Episcopis Facultas impertiendi benedictionem cum Indulgentia Plenaria Fidelibus in mortis articulo constitutis, etiam per alios, tam in Civitatibus quam in Diocæsis, ab ipsis subdelegatos.*

B E N E D I C T U S E P I S C O P U S

S E R V U S S E R V O R U M D E I .

*Ad perpetuam Rei Memoriam.*

**P**IA Mater Catholica Ecclesia, de paterna Filiorum suorum salute in primis sollicita, quum hanc intelligat ab extremo ipsorum mortis articulo potissimum pendere, nunquam prætermisit omnibus eos subsidiis pro hujusmodi temporis necessitate opportunis juvare atque instruere, tam iis nimirum,

PONT. rum, quibus opus esset ad æterna præcavenda supplicia, quam quæ apta & ANNO  
 salubria forent ad evitandas pœnas temporibus definitas, quas in altera vita  
 A.VII. humanis plerumque spiritibus, etiam dimisso mortalis culpæ, æternæque pœ- 1747  
 næ reatu, in Purgatorio igne luendas manere non ignorat. Quamobrem, li-  
 cet ex veteri simul & recenti Ecclesiæ disciplina, graviorum quorumdam cri-  
 minum absolutio Romano dumtaxat Pontifici in universo Christiano Orbe, a-  
 liorum autem singulis Ecclesiarum Præsulibus in eorum Diœcesibus, reservata  
 fuerit, attamen adveniente unicuique Fidelium supremo migrationis die, om-  
 nes hujusmodi absolutionum reservationes cessare, & cuilibet Sacerdoti liberam  
 & plenam facultatem esse quæcumque pœnitentem a quibuscumque peccatis  
 & criminibus, nec non Ecclesiasticis sententiis atque censuris absolvendi pro-  
 vide declaratum fuit. Præterea quum in Ecclesia immensus & inæstimabilis exi-  
 stat Thesaurus spiritualis, ex infinitis constans satisfactionibus Passionis & mor-  
 tis Domini Nostri JESU CHRISTI, ac præterea ex meritis & satisfactionibus  
 gloriosæ Virginis Genitricis Dei Mariæ, omniumque Sanctorum & Electo-  
 rum, cujus Theauri dispensationem Salvator Noster Beato Petro Apostolorum  
 Principi ejusque in perpetuum Successoribus tradidit; hoc semper summo stu-  
 dio curarunt Prædecessores Nostri Romani Pontifices, ut illius divitias in mor-  
 ribundos Fideles large diffunderent, & maxima omnium amplitudine, quæ In-  
 dulgentia Plenaria nuncupatur, cujusque impertiendæ jus in Apostolica Sede  
 unice residet, ipse potissimum applicarent. Quam quidem in rem Episcopis  
 per Ecclesias constitutis vices suas cum opportunis facultatibus delegarunt; ne  
 ullus in Orbe Terrarum angulus eiset, ubi Catholicæ Religionis professoribus  
 hujusmodi adjumenti copia deesset, pro extremo illo momento, quo ipsorum  
 salutis causa in discrimen adducitur.

Hactenus hujusmodi facultas Episcopis concedi consuevit, Pontificis no-  
 mine & auctoritate, per privatas Epistolas ipsius Secretarii Brevium secreto-  
 rum, qui exposita Pontifici petitione pro parte cujusque Episcopi, & pro  
 spiritali utilitate ipsius Subditorum ad se delata, rescribere solebat, petitam  
 facultatem ab ipso Pontifice eidem indulgeri ad *Triennium proximum*; hacta-  
 men lege, ut ipse ea uteretur, nimirum Benedictionem impertiret, & Indul-  
 gentiam Plenariam ægrotis in mortis articulo constitutis largiretur *per se ipsum*  
*immediate*, vel, quatenus Episcopum suffraganeum haberet, *per Dominum Suf-*  
*fraganeum suum*, nec, nisi necessitate cogente, & quidem nocturno tempore,  
 alium Sacerdotem in singulis peculiaribus casibus subdelegare posset -- *Ubi ve-*  
*ro præcisa necessitas exegerit, ac insimul noctis tempore dumtaxat, idem permit-*  
*tit, ut alicui Sacerdoti pio, per Dominationem Vestram qualibet vice eligendo &c.*  
*communicare valeat* -- Quo vero ad Moniales, Ordinarii earum Confessarii ope-  
 ra in eum finem uteretur.

Hanc porro facultatem, prout in hujusmodi Literis concedebatur, Ecclesia-  
 rum Pastores jamdudum judicarunt angustis nimium limitibus circumscriptam,  
 non solum ob breve Triennii spatium ipsi præfinitum; verumetiam quia, pro-  
 pter relatas leges circa illius usum præscriptas, ab hujusmodi Indulgentiæ Ple-  
 nariæ beneficio excludi videbant plerisque fideles sibi subjectos, præsertim ve-  
 ro eos, quos extra ipsorum Residentiæ locum, & in remotis Diœcesum regio-  
 nibus infirmari contingeret; nec defuerunt instantiæ Vicariorum Capitularium,  
 & Vicariorum Apostolicorum, sicut etiam Prælatorum inferiorum Territorium  
 separatam habentium, cum activa in Clerum & Populum jurisdictione, qui  
 eandem facultatem Episcopis concedi solitam, sibi quoque tribui postularunt;  
 Quibus de rebus actum fuit die XXI. Novembris MDCCX. in Congregatione  
 S. R. E. Cardinalium Indulgentiis & Sacris Reliquiis præposita, cujus Con-  
 sultoris officium in minoribus tunc constituti obtinebamus; sed nihil tunc tem-  
 poris est innovatum, resque in priori relicta fuit.

Cum vero deinceps alterum quoque munus Secretarii Congreg. Decr. Conc.  
 Trid.

PONT. Trid. interpretis Nobis in minoribus pariter degentibus demandatum fuisset; ANNO  
 instante Episcopo Mazariæ tunc existente, duo Dubia eidem Congr. definien- 1747  
 A. VII. da proposuimus, unum videlicet, an stante dispositione præmissarum Episto-  
 larum Secretarii Brevium, ut scilicet Episcopus pro impertienda Monialibus  
 Benedictiõne, & Indulgentia Plenaria eisdem in articulo mortis applicanda,  
 earum Confessarii opera uteretur, licitum sit Episcopo, Monasterii Clausura  
 ingredi, ut hujusmodi pium opus per se ipsum adimpleat; alterum vero, qua-  
 tenus id Episcopo permittatur, an, & a quibus comitatus Monasterium ingredi  
 debeat; super quibus, perpenso Folio a Nobis pro hujusmodi quæstionum elu-  
 cidatione de more exarato, die x. Maji anno MDCCXXVII., responsum fuit,  
 ad primum: Licere Episcopo, quoties voluerit, ad impertiendam Benedictio-  
 nem Moniali in mortis articulo constitutæ Monasterium intrare. Ad secundum;  
 Episcopo ad hunc effectum intra Monasterii septa se conferenti comites esse  
 debere Confessarium ordinarium ipsius Monasterii, aliumque Sacerdotem ipsius  
 Episcopi arbitrio eligendum. Rescripto autem additum fuit: *Et ad Dominicæ  
 Secretarium cum eminentissimo Secretario Brevium*; quibus nimirum verbis Nobis  
 demandatum fuit, ut cum bonæ memoriæ Cardinali Oliverio nuncupato,  
 tunc Brevium secretorum Prædecessoris Nostri Benedicti Papæ XIII. Secretario,  
 ageremus, pro ampliacione facultatum in memoratis Epistolis contentarum,  
 quarum formulam a Nobis in Folio tunc eidem Congr. ut præfertur, exhibitio-  
 ne integre insertam, ipsa Congr. paulo arctioribus conclusam limitibus judicavit.  
 Neque porro omisimus injunctum Nobis onus agendi cum præfato Cardin.  
 Brevium Secretario quamprimum implere; verum quum paulo post ab eodem  
 Benedicto Prædecessore in Collegium S. R. E. Cardinalium cooptati, ad regen-  
 dam Episcopalem Anconitanam Ecclesiam Nos contulerimus, ex qua biennio  
 post ad Metropolitanam Bononiensem translati fuimus, non licuit Nobis ne-  
 gotium istud ad optatum finem perducere. Interim vero, quum non minus  
 pro Anconitano, quam pro Bononiensi Populo hujusmodi facultatem Indul-  
 gentiæ Plenariæ moribundis Fidelibus impertiendæ ab Apostolica Sede, ut par-  
 erat, expetitam, juxta consuetam formam, ac superius enunciatis limitibus  
 circumscriptam obtinuissimus, ipso statim usu, & propria experientia, in eas  
 incidimus difficultates, quæ & anno MDCCX., ut præfertur, in Congrega-  
 tione Sacris Reliquiis & Indulgentiis præposita, a Nobis tamquam Consultore  
 propositæ fuerant; quæque deinceps anno MDCCXXVII. alteri Congregationi  
 Cardinalium Conc. Trid. interpretum a Nobis etiam, pro Secretarii munere,  
 expositæ, causam dederunt memoratæ consultationi cum Secretario Brevium  
 introducendæ. Etenim tum in Anconitanæ, tum vero in amplioris Bononiens-  
 sis Ecclesiæ regimine animadvertimus, ob interditam Nobis hujusmodi facultatis  
 subdelegationem, omnes plerumque Diocesis habitatores hoc tanto spiri-  
 tuali beneficio summis suis temporibus orbatos manere; & quidem irrepara-  
 bili damno, deficientibus per Diocesim Collegiis Clericorum Regularium Mi-  
 nistrantium Infirmis, quibus a felicis recordationis Prædecessore Nostro Ale-  
 xandro Papa VII. per Literas die xv. Januarii anno MDCVI. datas, & per-  
 petuo valituras, indultum fuit, ut Christi-fideibus in mortis articulo constitu-  
 tis Benedictiõnem cum Indulgentia Plenaria impertiri valeant; nec aliis ex-  
 tantibus Cœnobiis Regularium, quibus, pro Confratribus piarum quarundam  
 Societatum ab eorum Ordinibus institutarum, similia Indulta & Privilegia ab  
 Apostolica Sede concessa fuerunt. Quod vero spectat ad Incolas ipsius Civita-  
 tis, si quidem hæc, ut Bononia est, frequenti Populo sit referta, quum fac-  
 ultas substituendi non aliter in præfata Epistola tribuatur, quam in casu præ-  
 cisæ necessitatis cum nocturno tempore conjuncto, cum magno animi Nostri  
 dolore experti sumus Paternæ hujusmodi charitatis actus erga dilectos in Chri-  
 sto Filios Nostros, non ea assiduitate, qua cupiebamus, per Nos ipsos præstari  
 posse. Nam præterquam quod necesse habebamus nonnullis per annum mensi-  
 bus

PONT. bus a Civitate abesse, ut, juxta præscriptum Sacræ Tridentinæ Synodi; si non ANNO  
 totam, saltem aliquam illius amplæ Diocesis partem singulis annis coram in-  
 A.VII. visendo, corrigendo, docendo, & Sacramentum Confirmationis visitatis plebi- 1747  
 bus ministrando, lustraremus, jam in ipsa Civitate degentes, nullam fere diurnam habebamus; dum pro occurrentium negotiorum expeditione, nunc adeuntium postulationibus, nunc Ministrorum relationibus, nunc Congregationum consulationibus operam dare oportebat; recurrentibus autem Ordinationum temporibus, vel evenientibus Ecclesiarum Parochialium vacationibus, aut cessantibus Confessariorum facultatibus, quas, ad nova de ipsis experimenta identidem capienda, nonnisi temporibus definita iisdem concedere consuevimus, Examina atque Concurus sine Nobis haberi non permittebamus. Et sane, si quis Episcopalis vitæ conditiones, ut vere se habent, considerare velit, facile agnoscat, majorum Civitatum Episcopos fere redactos esse ad hujusmodi Benedictionis & Indulgentiæ beneficium aliquibus dumtaxat Personis, vel genere, vel aliis qualitatibus conspicuis, & quidem instantibus & postulantibus, exhibendum; pauperibus autem & humilioribus, ob præclaram sibi, extra necessitatis & noctis tempora, subdelegandi facultatem, vix unquam succurrere posse.

Quod si satis momenti & auctoritatis haberet sententia a nonnemine proposta, Plenariam scilicet Indulgentiam in mortis articulo concedendam non esse, nisi his, quorum eximia in Ecclesiam merita extitissent; ea nimirum de causa, quod quam pro hujusmodi Indulgentiæ consequitione vel nullum omnino opus injungi, vel nonnisi morientis statui, & Viribus accommodatum imponi possit, præterita dumtaxat in Ecclesiam merita, cum extrema præsentis necessitate conjuncta, locum supplere possint, aliorum operum, quæ cæteroquin ad Plenariam Indulgentiam adipiscendam præscribi solent; nihil profecto esset, cur aliquid nunc a Nobis innovando statueretur. Verum Prædecessorum nostrorum hac in re agendi ratio, relatæ opinioni contraria dignoscitur. Ut enim multas prætereamus concessiones Indulgentiæ Plenariæ morientibus fidelibus indistincte applicandæ, quænam porro, & quam magna in Ecclesiam promerita fuisse dicemus eorum, qui quatuor ab hinc sæculis, pestifera lue per Angliam grassante, ex hac vita decedebant? Quibus tamen omnibus, dummodo sacramentaliter confessi, & sacra Communione refecti fuissent, Prædecessores Nostri Clemens Papa VI. & Gregorius Papa XI. Benedictionem cum Indulgentia Plenaria per Legatos suos impertiri non recusarunt. Sed & ipsa Congreg. Indulgentiis & Sacris Reliquiis præposita jam usque ab anno MDCLXXV. die XIII. Aprilis, re diligenter perpensa, censuit, Indulgentiæ plenariæ largitionem in eos etiam, qui singularibus in Ecclesiam meritis nequaquam excellere, recte & utiliter conferri atque diffundi.

Quapropter Apostolicæ charitatis nostræ viscera dilatantes, & tam veteribus, quam recentioris Ecclesiasticæ benignitatis exemplis inhærentes; siquidem extat illustre monumentum tertii Ecclesiæ sæculi in epistola S. Cypriani, quæ in novis Editionibus impressa est *num. 12.*, qua scilicet, in eorum gratiam, qui libellos Martyrum obtinuerant, & in mortis periculo versabantur, quum ipse æstivis ardoribus præpediretur, quo minus, ut optaverat, ad eos reconciliandos sese conferre posset, permittit, ut id, vice sua, a quocumque Presbytero, aut etiam Diacono, præstari queat; novissimis vero temporibus, ex secunda Mediolanensi Provinciali Synodo constat, a felicitis recordationis Prædecessore Nostro Greg. Papa XIII., omnibus illius Episcopis Provinciæ concessum fuisse, non solum ut ipsi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria moribundis Fidelibus impertiri, sed etiam ut aliis hujusmodi facultatem libere subdelegare possent: his igitur, aliisque exemplis, necnon rationibus superius relatis permoti, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione novas in hac materia regulas prænnire, quodque olim, ut præmissimus, de alterius sententia deli-

PONT. deliberandum Nobis fuerat, nunc demum de concessa Nobis Apostolicæ pote- ANNO  
statis plenitudine absolvere, ac perficere constituimus.

A. VII. Itaque primum volumus atque decernimus, ut quæ facultates impertiendi 1747  
Benedictionem cum Indulgentia Plenaria Fidelibus in mortis articulo constitu-  
tis, Venerab. Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis  
nunc existentibus a Nobis, vel a Prædecessoribus Nostriis ad hunc diem concessæ  
reperiuntur, licet illæ in consuetis Epistolis Secretarii Brevium ad Triennium  
dumtaxat, vel ad definitum tempus indultæ fuerint, nihilominus præsentis  
nostræ Constitutionis vigore eo usque in suo robore maneant, quoad iidem  
Antistites earum Ecclesiarum atque Diocesum regimen obtinebunt, quarum  
favore & intuitu easdem facultates a Nobis & Apostolica Sede impetrarunt.  
Nos enim eas ad omne tempus huiusmodi, motu proprio, & auctoritate præ-  
fata, atque earumdem præsentium literarum serie, extendimus & prorogamus.

Utque præterea unusquisque ex Antistitibus præfatis, unum, aut plures pios  
Sacerdotes sive Sæculares, sive Regulares, prout necessarium fore judicabunt,  
in eorum Civitatibus subdelegare valeant, qui, dum ipsi Antistites aliquo legiti-  
mo impedimento detinebuntur, quamvis huiusmodi impedimentum diurno  
tempore occurrat, eorum vice, Benedictionem huiusmodi cum Indulgentiæ  
Plenariæ applicationibus Christifidelibus in præfato articulo constitutis imper-  
tiantur; aliosque similiter per Diocesim Sæculares, aut Regulares Sacerdotes,  
quotquot pro numero animarum in Diocesibus existentium necessarios judica-  
verint, ad prædictum effectum deputare & subdelegare possint; necnon eisdem  
a se deputatos & subdelegatos remove, aliosque in eorum locum pro suo  
arbitrio & prudentia subrogare valeant; iisdem motu, potestate, & tenore,  
concedimus, & indulgemus.

Si vero aliquem ex Antistitibus nunc per Ecclesias constitutis, & præfata fa-  
cultate gaudentibus, ad aliarum Ecclesiarum regimen Apostolica auctoritate  
transferri contingat; sive aliquis eorum sit, quorum favore consuetæ literæ  
Secretarii Brevium ad hunc diem expeditæ non fuerint; ac denique quum no-  
vi Episcopi Catholicis Gregibus in posterum præficiuntur; volumus, atque sta-  
tuimus ut singulis eorum huiusmodi facultatem a Nobis, sive a Romano pro  
tempore Pontifice postulantis, Apostolicæ literæ in forma Brevis gratis per  
omnia expediantur, quibus prædicta facultas ipsi concedatur, non ad Trien-  
nium, sed ad omne tempus, quo adeptum semel Ecclesiæ regimen obtinebunt;  
adjuncta etiam facultate subdelegandi tam pro Civitate, quam pro Diocesi, non  
quidem in casu dumtaxat impedimenti cum nocturno tempore conjuncti, sed  
in omnibus & per omnia ad normam eorum, quæ pro Episcopis nunc existen-  
tibus, & Indulto huiusmodi actu gaudentibus, supra statuimus.

Insuper pro Prælatiis Inferioribus Territorium separatim habentibus, cum  
vera qualitate Nullius, & activa in Clerum, & Populum jurisdictione; quam-  
vis Prædecessores Nostri hanc de præterito consuetudinem non habuerint; ni-  
hilominus de Apostolica liberalitate, ac simili motu & tenore concedimus, &  
indulgemus, ut, si ab ipsis huiusmodi facultas petita fuerit, similes literæ in  
forma Brevis in posterum singulis eorum expediantur, juxta eandem formam,  
mutatis mutandis, quam pro Episcopis constituimus; ne excepta quidem fa-  
cultate subdelegandi ut supra; dummodo ipsi Prælati hanc gratiam postulantes  
Apostolicis literis Nostriis anno Incarnationis Dominicæ MDCCXL. nono Ka-  
lendas Decembris datis, quarum initium est -- *Quod sancta*, -- impressis in Bul-  
lario Nostro Tomo I. num. 7. obtemperaverint; vimirum sacra Apostolorum Li-  
mina præscriptis temporibus visitaverint, & relationem status Ecclesiarum sibi  
subjectarum Apostolicæ Sedi exhibuerint; vel, quatenus Prælationis honorem  
de novo accipiant, debitum juramentum in memorata Constitutione præscri-  
ptum antea præstiterint.

Dum autem huiusmodi facultatem Episcopis eam actu obtinentibus proroga-  
vimus,

PONT. vinus, & ampliavimus, ut præfertur; cæteris vero tam Episcopis, quam Præ- ANNO  
 latis Inferioribus in posterum eam petentibus, supradicta forma & amplitudi-  
 A.VII. ne concedendam fore decrevimus; sequitur, ut hujusmodi Indulta nequaquam 1747  
 morte concedentis expirent; quum jurisdictio delegata in iis, quæ non iusti-  
 tiam, sed gratiam concernunt, etiam post obitum delegantis manere debeat;  
 Quoniam vero iisdem Episcopis, & Prælati permittimus, ut hujusmodi facul-  
 ratem, pro Incolarum, Civitatum, Locorum, atque Diocesum opportunitate  
 & necessitate, uni vel pluribus Sacerdotibus in posterum subdelegare valeant;  
 statuimus atque decernimus, hujusmodi subdelegationes, per subdelegantis ces-  
 sum aut decessum similiter non expirare; sed potestatem ipsi tributam perse-  
 verare usque ad superventum novi Præsulis, cujus arbitrio relinquimus, eos-  
 dem in hujusmodi officio confirmare, vel ab eo remove. Atque ita quicum-  
 que Antistes memoratam facultatem a Romano Pontifice semel obtinuerit, eo  
 decedente, opus non habet pro illius confirmatione ad Apostolicæ Cathedræ  
 Successorem recurrere. Sicque etiam cedente vel decedente Episcopo, seu Præ-  
 lato, a quo eadem facultas in sua Diocesi aut Territorio subdelegata fuerat,  
 nova concessione opus non erit pro temporaneo Vicariorum Capitularium,  
 aut Apostolicorum regimine; quam Subdelegatorum auctoritas semper manere  
 debeat, quoad vel Episcopus ipse, aut Prælatus, vel illius Successor eam-  
 dem ipsis non ademerit.

Hac igitur ratione animarum salutari consulentes, quantum Nobis in Domi-  
 no licuit, piam consuetudinem applicandi Plenariam Pontificiam Indulgentiam  
 Ecclesiæ Filiis in mortis articulo constitutis, ampliare, & faciliorem reddere  
 curavimus. Permissaque Venerabilibus Fratribus, ac Dilectis Filiis, Ecclesiarum  
 Episcopis & Præsulibus, facultate alios Sacerdotes ad hunc effectum, tam in  
 Civitatibus, quam in Diocesibus subdelegandi, non parum levaminis eorum  
 anxietatibus, & sollicitudinibus per Nos allatum esse putamus. Veruntamen  
 ipsis declaratum volumus, non id propositum Nobis fuisse, ut eo prorsus exi-  
 meremus ab hoc paternæ charitatis officio, per se ipsos adeundi miseris ægro-  
 tos Plenariæ absolutionis in extremo articulo adipiscendæ cupidos; sed ut eo-  
 rum pietatem opportune juvaremus, ne, dum ipsi aliis Pastoralibus curis de-  
 tinentur, dolere debeant, commissos sibi Fideles hoc tanto spiritali beneficio  
 destitutos ex hac vita migrare. Qui vero piam hujusmodi opus per semetipsos  
 exercere gaudent (quod sane omnes, quoties legitime impediti non fuerint,  
 facturos esse confidimus), meminerint, non id duntaxat erga nobiliores &  
 potentes hujus sæculi, sed erga pauperes quoque, & abjectæ sortis homines  
 præstandum esse. Qua de re utiliter legi poterit Prædecessoris Nostri S. Gre-  
 gorii Magni Homilia XXVIII. in Evangelia ad Cap. IV. Joannis Erat quidam  
 Regulus, cujus Filius infirmabatur Capharnaum --, in qua mirabilem atque cæ-  
 lestem observat amantissimi Redemptoris Nostri JESU CHRISTI agendi ratio-  
 nem, qui ad invitandum ægrotantem Reguli filium invitatus ire abnuit, ad  
 Centurionis Servum nec invitatus iturum se profertur: -- Quid est quod Re-  
 gulus rogat, ut ad ejus filium veniat, & tamen venire recusat, ad Servum ve-  
 ro Centurionis non invitatur, & tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio  
 per corporalem præsentiam non dignatur adesse; Centurionis Servo non dedigna-  
 tur occurrere.

Ut autem Indulgentiæ fructus a Fidelibus in mortis articulo percipiatur,  
 hoc sedulo agendum erit, ut Populus in Sacris Concienibus & Catechesibus  
 frequenter edoceatur, quod iis, qui gratiæ Dei quam in baptismo acceperunt,  
 ingrati, per actualia peccata Spiritum Sanctum contristaverunt, & Templum  
 Dei violare non sunt venti, quantumvis æterna supplicia in Pœnitentiæ Sa-  
 cramento condonata fuerint, nihilominus temporalis plerumque pœna Divi-  
 næ justitiæ exsolvenda superest, cujus remissio obtinenda est non solum per  
 satisfactiones a Sacerdote Confessario in ipso pœnitentiæ Sacramento promen-

PONT. fura delicti impostas, aut per Christianam tolerantiam earum adversitatum, a ANNO  
 quibus mortalium vita immunis esse nequit; verum etiam per jejunia, elee-  
 A.VII. molynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia. Alioquin verendum 1747  
 est, ne salutis remedia ab Ecclesiæ benignitate Fidelibus suppeditata, paulatim in prævæ libertatis & licentiæ fomentum traherentur; compluribus sibi temere blandientibus de remissione tum sempiternæ pœnæ, per Sacramentalem absolutionem, tum temporalis, per Indulgentiæ Pontificiæ applicationem, in exitu vitæ impetranda, neque cogitantibus quam incertum sit omnibus non solum qua hora, & quo mortis genere ex hac vita migrandum sibi fuerit; sed etiam an Indulgentiam, licet externo ritu sibi applicatam, cum effectu sint percepturi. Præpostera æque ac periculosa antiquis Ecclesiæ temporibus inoleverat consuetudo, ut non pauci ex iis, qui ad Baptismum nomina obtulerant, ad firmamque vitæ ipsius Sacramenti perceptionem prorogarent, quo scilicet interim ingenio libere indulgerent, ac demum quum e vita discessuri essent, per salutem lavacrum ab omni culpa, & tam ab æterna, quam a temporali pœna soluti, ad cœlestem Regnum recta transferrentur; contra quos extant gravissimæ objurgationes S. Gregorii Nazianzeni in Oratione XL. & S. Joannis Chrysostomi in Homilia I. super Acta. Sed & Ecclesia Catholica prævam hujusmodi confidentiam improbare se declaravit, dum eos, qui in mortis periculo Baptismum susceperant, si convaluissent, a sacris Ordinibus & ab Officiis Ecclesiasticis arcendos, ac perpetuo irregulares fore decrevit.

Et quoniam Sacerdotibus, qui Fideles in extremo agone laborantes pie adjuvant, vel Ecclesiæ Sacramenta ipsis ministrant, Rituale Romanum injungit, ut si ægrotus Indulgentiam Plenariam legitima auctoritate concessam consequi valeat, eam illi mentem reducant, proponantque quid ad eam consequendam agere debeat: ex his autem, qui ad hujusmodi statum redacti sunt, alii quidem cum plena cognitione integrum loquelæ usum retinent, alii vero loquendi facultatem amiserunt, licet antea sinceræ contritionis indicia dederint, ea que adhuc ratione utentes, identidem dare non desinant; quo certius prædicti omnes Indulgentiæ fructum consequi valeant, præfatis Sacerdotibus mandamus, ut omni ratione studeat moribundos Fideles excitare ad novos de admisis peccatis doloris actus eliciendos, concipiendosque ferventissimæ in Deum charitatis effectus; præsertim verò ad ipsam mortem æquo ac libenti animo de manu Domini suscipiendam. Hoc enim præcipue opus in hujusmodi articulo constitutis imponimus & injungimus, quo se ad Plenariæ Indulgentiæ fructum consequendum præparent, atque disponant. Qua in re auctor Nobis est Sanctus Doctor Augustinus, qui in *Lib. XIII. de Civit. Dei cap. 6.* postquam horridam mortis speciem, eique renitentes hominum animos descripsit, quodque in aliis suis operibus non semel docuerat, mortem nimirum esse peccati originalis poenam, ibi quoque asseruit & confirmavit; hæc ad rem nostram apposite subdit: *Quidquid tamen illud est in morientibus, quod cum gravi sensu adimit sensum, pie fideliterque tolerando, auget meritum patientiæ, non aufert vocabulum pœnæ. Ita cum ex hominis primi perpetuata propagine procul dubio sit mors pœna nascentis; tamen, si proprietate justitiæque pendatur, fit gloria resurgentis; & cum sit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato.*

Pro impertienda vero Benedictiōne Fidelibus in mortis articulo constitutis, applicandaque ipsis Plenaria Indulgentia, quam nulla certa formula olim præscripta foret sanctæ memoriæ Prædecessor Noster Benedictus Papa XIII. anno Domini MDCCXXVI., pias quasdam preces & Orationes ad hunc effectum adhibendas publicari mandavit; quarum exemplo, in his quæ opportuna judicavimus, in hærentes, aliam de novo formulam, cum his, quæ in hac nostra Constitutione præscripta sunt, magis congruentem consecimus & instituimus, quam ab omnibus in posterum usurpari præcipimus; Mandantes hoc iptum inculcari, & injungi in Apostolicis Literis, quæ deinceps pro concessione



PONT. fione prædictæ facultatis Indulgentiæ Plenariæ Moribundis impertiendæ , ut ANNO præmissimus , expediendæ erunt .

A.VII. Ac decernentes , ipias præsentis Literas semper validas & efficaces existere , & fore , suoque plenarios effectus perpetuo sortiri , & obtinere , atque iis ad quos spectat , seu spectabit in futurum , plenissime suffragari : Non obstantibus Apostolicis , & in Generalibus , seu Provincialibus , aut Synodalibus Conciliis editis generalibus , seu specialibus Constitutionibus , ac quibuscumque contrariis , etiam Congregationum S. R. E. Cardinalium , Decretis & Resolutionibus , etiam Apostolica auctoritate approbatis , roboratis , & pluries confirmatis , uibus quoque , siliibus , & consuetudinibus , etiam immemorabilibus : Quibus omnibus & singulis , ad præmissorum effectum , motu , scientia , & potestate præfatis , amplissime derogamus , aliisque contrariis quibuscumque .

Voluimus autem , ut earundem præsentium transumptis , sive exemplis , etiam impressis , manu Notarii publici subscriptis , & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis , eadem ubique fides habeatur , quæ ipsis præsentibus haberetur , si forent exhibitæ , vel ostentæ .

Formula igitur , quam pro impertienda Benedictione , & Plenaria Indulgentia moribundis Fidelibus applicanda , ut præfertur , in posterum adhibendam esse præscripsimus , talis est .

M O D U S

A. SS. D. N. BENEDICTO PAPA XIV.

approbatus

*Pro opportunitate temporis seruandus , ut infra in Rubricis notatur , ad impertiendam Benedictionem in articulo mortis constitutis , ab his , qui facultatem habent a Sede Apostolica delegatam .*

**B**enedictio in Articulo mortis cum soleat impertiri post Sacramenta Pœnitentiæ , Eucharistiæ , & extremæ Unctionis illis Infirmis , qui vel illam petierint , dum sana mente , & integris sensibus erant , seu verissimiliter petiissent , vel dederint signa contritionis , impertienda iisdem est , etiamsi postea lingua , cæterorumque sensuum usu sint destituti , aut in delirium , vel amentiam incidierint . Excommunicatis vero , Impenitentibus , & qui in manifesto peccato mortali moriuntur , est omnino deneganda .

Habens prædictam facultatem , ingrediendo cubiculum , ubi jacet Infirmus , dicat : Pax huic Domui &c. , ac deinde ægrotum , cubiculum , & circumstantes aspergat aqua benedicta , dicendo Antiphonam : Asperges &c.

Quod si Ægrotus voluerit confiteri , audiat illum , & absoluat . Si Confessionem non petat , excitet illum ad illicitendum actum contritionis ; de hujus benedictionis efficacia , ac virtute , si tempus ferat , breuiter ut morbi incommoda ac dolores in antea actæ vitæ expiationem libenter perferat , Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quicquid ei placuerit , & mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem pœnarum , quas peccando promeruit . Tum piis ipsum verbis consoletur , in spem erigens fore , ut ex diuinæ munificentie largitate eam pœnarum remissionem , & vitam sit consecuturus æternam . Postea dicat :

✠. Adjuutorium nostrum in nomine Domini .

✠. Qui fecit cœlum & terram .

Antiphona .

Ne reminiscaris Domine delicta Famuli tui (vel Ancillæ tuæ) neque vindictam sumas de peccati ejus .

PONT. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster &c.

ANNO

A. VII. R. Sed libera nos a malo.

1747

V. Salvum fac Servum tuum (vel Ancillam tuam, & sic deinceps.)

R. Deus meus sperantem in Te,

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et Clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

## O R E M U S .

Clementissime Deus, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius Famulum tuum N., quem tibi vera Fides, & spes christiana commendant. Visita eum in salutari tuo, & per Unigeniti Tui Passionem, & Mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem, & veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus sui Te Judicem propitiatum inveniat, & in sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem Christum Dominum nostrum.

*Tum dicto ab uno ex Clericis adstantibus Confiteor &c. Sacerdos dicat Misereatur &c. deinde.*

Dominus Noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, & restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti; Et Ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, Indulgentiam plenariam & remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris &c.

Per sacrosancta humanae reparationis mysteria, remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis, & futurae vitae poenas, Paradisi portas aperiat, & ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat Te omnipotens Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

*Si vero Infirmus sit adeo morti proximus, ut neque Confessionis generalis facienda, neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos benedictionem ei impertiatur.*

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, prorogationis, ampliationis, & concessionis, mandatorum, statutorum, decretorum, ac derogationum infringere, vel ei aulicis temerario contrahere: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo septimo, Nonis Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Septimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicata die 4. Martii 1747.

NUM.

*Libelli Repudii Conuersorum a Iudaismo ad Fidem Catholicam.*

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**A**POSTOLICI Ministerii munus Nobis licet immerentibus commissum assidue Nos excitat, atque impellit, ut sollicito studio, ac vigili cura abusus, pravasque consuetudines, si quas in Ecclesia Dei vel hominum infirmitate, vel malitia certo novimus irrepsisse, Pastoralis Providentiæ sollicitudine compescamus, congruisque adhibitis remediis, quo citius fieri pote, aboleamus.

Nuper quidem Nobis relatum est, certisque probationibus manifesto comprobatum, quod aliqui Hebræorum, qui ad Christianam Fidem conversi uxorem habent renuentem Christianam veritatem amplecti, minime dubitant, posteaquam ejurata Judaica perfidia sacro lavacro abluti sunt, & solemni professione se ad CHRISTI Fidem adstrinxerunt, reverti sacrilego ausu ad Judæorum Castra, seu Vicum vulgo *il Ghetto*, ibique Rabbiniico ritu Judaicis superstitionibus, damnandisque observationibus libellum repudii uxoris concedere, vel etiam extra Judæorum domicilium coram Notario, Testibusque Christianis eundem libellum repudii uxoris dare, ut liberam eis nubendi alteri Viro potestatem faciant. Moyses quidem in Deuteronomio c. 24. ita scriptum reliquit. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua.* Utram vero hæc duntaxat Indulgentia quædam fuerit ad majus malum evitandum, adeo ut qui daret, acciperetque repudium, liber quidem a pœna esset, non autem a culpa; an autem dispensatio potius esset a Deo concessa ob cordis Hebræorum duritiam, adeo ut qui libellum repudii mitteret, & quæ missum reciperet, & a culpa, & a pœna exemptus foret, eisque minime vetitum esset ad aliud matrimonium valide, ac licite contrahendum procedere, dissident inter se veteres, recentioresque Theologi, cum alii primam, alii alteram opinionem sequantur. Verum quidquid hac de re sit, illud certum est, quod Redemptor Noster JESU CHRISTUS DEI Filius interrogatus quid censeret de libello repudii, quem Moyses promiserat, respondit, ut legitur in Evang. apud Mat. c. 19. & apud Marc. c. 10. *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic; dico autem Vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui ipsam duxerit, mœchatur;* Sermonemque suum ita conclusit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Ex his autem verbis per legitimam consequentiam inferunt Theologi, in præsentiarum non amplius licere Hebræis proprias uxores repudiare, neque per libellum repudii matrimonii vinculum amplius dissolvi, eo quod JESUS CHRISTUS illud ad suum primævum statum redegit, nempe ad indissolubilitatem, non lege nova condita, sed duntaxat sublata veteri indulgentia, seu dispensatione super prædicta indissolubilitate concessa. Quæ cum ita se habeant, etiamsi repudium toleretur inter Hebræos conjuges, qui ambo in eadem Judaica perfidia permanent, certe ferri, ac tolerari nullo modo debet, ut Hebræus ad Fidem conversus, & sacro Baptismate ablutus libellum

PONT. bellum repudii uxori, quæ in Hebraica peryicacia remanet, Judaico more, ANNO ac ritu concedat.

A. VIII. Quamobrem ut in posterum omnia debito ordine, & laudabili modo, ac ratione fiant, volumus, ac decernimus, ut Hebræus ad Fidem conversus, si uxorem Hebræam habet, eam more solito interpellat, an etiam ipsa converti, & cohabitare velit sine contumelia Creatoris; Renuente autem muliere, liberum ei erit aliud matrimonium contrahere juxta verba Beati Apostoli Pauli in Epistola 1. ad Corin. c. 7. -- *Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subiectus est Frater, aut Soror in hujusmodi, in pace autem vocavit nos Deus.* Ut bene jam ante animadvertit clar. mem. Prædecessor Noster Innoc. III. in sua Decretali, quæ incipit: *Quando, de divortis.* 1747

Quæritur a Theologis, & Canonici Juris consultis, quando solvatur matrimonium contractum ab Hebræo cum Hebræa, quæ se convertere recusat; & quando conversus novum matrimonium cum muliere Christiana, & quando Hebræus cum Hebræa contrahere possit. Quod ad conversum attinet, quidam volunt, præcedens matrimonium dissolvi quoad vinculum, statim ac infidelis renuit Fidem Christianam amplecti, aut intra terminum, seu temporis spatium præfixum in interpellatione, quæ illi facta est, nullum responsum præbet. Alii vero putant matrimonium solvi, quando conversus aliud matrimonium celebrat cum Christiana, quæ opinio in præsentī communior est inter Theologos, & Canonici juris peritos, & in praxi eam sequitur Congregatio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Decretorum Concilii Trid. Interpretum. De solutione autem vinculi matrimonialis, pro eo quod pertinet ad uxorem, quæ in Hebraica superstitione perseverat, aliqui censent, quod ea in pœnam suæ perfidiæ semper illigata remaneat, neque aliud matrimonium contrahere valeat, donec & quousque Maritus Christianus factus vivit: Alii vero putant, nullo modo eam matrimonium celebrare posse, si Maritus conversus non adhuc ad alias nuptias transiverit: ubi vero conversus matrimonium iniverit, permitti debere mulieri, ut idem facere possit, quia solutio matrimonii privilegium est concessum favore Christianæ Fidei, quam ad CHRISTUM conversus amplectitur, & ideo recte affirmari posse, datum esse directe, & per se fideli, indirecte vero, & per accidens infideli. Sed quidquid sit de hujusmodi controversiis, quæ inter Theologos, & juri Canonici professores disceptantur, de quibus nihil Nos definire intendimus, singulas illorum sententias eo loco, quo sunt, relinquentes, cum Nostra mens, & voluntas nequaquam sit aliquid nunc definire de matrimonio, quod a muliere Hebræa contrahitur, posteaquam nolle se Christianæ Fidei nomen dare declaravit; Sed id solum Motu proprio, ex certa scientia, & plenitudine potestatis tenore præsentium volumus, intendimus, ac jubemus, ut cum aliquis Hebræorum Christianam veritatem amplexus fuerit, non prætermittatur interpellatio mulieri more recepto facienda, an velit, nec ne, se ad CHRISTUM convertere, dummodo tamen ex aliqua gravi causa, vel a Nobis, vel a Romanis Pontificibus Successoribus nostris non censeatur hujusmodi interpellatio omittenda, ut videre licet in Nostra Constitutione: *In suprema*, data die xvi. Januarii MDCCXVI., quæ est CXVII. in Tom. I. nostri Bullarii; immo expresse vetamus, prohibemus, ac interdiciamus, ne Conversi quovis tempore, & quovis modo sive in Judæorum domicilio, nempe *Ghetto* Rabbिनico ritu, sive extra coram Notario, & Testibus Christianis libellum repudii uxoribus, quæ interpellatæ recusant se convertere, aut omnia vigore dispensationis ejusmodi interpellatione, quia ex probabili conjectura creditum est, minime se ad CHRISTI Fidem conversuras, dare, scribere, aut mittere audeant, & possint.

Et quoniam, ut plurimum contingit, ut leges debitam executionem non consequantur, nisi Sanctio pœnalis contra eas transgredientes accedat, hac Nostra in perpetuum valitura Constitutione, motu, scientia, ac potestate pari

PONT. mandamus, ac præcipimus, ut omnia Tribunalia, ac Judices competentes, ANNO  
 habita noticia, aliquem ex Hebræis conversis post susceptum Baptismum libel-  
 l. VIII. lum repudii intra ipsum Judæorum domicilium Rabbiniis superstitionibus ad- 1747  
 hibitis uxori non convertæ dedisse, statim in eum sine ulla cunctatione tan-  
 quam in Judaizantem solitis pœnis animadvertant; & insuper contra ipsam  
 Judæorum Universitatem in casu prædicto procedant manu regie multam ab  
 ea exigentes centum scutorum aureorum, cujus tertia pars in præmium accu-  
 satori tribuatur, quod vero superest, concessum, & additum ipso jure per  
 hanc Nostram Constitutionem intelligatur Pix Domui Catechumenorum in il-  
 lis Civitatibus, in quibus ea reperitur, ubi autem hujusmodi Catechumenorum  
 Domus non extat, remaneat liberæ dispositioni Episcoporum, & Ordinario-  
 rum, ut eam pecuniam pauperibus Christianis pro eorum arbitrio, & con-  
 scientia distribuunt. Sin autem ad Tribunalium, se Judicum competentium co-  
 gnitionem pervenerit, quod Conversus libellum repudii extra Judæorum do-  
 micilium, seu *Ghetto* dederit coram Notario, & Testibus Christianis, pari mo-  
 do eum tanquam Judaizantem debita pœna afficiant, minori tamen, qua ple-  
 sti debet, qui intra ipsum *Ghetto* Rabbiniis superstitionibus libellum repudii  
 scripserit. Item procedatur contra Notarium Christianum, & dictam Hebræo-  
 rum Universitatem, sine cujus scientia, & procuratore hujusmodi damnabi-  
 lia negotia non transiguntur, & pro rata parte multentur centum scutis au-  
 reis exigendis, distribuendis, applicandisque, ut supra dictum est: tum etiam  
 Testes Christiani pœna arbitraria, etiam corporis afflictiva pro prudenti Judi-  
 cum arbitrio puniantur. Præterea etiam libellus repudii juxta Hebraicum mo-  
 rem, ac ritum, solum a Marito uxori mittatur, non autem permittitur sit  
 uxori, ut illum Marito præbeat, nihilominus, quia nobis compertum est, es-  
 se aliquos, qui existimant etiam a Muliere Marito dari posse, ut omni in fu-  
 turum dubitationi, ac quæstioni, quæ exoriri possent, occurramus, hac Nostra  
 præsentem volumus, ac declaramus, ut omnia, & singula, quæ a Nobis super-  
 rius de Marito ac Fidem converso, remanente ejus Uxore in Judaica super-  
 stitione, disposita, ac statuta sunt, etiam in casu Uxoris ad CHRISTUM con-  
 vertæ, remanente Marito in infidelitate, locum omnino habeant, atque obti-  
 neant, & ab omnibus serventur, & custodiantur.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, privilegiis  
 quoque, Indultis, & Literis Apostolicis dictis Hebræis, eorumve Universitati-  
 bus sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogato-  
 rium derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis in  
 genere, vel in specie quomodolibet concessis, etiam si alias pro illorum suffi-  
 cienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, &  
 individua mentio habenda, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda  
 esset, tenores hujusmodi, necnon formas, & decreta in illis apposita, ac si de  
 verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, & inser-  
 tis habentes, illis quoad reliqua in suo robore permansuris ad effectum præ-  
 missorum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis qui-  
 buscumque.

Volumus autem præsentem Literas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum  
 de Urbe, in acie Campi Floræ, atque in Platea, quæ Judæorum nuncupatur,  
 per Cursores nostros publicari, earum exemplis inibi affixis, ac dimissis, ac  
 post hujusmodi publicationem, & elapsum terminum superius præscriptum,  
 cunctos, & singulos, quos concernunt, perinde arctare, atque efficere, ac si  
 eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent, illarumque exemplis etiam im-  
 pressis, manu alienius Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personæ in di-  
 gnitate Ecclesiastica constitutæ munitis eandem prorsus fidem in judicio, &  
 extra illud haberi, quæ ipsis præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel  
 ostensæ.

PONT. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, inhi- ANNO  
 bitionis, præcepti, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temera-  
 A.VIII. rio contrahere; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem 1747  
 Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit  
 incursum.

Datum Rome apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ  
 millesimo septingentesimo quadragesimo septimo, decimosexto, Kalendas Octo-  
 bris, Pontificatus Nostri Anno octavo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA

N. Antonellus Pro-Abbreviator.

J. B. Eugenius.

Loco ☩ Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicata die 30. Septembris ejusdem Anni.*

FINIS PARTIS PRIMÆ.

# I N D E X

## A R G U M E N T O R U M

### P R I M Æ P A R T I S.

- PONT. **E** Pistola commonitoria ad omnes Episcopos. 3. Decemb. 1740. pag. 5 ANNO  
 A. I. Indulgentiæ, seu Relaxationes centum dierum de injunctis, seu debitis  
 I. Pœnitentiis pro Recitantibus flexis genibus singulis Ferris sextis quinquies 1740  
 II. Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ad sonum Campanæ,  
 hora tertia post meridiem in memoriam Passionis, & Agenciæ DOMINI NOSTRI  
 JESU CHRISTI. 23. Decembris. 9 —
- III. Declaratio circa celebrationem Missæ in Oratorii privatis. 7. Januarii. ibid. ANNO  
 IV. Declaratur, quod omnes qui provisi fuerint a S. R. E. Cardinalibus, sive vigore 1741  
 exceptionationis Regule IX. Cancellariæ, sive vigore Indulti Apostolici de Bene-  
 ficiis Ecclesiasticis vacatis in mensibus Sanctæ Sedis reservatis, & valorem vi-  
 giuti Ducatorum excedentibus; semper teneantur ad reportandum infra certum  
 tempus novam provisionem a Sede Apostolica. 8. Februarii 1740. 11
- V. Clericis interdicitur quælibet negotiatio, etiam sub alieno Laici nomine, exceptis  
 casibus, & circumstantiis in Constitutione expressis, sub pœnis alias contra Cle-  
 ricos negotiatores emanatis, & extenditur pœna spolii ad eos etiam, qui ab illo  
 exempti sunt per Indulta personalia, aut generalia ad effectum testandi, vel  
 transmittendi. 25. Februarii. 12
- VI. Providetur abusus adversus Jejunii Quadragesimalis observatione invecis.  
 30. Maii. 17
- VII. Innovantur pœnæ adversus Confessarios, qui Pœnitentes ad turpia sollicitant, cum  
 præcepto hujusmodi denuntiandi, & reservatione absolutionis quoad calumnia-  
 tores. Adimitur præterea Sacerdotibus facultas Sacramentum Pœnitentiæ ad-  
 ministrandi complicibus in peccato contra castitatem cum pœnis &c. 1. Ju-  
 nii. 19
- VIII. Mercimonia super eleemosynis Missarum vetantur pœna censurarum, quarum ab-  
 solutio Summo Pontifici reservatur. 30. Junii. 22
- PONT. Declaratur unicam confessionem diebus Jejunii ab omnibus servandam esse, etiam  
 A. II. ab iis, quibus ob peculiare causas permittitur esus carniæ, ovorum, &c.  
 IX. 22. Augusti. 24
- X. Commissiones Causarum ad partes non aliis dirigendas esse statuitur, quam Judici-  
 bus Synodalibus, quorum electio Ordinariis Locorum comendatur, & permittitur  
 fieri extra Synodum cum consilio Capituli. 26. Augusti. 25
- XI. Cessiones commodi exigendi fructus Beneficiorum prohibentur sub pœna excommuni-  
 cationis, & nullitatis contractus. 29. Augusti. 28
- XII. Resignationes Beneficiorum cum reservatione Pensionis, & pacto eam cassandi,  
 prohibentur, & annullantur, adjecta pœna privationis Beneficii, inhabilitatio-  
 nis ad alia assequenda, restitutionis pecuniæ &c. & irritantur cassationes, &  
 extinctiones Pensionum intra sex menses a capta possessione Beneficii obtentæ.  
 29. Augusti. 30
- XIII. Declaratio cum instructione super dubiis respicientibus Matrimonia in Hollandia,  
 & Belgio contracta & contrahenda. 4. Novembris. 1741. 33
- XIV. Clausurarum Matrimonialium judicia coram quibus, & quo ordine, ac forma per-  
 agenda sint constituitur. 3. Novembris. 35
- XV. Matrimonia occulta quibus, & quomodo sint permittenda, quibusque cautelis cele-  
 branda, & in actis describenda, quomodo consulendum educationi, & inde-  
 mitati

- PONT. *mnitati prolis*. 17. Novembris. 41 ANNO
- A. II. *Clausura Monasteriorum quorumcumque Virorum Regularium asseritur, sublata* 1742  
 XVI. *quibuslibet dispensandi facultate*. 3. Januarii. 45
- XVII. *De Clausura Monialium: Confirmantur Sanctiones Ecclesiasticae antea editae. Re-*  
*vocantur facultates extraordinariae permittendi ingressum, & egressum e Mona-*  
*sterii*. 3. Januarii. 48
- XVIII. *De Doctrina Christiana populis tradenda, qua ratione, & methodo Fidelium in-*  
*dulgentiae hac in re consulendum sit*. 7. Febr. 51
- XIX. *Dispensationum Matrimonialium causas veraciter exponendas, & ab Executoribus*  
*omnino verificandas esse statuitur*. 5. Febr. 56
- XX. *De Appellationibus, & Inhibitionibus concedendis, vel negandis*. 30. Martii. 59
- XXI. *Indulgentiae pro recitantibus Orationem Angelus Domini confirmantur*. 20. Apri-  
 lis. 68
- XXII. *Declaratur quae fuerit mens Pontificis in Constitutionibus super Jejunio editis*. 12-  
 Maji. 69
- XXIII. *Spicarum Collectio post absolutam messem pauperibus permittenda*. 21. Martii. 70
- XXIV. *Spectacula invidiosa, Festis potissimum diebus frequentari solita prohibentur*.  
 12. Augusti. 72
- PONT. *Sacerdotes Missam celebrantes non teneri Sacram Eucharistiam omnibus petentibus*  
 A. III. *infra ipsam actionem ministrare*. 13. Novemb. 74
- XXV. *De concursu, & examine habendo pro Parochialium Ecclesiarum collatione*. De ANNO  
 XXVI. *appellationibus ab irrationabili Ordinario Judicio admittendis, vel rejiciendis*. 1793  
 14. Decemb. 76
- XXVII. *Vota simplicia in Congregatione Missionis emissa, a nemine, quacumque ex causa,*  
*praterquam a Romano Pontifice, aut a Superiore Generali Congregationis in-*  
*actu dimissionis tantum, dissolvi posse statuitur*. 18. Decemb. 84
- XXVIII. *Ecclesiastica Auctoritas in designandis publicarum precationum formulis, & in*  
*eisdem indicendis asseritur*. 23. Martii. 87
- XXIX. *Matrimoniorum firmitati consulendo damnantur, & annullantur pacta inter Con-*  
*juges inita de non appellando a Sententia lata pro Matrimonii nullitate; Con-*  
*firmatur Constitutio edita super hujusmodi judiciorum forma, Ecclesiasticae disci-*  
 ANNO  
 plinae observantia in Matrimonii celebratione commendatur. 18. Maii. 1744  
 89
- PONT. *Contra surripientes, vel asportantes, aut apud se retinentes Sacras Hostias, vel*  
 A. IV. *Particulas consecratas*. 5. Martii. 94
- XXX. *Innovatio Decreti Alexandri PP. VII. circa usum Pontificalium Praelatis Episco-*  
 XXXI. *po inferioribus concessorum*. 31. Martii. 98
- XXXII. *Facultates Majoris Penitentiarum, & Officii Penitentiarum*. 13. Aprilis. 99  
*Decretum circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum a*  
*Sac. Rit. Congregatione Oratoria habita coram SS. D. N. Alexandro Papa VII.*  
*emanatam die 27. Septembris 1659.* 109
- XXXIII. *Contra non promotos ad Sacrum Presbyteratus Ordinem Missam celebrantes, aut*  
*Sacramentales Confessiones excipientes*. 20. Aprilis. 112
- XXXIV. *Declarantur Quaestiones circa Jejunii leges a Summo Pontifice instauratas propositae*.  
 8. Junii. 116
- XXXV. *De Indultis Apostolicis eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum pro absolu-*  
*tionem a criminibus, aut Censuris reservatis, &c.* 5. Augusti. 118
- XXXVI. *De Applicatione Missae Parochialis pro Populo, Conventualis vero pro Benefacto-*  
*ribus Ecclesiae. Item de Divinae Psalmodyae cantu*. 19. Augusti. 123
- PONT. *De Jurisdictione Episcoporum quoad Ecclesias Parochiales Regularium, & Personas*  
 A. V. *curam animarum subditorum Saecularium in eis exercentes*. 6. Novemb. 130
- XXXVII. *Quaestioni propositae, an filii ex adulterio procreati legitimentur per subsequens ma-*  
 XXXVIII. *rimonium dissolvendo rescribitur*. 5. Decembr. 1744. 138
- XXXIX. *Altare a Pontifice consecratum, super quo sacrum fecit, variis privilegiis deco-*  
 ratum. 5. Jan. 1755. 150



- PONT. Declaratio super Constitutione, quæ incipit: Sacramentum Pœnitentiæ adversus ANNO  
A. V. sollicitantes anno MDCCXLI. edita 8. Febr. 152 1745
- LX. De jejunii Disciplina conservanda vel reintegranda. De Dispensationibus generali-  
XLI. bus pro Oppidis, aut Diœcesibus integris, nonnisi certa ratione, & justa de cau- 154  
sa petendis, & concedendis. 20. Junii.
- XLII. Decretum Sanctæ Universalis Inquisitionis super perpetua inhabitatione Sacerdotum  
ad turpia sollicitantium, vel Sacrificio Missæ abutentium ad sortilegia. 5. Au-  
gusti. 162
- XLIII. Decreta quædam a Cardinali Patriarcha Lisbonensi edita collaudantur, & confir-  
mantur. 31. Augusti. 163
- XLIV. De cautelis præstandis in consiciendis Processibus super fama sanctitatis Servorum  
Dei. De prohibendis Imaginibus Spiritus Sancti sub humana specie depicti. De  
aliis superstitionibus non tollerandis. 1. Octobris 1745. 165
- PONT. De Usuris, aliisque injustis quæstibus. 1. Novembris. 176
- A. VI. Diebus Festis prohibetur haberi Mercatus rerum venalium. Tollerantur vero Nun-  
LXV. dinæ sub certis conditionibus. 1. Novembris 1745. 179
- XLVI. Diviso Materiarum & gratularum Apostolicarum, quæ per Datariam Apostolicam,  
XLVII. quæque per Secretariam Brevium secretorum sunt expendendæ. 6. Decembris  
1745. 188
- XLVIII. Super Celebratione duarum Missarum eodem die per unum Sacerdotem. 16. Mar-  
tii. 194
- XLIX. De præsentatione dignioris inter approbatos ab Examinatoribus ad Parochiales Ec- ANNO  
clesias Jurispatronatus Ecclesiastici, cum resolutione nonnullorum dubiorum. 9. 1746  
Aprilis. 203
- L. Christifideles Indulgentias visitantibus Ecclesiam concessas, etiam Sanctissima Eu-  
charistia non exposita, lucrantur. Et de frequentii ejusdem Sanctissimæ Euchari-  
sticæ expositione. 16. Aprilis. 206
- LI. De Regularibus extra Claustra degentibus, & se se translatos asserentibus. 27.  
Maii. 208
- LII. Literæ jam editæ adversus Confessarios exquirentes a Pœnitentibus complicum no-  
mina confirmantur; & pœnæ in delinquentes statuuntur, cum præfinitione Ordini-  
nis procedendi in hujusmodi Causis. 2. Junii. 209
- LIII. Occurritur abusibus in expeditione resignationum Beneficiorum inductis ad eluden-  
dam Constitutionem Gregorii PP. XIII. incipien. Humano. 15 Junii. 214
- LIV. De retinenda Crucifixi Salvatoris Imagine palam, & visibilibus exposita super Al-  
taribus, ad quæ Missarum Sacrificia peraguntur. 16. Julii. 219
- LV. Literæ jam editæ adversus Confessarios exquirentes a Pœnitentibus complicum no-  
mina confirmantur, & ampliantur. 28. Septembris. 224
- LVI. Indulgentiæ tam docentibus, & addiscentibus methodum Orationis mentalis, quam ANNO  
LXVII. ipsam Orationem mentalem peragentibus concessæ. 16. Decembris. 226 1747
- De Libero ingressu Clericorum Sæcularium in Ordines Regulares. 14. Januarii. 228
- PONT. De Clausura Monialium, & admissione Famularum in Monasteria. 24. Janua-  
rii. 236
- A. VII. De Ordinationibus Regularium. 27. Februarii. 237
- LXVIII. De Baptismo Judæorum, sive Infantium, sive Adultorum. 28. Februarii. 244
- LIX. Ampliatur Episcopis facultas impertiendi benedictionem cum Indulgentia plenaria  
in mortis Articulo constitutis, etiam per alias, tam in Civitatibus quam in  
LXI. Diœcesibus, ab ipsis subdelegatos. 5. Aprilis. 268
- PONT. Super abusu libelli Repudii Conversorum Judaismo ad Fidem Catholicam. 16.  
A. VIII. Septembris: 277

ARGUMENTORUM

I. De...  
 II. De...  
 III. De...  
 IV. De...  
 V. De...  
 VI. De...  
 VII. De...  
 VIII. De...  
 IX. De...  
 X. De...  
 XI. De...  
 XII. De...  
 XIII. De...  
 XIV. De...  
 XV. De...  
 XVI. De...  
 XVII. De...  
 XVIII. De...  
 XIX. De...  
 XX. De...  
 XXI. De...  
 XXII. De...  
 XXIII. De...  
 XXIV. De...  
 XXV. De...  
 XXVI. De...  
 XXVII. De...  
 XXVIII. De...  
 XXIX. De...  
 XXX. De...